Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

KW 191 G 3
~~VII K 12~~
~~VI F 11~~
(boekband uit 1756 E 22)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

191 G-3

AONII PALEARII VERULANI OPERA.

Ad illam EDITIONEM
quam ipſe Auctor recenſuerat & auxerat
excuſa,

Nunc novis acceſſionibus locupletata.

Seriem eorum habet pagina quæ Orationes proxime
præcedit.



AMSTELÆDAMI,
Apud HENRICUM WETSTENIUM.

CIƆ IƆC XCVI.

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ILLUSTRISSIMO VIRO
FRIDERICO CAROLO
DE DANCKELMAN

SACRATISSIMO IMPERATORI CAESARI LEOPOLDO A CONSILIIS IMPERII, SERENISSIMO FRIDERICO III. ELECTORI BRANDEBURGICO A CONSILIIS JUDICIALIBUS, COMITATUS RUPINENSIS PRAEFECTO, AC IN AULA SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORATUS BRANDEBURGICI HAEREDIS NOBILI PRIMARIO, ETC.

S. P. D.

HENRICUS WETSTENIUS.

AONII PALEARII, VERULANI, Viri à ſeſquiſeculo clariſſimi, & Romanæ Eloquentiæ laude celeberrimi, quæ reliqua nobis ſunt, iterum in publicum produco, atque Litteratorum manibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

volvenda ſiſto. Idque eo lubentius exequor, quod pace Tua, Vir Illuſtriſſime, Tuoque ſub auſpicio id mihi liceat. Quem enim potius AONIO Patronum deligerem profecto non habeo, qui in Te uno omne mihi punctum tuliſſe videor. Te dico, cujus animo mirificum quoddam ſtudium priſcæ puræque Latinitatis a teneris uſque inſedit, quamque hactenus haud modice excoluiſti. Litteras enim Latino ſermone tanta elegantia, tantaque orationis caſtitate a Te conſcriptas & vidi & legi, ut mirarentur qui illas mecum legebant viri docti. Novi equidem Te ea pollere facundia, ut felicem calamum Tuum in quacunque lingua nemo non ſuſpiciat atque ſummis laudibus efferat. Gallicam certe ita calles, ut Te in ipſa Gallia natum jurarent Galli; & in Etruſco ſermone non pœnitendos progreſſus feciſti. Licet autem harum linguarum ſuavitate haud parum delecteris, non patitur tamen, quæ eſt præcellentiſſima ingenii Tui vis atque perſpicacia, ut in errorem illum peſtiferum quorundam hac noſtra ætate ſciolorum abripiare, qui, neſcio qua caligine mentis eouſque dementiæ progreſſi ſunt, ut ſicut omnia hodierna antiquis abſque ullo diſcrimine præferenda cenſent, ita & patrii ſui ſermonis delicias priſcæ illi Romanorum elegantiæ & majeſtati anteponere non dubitent. Horum veſaniæ tantum abeſt ut faveas, ut Tibi potius

ſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſit exploratum quid æra diſtent lupinis, quique locus generoſæ matri, qui natis, non degeneribus quidem, nec tamen parenti æquandis, merito ſit concedendus.

Quanquam autem ſit aliquid, vario idiomate, ornate, eleganter atque emendate loqui, id Tibi tamen parum fuiſſet viſum, niſi ipſarum quoque rerum ac ſolidiorum ſcientiarum notitiam linguarum cognitioni junxiſſes. Licet & in ea parte Tibi non defueris, qua & utile dulci miſceres. Etenim Te minime fugiebat, hominem aulæ natum ad omnia componendum eſſe, quæ in aulis placent. Hinc egregiam illam corporis Tui dignitatem, quam ipſæ Gratiæ videntur manibus ſuis finxiſſe, uberioribus dotibus exornare ſtuduiſti. Sint ſane qui equitando, ſaltando, delineando, canendo fidibus, Tibi pares exiſtant, de ſuperiore profecto non eſt quod metuas. Sic & hac parte Viri in aula viventis omnes numeros exples, ut per totum vitæ decurſum ſolis hiſce ſtudiis totus incubuiſſe exiſtimeris.

At quam ſubito mutabit ſententiam quiſquis animum converterit ad eam, qua præſtas, elegantiorum litterarum, hiſtoriæ inprimis & eloquentiæ, nec non Juris civilis, rerumque naturalium notitiam; quæ talis in Te eſt ac tanta, ut dubia ſub judice lis hæreat, Aulæ ne potius an vero Muſis ſis natus. His enim ita litaſti atque litas identidem ac ſi nunquam de

aula cogitares; ita te moribus aulæ inſtructum cernimus, ac ſi litteras vel primoribus labris nunquam deguſtaſſes.

Quantum vero & quam excellens præclaris hiſce ingenii atque corporis Tui dotibus accedat ornamentum ex generoſiſſima Tua indole, quantum ex ſincera atque non fucata Tua pietate, quantum ex nobili illo Tuo omnibus benefaciendi ardore, teſtes certe haud longe ſunt arceſſendi. Quam paucis datum eſt quod Tibi; in tanta nempe tamque illuſtri qua poſitus es fortuna, in tanto per totum terrarum orbem celebratiſſimæ Paternæ Tuæ familiæ ſplendore ac faſtigio, ne tantillum quidem cœcutire, nuſquam titubare, efferri nunquam, nunquam altum ſapere. O miraculum ingens, inſigne, nec laudibus condignis unquam ſatis prædicandum; inprimis hoc illo ætatis Tuæ lubrico, quo vix e carceribus prorumpens eos jam meritis atque virtutibus antevertis, qui ſtadium hocce emenſuri ultimas prope metas attigerunt! Sic Tuo exemplo diſcimus antiqua quoque virtute ac fide hominem in aulis morari Virisque principibus uti poſſe. Quo enim ſis obſequio in illos qui Te dignitate ſuperant, quam amicus paribus, quamque beneficus erga eos qui Te ſunt inferiores fortuna, in univerſum omnes ac ſinguli experiuntur. Et hæc fuerunt mellita illa Tua philtra, quibus amorem omnium atque ſtudia Tibi conciliaſti

ciliaſti cum paucis abhinc annis Auguſtiſſimus JOSEPHUS regali Romanorum corona Auguſtæ Vindelicorum inſigniretur, comitante Te Illuſtriſſimos Viros SYLVESTRUM JACOBUM & NICOLAUM, Patruos Tuos, Sereniſſimi FRIDERICI Electoris Brandeburgici ad hoc munus obeundum Legatos, qui hoc officio perquam egregie, ut ſolent DANKELMANNI, ac ſumma cum laude ſunt defuncti. Iisdem illis Tuis illecebris paulo poſt & Romanorum tibi animos devinxiſti, mirantibus eas dum eſſes in Urbe non tantum iis qui pari Tecum utebantur fortuna, ſed & Viris Principibus Patribusque purpuratis ſummo Te amore atque honore ita proſequentibus, ut illic ante Te nemo hoſpes vel peregrinus gentis ſuæ famam atque exiſtimationem magis unquam ſtabiliverit.

Hæc mihi retulerunt, nec ſemel, Clariſſimus Grævius & Politiſſimus Cramerus, deliciæ Eruditorum ac proborum omnium, amores mei! quorum alter doctor Tibi quondam fuit, alter dux & moderator ſtudiorum ac juventutis Tuæ. Ea vero, ut & reliqua quæ de Te audio, mirifice confirmant quam dudum de Te imbibi opinionem. Scilicet id Tibi firmum fixumque eſſe ut Illuſtriſſimi Parentis EVERARDI DE DANKELMAN, tum & Illuſtriſſimorum Patruorum tuorum veſtigiis inſiſtas quam preſſiſſime. Et jure quidem.

 dem.

dem. Quanta enim exempla? quanta nomina? quanti Viri? Quorum divinas virtutes admirabundus quum rudi meo calamo ad vivum referre non poſſim, reverenti potius ſilentio prætereundas cenſeo. Quis enim adeo fœlici fuerit ingenio, ut exquiſitiſſimam illam Excellentiſſimi Parentis Tui prudentiam poſſit exprimere? quis raram illam in detegendis aliorum conſiliis & machinationibus ſagacitatem? quis mirificam in rebus agendis tractandisve dexteritatem? quis incredibilem illam ac ſanctiſſimam in Dominum ſuum, qui eſt abſolutiſſimum OPTIMI PRINCIPIS exemplar, fidem? quis præclarum, illuſtre ac divinum ejus ingenium? quis amorem illum ſingularem litterarum, litteratorum, litterasque colentium, quibus omnibus quaſi numen eſt tutelare? Quis Illuſtriſſimorum Fratrum ſuorum in Legationibus, in Præſidiis, in Conſiliis, in Adminiſtrationibus (& ubi non?) perpetuam fœlicitatem? Te vero fœliciſſimum tali natum Patre! ſed & ô fœliciſſimum tali nato Parentem!

At quis nunc miretur Sereniſſimum Principem FRIDERICUM Electorem Brandeburgicum, qua eſt ſapientia, his Tuis egregiis virtutibus captum pro ſua æquitate debitum illis honorem habuiſſe? Præſertim cum Te nuper in aula Sereniſſimi Principis Electoratus Hæredis Nobilem primarium con-

conſtitueret. Cujus facti ea eſt ratio, ut vel ipſi Sereniſſimo Electoratus Hæredi de eo ſit gratulandum. Dum enim Tui copiam habuerit, haud ſane carebit exemplo vivo ac vero quo ſe inſtruat quotidie. Sed & eſt de quo tibi gratulemur. Non poterit enim non Tibi ſempiternæ laudi & gloriæ eſſe, quod tantæ, tamque prolixæ atque incredibilis expectationis Principi des operam. Principi ut avitæ gloriæ atque fortunæ, ita & avitarum ab utroque Sereniſſimo Parente divinarum virtutum ex aſſe hæredi; quarum egregii in tam tenera hac ætate flores ad votum ſuccreſcentes uberrimam meſſem pulcherrimorum fructuum, atque hinc fœlicitatem ſeculi omnino pollicentur.

Iisdem verò quibus Sereniſſimus Elector Brandeburgicus adductus fuerat rationibus, Sacratiſſimum quoque Imperii Romani caput, Imperator Cæſar LEOPOLDUS verè Auguſtus Te nuper ſapientiſſimo illorum Virorum ordini adſcripſit, qui in aula Cæſarea ſunt à Conſiliis Imperii. Quin & his longè majores Te manere dignitates, debita virtuti Tuæ præmia, certo certius auguramur!

Cum igitur tot ac tantis clareſcas virtutibus, atque inſuper compertum ſit, quanto in pretio ac honore AONIUM habeas, non potui Te novæ huic ejus opuſculorum editioni Pa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tronum non præfigere. Itaque ut illam accipias ea qua ſoles Aonium complecti benevolentiâ, ego Te, Vir Illuſtriſſime, ſumma cum veneratione ac obſervantia rogo atque obteſtor. Non ſine voto, ut pro meritis Tibi creſcant fortunæ bona, ſicque quod potes & facis, decus atque gloriam Gentis DANKELMANNIAE reddas quam conſummatiſſimam! Dabam Amſtelædami Kalendis Juliis, cIɔ Iɔc xcv.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

LECTORI

S.

AONII Palearii, diſertiſſimi ac laudatiſſimi Viri, lucubrationes, quas quidem temporum malorum injuria ſtudioſis reliquas fecit, novo tibi cultu, Lector, iterum producimus, ſed & novis acceſſionibus luculenter adauctas. Quod cur faciendum duxerimus, multiplex cauſſa erat. Neque ejus te rei nunc commonefacere, admodum neceſſe arbitramur. Præiverat exemplo ſuo Vir inſignis Matthias Martinius, qui Bremæ, anno hujus ſæculi XIX. in lucem, atque adeo alteram quaſi vitam, revocavit nobiliſſimum Scriptorem. Quamvis enim jam bis prodiiſſet beneficio typographorum Baſilienſium, ſatis etiam nitidè atque eleganter: tamen adeo neglectus habebatur, adeoque exili in pretio erat, ut hominibus etiam doctis, & à peritia ſermonis Latini commendatis, planè foret ignobilis. Contra in ſinu geſtabantur neſcio qui Mercurii ac Suadæ; vacuorum capitum infelices partus; quæque id genus plura obtruſit miſeræ juventuti

Scholaſticorum natio madens pingui,
Inflata rore non Achaïco turba.

Nimirum antiquum illud verum eſt, Multos habere famam, paucos mereri. Quotus enim quiſque noſtrûm de rebus Palearii umquam inaudivit? parentes ejus quis novit? quis vitæ genus, & qualeſcumque fortunas? fruſtra horum omnium ulla quæſiveris veſtigia apud tot ſcriptores Elogiorum: in quibus tamen multorum ſunt nomina,

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

quæ, niſi iſtic, leguntur nuſquam; quique ipſi vivi ac videntes libris ſuis exequias iverunt. Unde hæc famæ malignitas in virum nullo ſuo merito peſſime afflictum, quemque propius noſci intererat rei literariæ, breviter aperiemus; ubi prius paucula quædam (nam plura ſcire non licuit) de ſtudiis deque crudeli ſupplicio innocentiſſimi capitis delibaverimus. Natus eſt Aonius Verulis, (oppidum id eſt Latii Epiſcopalis, in Hernicis, apud Coſam fluvium) ex antiqua & apud ſuos nobili proſapia, parentibus Matthæo Paleario & Clara Janarilla, circa initia, ut vero eſt ſimile, ſæculi proxime ſuperioris. nam de anno ipſo nihil conſtat. eos autem amiſit valde adoleſcens: ſed memoriam, vir factus, renovavit in reſtituto magnifico ſepulcro, quod improborum hominum rabies collabefactaverat, egregio ſane pietatis teſtimonio. Græcis & Latinis literis mature imbutus ac fideliter, haud quaquam ſatis ſibi eſſe duxit ad gloriam verumque animi cultum, ſi intra ſola eloquentiæ ſpatia conſiſteret; neque etiam adjiceret, Ciceronis ſui exemplo, uberem rerum pulcrarum ac ſublimium cognitionem. Itaque incenſus amore incredibili philoſophiæ; non ſcholaſticæ iſtius argutatricis, ſed germanæ ac ſolidæ, & qualem ſe olim in Lycei ambulacris explicabat; id unum toto agebat animo, id unum toto pectore ſtudebat, ut naturæ latentes vias aperiret ſibi ac recluderet, inprimis autem ut emendatam morum hauriret diſciplinam. Neque Theologiæ negligebat arcana, rarò quidem ſtudio tempeſtate iſta, &, quod docuit eventus, periculoſo. Tam excellentium artium pulcerrimo inflammatus ardore, varias ſuſcepit peregrinationes per Italiam pæne univerſam: & iis ſe maxime doctoribus percoquendum dedit, quorum tunc eruditio & nominis gloria maxime florebat. Solidum quoque ſexennium ejus rei gratia hæſit Romæ, clarus ipſe in illa luce clarorum ingeniorum. Quod vitæ iter ne deſerere cogeretur deflexo aliovorſum curſu, maluit iis rebus deſtitui quas homines præcipuas pu-

putant: cœptamque perrexit viam, divenditis totius patrimonii facultatibus, quas ſatis lautas à parentibus acceperat. Pertinacis atque inuſitati laboris fructus fuit poëma luculentiſſimum de Animorum Immortalitate; quod publico favore exceptum, ſuo certatim plauſu, ut quiſque erat doctiſſimus, cohoneſtabant. Vix enim ſperabant homines horum myſteriorum non imperiti, poſſe tam ardui argumenti majeſtatem verſibus ſatis digne exponi. Itaque ſummo in honore fuit Palearius apud viros ætatis iſtius principes; Petrum Bembum, Jacobum Sadoletum, Franciſcum Sfondratum, Ennium Philonardum, Eccleſiæ Romanæ Cardinales; Janum Benedictum Lampridium, Marcum Antonium Flaminium, Andream Alciatum. In quibus profecto ſingulis inerat ejus ſæculi haud mediocre ornamentum. Turbatis paullo poſt Latii rebus, in Etruriam ſeceſſit Aonius, captus ejus regionis deliciis, & linguæ lepore, ipſaque adeo Tuſcorum ingeniorum elegantia ac feſtivitate. Sedem vero fortunarum ſuarum Senas Etruriæ delegit: quamquam neque iſtic omnia invenit ſatis tranquilla, ſciſſa in partes ac diviſa civitate. Hic propoſitis à Rep. honeſtis præmiis, factus eſt Latinarum ac Græcarum Literarum doctor publicus, ea nominis fama & ſtudioſorum juvenum celebritate, quam vix ipſe potuiſſet optare. Ut autem per dies feriatos mollius & ſecurius incumberet ſtudio ſcribendi, emit ſibi in agro Senenſi Cecinianum, villam A. illius Cecinæ Volaterrani, cujus cauſſam olim defendit M. Tullius. in eo amœniſſimo receſſu multa novavit, multa reſtituit vetuſtate collapſa, ſatis nemoribus, fontibus excitatis, erectis marmoribus, & inſcriptionum argutiis Romanum in morem elegantiſſime fictis. Interea animum ad rem uxoriam adjecit, quum haberet jam annos quatuor ſupra triginta, duxitque domum virginem adoleſcentulam, honeſto loco & bonis parentibus prognatam, quam per omne deinceps vitæ ſpatium ardentiſſime dilectam, nec poſt ipſos quidem cine-

res

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

res potuit oblivifci. Ex ea quatuor liberos ſuſtulit, utriuſque ſexus binos; Aſpaſiam, Sophonisbam; Lampridium, & Phædrum. & hunc quidem juris civilis ſtudio, illum autem Philoſophiæ literisque Græcis deſtinaverat amantiſſimus pater. Sed fatalis fuit urbs Senarum viro ſanctiſſimo: nam hic primum exagitari cœpit inſanis contentionibus neſcio cujus profeſſoris, (ipſe Machum Blateronem *vocat) qui putabat tantum decedere de ſuo honore, quantum Aonii virtutibus & meritis dabatur. Quamquam hunc morionem ignobilem brevi compeſcuit mordax ingenium Petri Aretini, qui ſtolidum pecus omnium ludibriis ſannisque expoſuit in fabula quadam vulgari idiomate conſcripta, & Venetiis publico ſpectaculo exhibita. Atque utinam intra hos fines ſtetiſſet rabies, quam in caput innocuum viri omnium optimi exercebant belluæ immanes! Antonius Bellantes, homo nobilis & copioſus, magnisque factionibus implicitus, litem habebat apud judices Reip. Senenſis contra adverſarios quoſdam improbos ac præferoces. in ea operam utilem navavit Palearius, atque ex præſente periculo Bellantem ſubduxit. qui tamen ipſe non longe poſt coactus fuit diem dicere fratribus Franciſcanis ſtrictioris (ut vocant) obſervantiæ, propter expilatas aviæ ſuæ ſarcinas turpi furto. Hi autem dato jurejurando ſuos eluſerunt judices. Quum verò in eo judicio Bellanti adfuiſſet Palearius, incredibile dictu eſt quantopere hoc ipſo facto commoverit haram iſtam omnem pecudum funigerarum. acrius etiam inertiſſima pectora accendebat odium, quod Aonius auſus eſſet res ſacras tractare ſtylo puro ac Latino; quodque è Sanctis Patribus ac vetuſtis Chriſtianæ religionis monumentis multa depromeret, quæ ipſi extare in rerum natura omnino ignorabant; quod aperte oſtenderet, ſe non favere ſtolidiſſimis ſuperſtitionibus; denique quod non ita pridem librum ſcripſiſſet de meritis mortis Jeſu Chriſti. Itaque omnibus eum contumeliis vexabant, & paſſim pro concione publica venenato*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

nato rictu proſcindebant. neque verò deerant, quos id minime decebat, juriſconſulti ac vultures togati, qui, odio bonarum literarum, an vindictæ privatæ indulgentes, foverent cauſſam fratrum fraterrimorum. adeo ut coactus fuerit Palearius pro capite ſuo dicere: palam enim accuſabatur impietatis. Sed & hanc procellam ſapienter disjecit Magiſtratus Senenſis auctoritas, atque integritatem Aonii ab amariſſimis hoſtibus ſancte vindicavit: Hi autem, mutato conſilio, aliam inierunt rationem, qua everterent inimicum jam toties fruſtra tentatum. neque enim fratrum eſt, aut umquam erit, ignoſcere. etiamſi hic nihil fuit ignoſcendum, neque ulla Palearii culpa. Igitur depoſitis paulliſper contentionibus privatis, apud Dominicanæ familiæ patres invidioſum fecerunt, cui perdendo ſe ſolos impares rebantur. atque hæc fuit fatalis illa machina, quæ multis poſt annis, memorando apud poſteros exemplo, oppreſſit fideliſſimum Chriſti ſervum. nam quum Aonius, fœdiſſimarum vexationum pertæſus, poſt Lucenſem ſtationem, in qua aliquot annos hæſerat, Mediolanum eſſet accerſitus, adeo faventes illic ſibi invenit Senatores, tantosque ſuarum virtutum admiratores, ut ſupra honorarium ſatis amplum multas etiam indulſerint immunitates, ac foverint benigniſſime. Et jam omnia videbantur in portu; quum, ecce, fatis functo Pio IV. Pontifice maximo, electus eſt in demortui locum Michaël Giſlerius, vulgo dictus Cardinalis Alexandrinus, eo quod ex Boſco exiguo agri Alexandrini oppido ortus eſſet, familia admodum tenui. Is homo, propter rei domeſticæ anguſtias ab anno ætatis quarto decimo in S. Dominici ordinem allectus, tantum potuit inter ſodales ſuos, opinione continentiæ & auſteritate vitæ, ut per varios gradus evectus, ad præcipua munia, Comi tandem in principatu Mediolanenſi fuerit inquiſitioni præpoſitus: Bergomum quoque Venetæ ditionis oppidum miſſus cum eadem poteſtate. editis autem utrobique cru-

delibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

*delibus horridæ cujusdam atque inſolentis ſeveritatis do-
cumentis, meruit apud Paullum IV. inquiſitioni juſto
impenſius faventem, ut in Cardinalium collegium coo-
ptaretur. Tandem Pontifex factus, Pius V. appellari
voluit, atque ipſo ſtatim initio magna inſtituit terribi-
lis ſeveritatis dicam, an ſævitiæ exempla, auſpicatus
à Petro Carneſeco, propter cauſam religionis ad ignem
damnato. cujus nos viri hiſtoriam lamentabilem latius
aliquando exſequemur, ſi Deus faverit, in editione ope-
rum M. A. Flaminii. Tali Pontifice opus erat ſcele-
ratiſſimis monachis, qui & inquiſitionem exerceret rigi-
diſſime, & altus fuiſſet atque educatus in ordine mo-
nachali. Ergo renovata lis eſt, conquiſitus Mediolani
Palearius, vinctus, & Romam adductus. crimini da-
batur, quod eadem ſentiret cum Germanis, quorum
multos invidioſe atque criminoſe laudaſſet; quodque di-
xiſſet, Inquiſitionem eſſe ſicam diſtrictam in literatos. Et
poterat ſane utrumque haud difficulter probari. Nam in
vexatione Senenſi apologiam pro ſe ac * capite ſuo ſcri-
pſerat, acrem illam ac luculentam, qua retunderet ra-
biem furioſi cujuſdam Monachi, qui pro concione in
eum omnium teterrime debacchabatur. is quum partem
iſtius apologiæ legiſſet, voluit cum Aonio redire in gra-
tiam, ſeſeque purgavit de injuriis illatis. compoſita igi-
tur tum quidem lis fuit arbitrio optimorum virorum,
& exempla apologiæ omnia conjecta in ignem, uno tan-
tum apud auctorem relicto, alteroque quod habebat Pe-
trus Victorius; tertium erat apud adverſarium. In ea
dixerat,* multa eſſe ab hominibus Germanis accu-
rate & ſincere ſcripta, digna prorſus omni laude,
repetita vel ex patribus illis primis, vel ex com-
mentationibus Græcorum & Latinorum, *&c. no-
minatim vero laudaverat Oecolampadium, Eraſmum,
Melancthonem, Lutherum, Pomeranum, Bucerum.*

locus

* *Ea nunc tertio loco legitur inter Orationes, tametſi numquam eſt habita.*

locus autem, ubi Inquiſitionis crudelitas perſtringitur, ita habet: Quod niſi indicto concilio ſpes bonis injecta eſſet, negotium felix & ſalutare a Pontificibus, a Cæſare, a Regibus una ſuſceptum iri, ut magnis concurſibus omnium gentium, omnium nationum celeberrimi conventus peragantur, deſperaremus omnino tantarum perturbationum finem ullum unquam futurum: deſperaremus poſſe fieri, ut ſica iſta diſtricta in omnes ſcriptores de manibus eorum extorqueatur, qui vel leviſſimis de cauſis crudeliſſime ferire didicerunt: à quibus appetitus fuit aliquando vir omnium ſanctiſſimus & integerrimus, Sadoletus meus. qua re nihil multis annis ſol vidit indignius. *His paria ſcripſerat ad Petrum Franciſcum Riccium Lib. 3. Epiſt. 1. Igitur damnatus à rigidiſſimo Pontifice, atque ignominioſo pariter ac crudeli ſupplicio vivus eſt in ignem conjectus æternæ veritatis fideliſſimus teſtis. Hæc geſta ſunt anno* CIƆIƆLXVI. *ut rectiſſime notavit Hiſtoricorum princeps Jac. Auguſtus Thuanus Lib.* XXXIX. *errant enim qui aliter referunt: id quod clariſſime evincitur ex tempore creationis Pii V. & ex ipſis immunitatibus urbis Mediolanenſis, annos ipſos ſeptem ante hoc martyrium datis. neque id tantum: ſed & in ipſo genere mortis decepti ſunt viri clariſſimi. Certe Joachimus Camerarius* crudeli ſupplicio affectum *dicit; additurus haud dubie aliquid ſingularius, ſi modo ſciviſſet. Simlerus autem* capite multatum *ſcribit, idque An.* CIƆIƆLXX. *is qui primus* Actionem in Pontifices Romanos *in lucem protulit*, crematum *fuiſſe dicit circiter An.* CIƆIƆLVIII. *Unde tot hallucinationes in re eadem? Nimirum tam terribile eſt Inquiſitionis tribunal, ut iſtic damnati uno eodemque numero habeantur cum iis qui numquam nati fuerunt, & ſimul cum corpore deleatur funditus omnis eorum memoria, atque ex imis radicibus exſtirpetur. Poſt fulmen tam dirum Vaticani Jovis, facile colligitur fœdiſſimæ ruinæ involutam fuiſſe totam Aonii domum; atque innocentes liberos, (nam mater jam exemta*

enta erat rebus humanis) tamquam καθάρματα & purgamenta luſtralia, omnibus exſecrationibus devotos in extrema rerum omnium inopia damnatum ſpiritum exhalaviſſe. Hic enim finis eſſe ſolet eorum, qui afflictiſſimos reos adeo propinquo ſanguinis gradu contingunt. Inde factum fuit, ut tot præclara divini ingenii monumenta interierint ſine ulla ſpe recuperandi: Commentarii videlicet in Orationes Ciceronis; Dialogi; Odæ; Commentationes Theologicæ; Laudationes, verſibus ſcriptæ; Fabellæ, idiomate Tuſco; & denique liber ille, quem nos unum magno redemtum velimus, de meritis mortis Jeſu Chriſti, ſermone itidem vulgari conceptus. Quocirca debita merito gratia habenda eſt viris optimis, qui, ne perirent omnes & ſinguli elegantiſſimi labores ſcriptoris infeliciſſimi, ſedula cura providerunt. Et nos fortaſſe aliquid meruimus, acceſſione nova pulcerrimarum epiſtolarum. Viſum quoque fuit ea adjicere carmina, quæ Jo. Matthæus Toſcanus A. CIↃIↃLXXVII. Lutetiæ vulgaverat; una cum fragmento Conſolationis heroicis verſibus conſcriptæ, quod inter cimelia ſua chartacea ſervabat, ineditum hactenus, non indiligens harum lautitiarum æſtimator. Actio quoque ipſa in Pontifices, ſemel tantum typis exſcripta, ideoque inventu rara, cavimus ne intercideret. Tu fruere, Lector, & honeſtis typographi præclare de te merentis conatibus favere perge.

Im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Immunitates AONIO PALEARIO Mediolani conceſſæ; cum literis ejuſd. Palearii pro iis immunitatibus.

CUM Excell. Senatus litteræ ad præces facundiſſimi Oratoris Poëtæque celeberrimi Aonii Palearii allatæ fuiſſent multum Magnif. D. Octaviano Cuſano Jureconſulto Vic. & duodecim Decurionibus proviſionum inclitæ hujus Urbis Mediolani, hujuſcemodi tenoris.

DIPLOMA.

PHILIPPUS Hiſpaniarum &c. Rex, Mediolani Dux &c.

Dilecti noſtri. Sublevandus eſt auctoritate noſtra egregius Orator Aonius Palearius & cæteris anteferendus, qui ex Hetruria evocatus ad erudiendam in bonis litteris juventutem graviſſimo Reipublicæ tempore, magno cum incommodo huc venit, & noſtram Urbem ſuæ patriæ antetulit. Quamobrem ut aliqua grati animi ſigna à vobis ſentiat, præſertim cum uxorem & liberos huc adduxerit, in magna rerum fere omnium caritate: damus vobis facultatem qua ipſi Aonio eam ab oneribus extraordinariis immunitatem poſſitis dare atque concedere, quæ pro ejus virtutibus & meritis danda vobis videbitur & concedenda, ita ut quæ hac in re feceritis & conceſſeritis, firma ſint ſemper & rata. Dat. Mediol. die octavo Martii M. D. LIX. *Signata* Franciſcus Petranigra, *& ſigillata ſolito ſigillo in cera rubea ut moris eſt. a tergo:* Egregio Jureconſulto ac Nobilibus Viris Dn. Vicario & duodecim proviſionum Mediol. noſtris dilectis &c.

Aonii Palearii ad Decuriones Mediol. pro immunitate.

AOnius Palearius ſuperioribus annis ad inſtituendam juventutem Mediolanenſium accerſitus, cum ſolus cum ſervulo apud hoſpitem viveret diplomate de immunitatibus uti noluit, ne cum minime ſibi prodeſſet Reipublicæ obeſſet. Nunc cum domum conduxerit, & familiam

ex Hetruria magno cum ſumtu & incommodo adductam alat, in ſumma annonæ caritate, Rogat ac ſupplicat, ut immunitates quæ non petenti datæ ſunt, flagitanti firmiores certioresque concedantur. Et quoniam is ſingulari amore in civitatem veſtram adductus, ut communi juventutis Mediolanenſis bono ſerviret, domum & bona patria, & ſtipendium honorificum in Hetruria ſibi in annos conſtitutum, reliquit, & difficillimo tempore apud vos eſt, & eſſe vult: ſperat Ædilem & Decuriones, humaniſſimos & æquiſſimos Viros, ejus rei rationem habituros, curaturosque ut Reipublicæ veſtræ liberalitate ſublevetur. Ad eam rem conficiendam opus eſt gratia & auxilio veſtro, Patres conſcripti, ut a vobis poteſtate vel data vel aucta Magiſtratui, quem vicariatum proviſionum appellant: quod ejus Magiſtratus Præfectus cum Collegis in immunitatibus Aonio dandis, fecit, fecerit, id Senatus conſulto tam firmum ratumque ſit, quam quod optimo jure datum eſt & conceſſum.

Litterisque ipſis & precibus lectis, diligenterque & mature conſideratis, certoque certius eſſe compertum ſit, non mediocrem utilitatem, decoremq; & ornamentum prædictum Aonium Palearium in tradenda humanarum litterarum tam græcæ quam latinæ linguæ eruditione attuliſſe, in futurumque non minus allaturum eſſe, ex quo non immerito omni onere & incommodo ſublevari, omnique gratia & honore decorari dignus ſit, patefacta jam diu ejus virtute, doctrinaque ſingulari & frequenti ſtudio, quibus juventutem Mediolanenſem in dies enixe inſtruit, ornatamque & nobiliorem reddit. Proinde igitur prædicti Magnif. D. Vic. & Decuriones petitioni ipſius Aonii Palearii de Republica Mediolanenſi benemeriti annuendum cenſentes. Hiſce præſentibus accedente & prædicta Excell. Senatus ſanctione, eorum omnium extraordinariorum immunitatem quovis modo per ipſam Magnificam communitatem hucuſque impoſitorum, & imponendorum ipſi Aonio Paleario conceſſerunt, & concedunt, decernuntque immunitatem ipſam ſuum ſortiri debere robur à Kal. Januarii proxime præteriti citra; utque hæc grata conceſſio, & ſi præclaræ virtutes, optimique mores, & benemerita in juventutem Mediolanenſem collata, uberiorem requirerent, ſuum quamprimum ſortiantur effectum. ordinant & mandant expediendum eſſe in preſentiarum opportunum

num juxta morem mandatum Nob. D. Jo. Franciſco Homato ipſius Magnificæ Communitatis Quæſtori, ut eidem Aonio Paleario eam reſpondeat & exolvat pecuniarum ſummam, quæ pro perſonis ſeptem, tam ratione macinæ frumenti quam vini & carnis, factis juxta conſuetudinem calculis quolibet anno hiſce extraordinariis oneribus permanentibus eſſe percipietur. dat. Mediol. die Jovis ſext. Aprilis. M.D.LVIIII.

O. Cuſanus. Jo. Antonio Spanzotta.

Regiſtrato nel libro dell' Eſſentione.

Pro Nob. D. Aonio Paleario

Immunitatis Ordinatio.

Teſtimonia eruditorum Virorum de Aonio Paleario, præteritis iis quæ paſſim in epiſtolis occurrunt.

Sebaſtianus Corradus Commentario in M. T. Ciceronis Brutum.

Quare nos poëtas imitati ætatem illam, in qua tot oratores, id eſt viri boni fuerunt, auream poſſumus appellare, quemadmodum ſummus poëta illam voluit ſignificare, quum cecinit:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Et ſane ætas illa vere fuit aurea, in qua tot viri docti floruerunt: ut, quæ ſecuta eſt, argentea dici poteſt uſque ad Trajanum: tertia vero ærea ſub ceteris Imperatoribus: quarta vere ferrea Gothorum & Longobardorum temporibus, uſque ad majorum noſtrorum memoriam, quum iterum

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Tunc enim multi viri docti florere cœperunt, & hodie multi ut quum maxime florent, ut Joannes Baptiſta Egnatius, Lilius Gregorius Gyraldus, Petrus Victorius, Paullus Manutius, Carolus Sigonius, Aonius Palearius, &c. & alii, quos longum eſſet referre: qui tamen omnes jam cum veteribus videntur eſſe comparandi.

Joannes Michaël Brutus in epiſt. ad Franciſcum Luiſinum.

Mediolani Aonium Palearium conveni, a quo homine doctiſſimo atque amantiſſimo tui earum literarum exemplar ac-

cepi, quas ad te ille in Hiſpaniam. Puto autem, reſpondent iis, quibus tu ad illum multa de Andrea Marino. &c.

Joachimus Camerarius in Narrationibus de M. Antonio Flaminio.

Inter eos quos Flaminius dilexit & magni fecit, quique ipſum coluerunt & ſunt admirati, fuit principe loco Aonius Palearius Matthæi F. Verulanus, a quo acerbiſſime eſt deplorata mors Flaminii Romæ obita; Viro optimo doctiſſimoque, & Chriſtianæ pietatis ſtudioſiſſimo: Atque hunc cum hæc ſcribente me nuntius adveniſſet, arreptum fuiſſe tanquam deſertorem ſanctæ fidei, quod quorundam piorum & bonorum virorum honorificam mentionem feciſſet, & crudeli ſupplicio affectum, ſenem admodum, & innocentiſſimum hominem: recordati fuimus quarundam ſententiarum poſitarum in epiſtolis ipſius, inter quas & hæc eſſet: *Chriſtianum hominem eſſe me, atque eum, qui, ſi uſu veniat, pro Chriſto emori poſſim.* Pontificiæ itaque horum temporum immanitatis in Aonio quoque adverſus Jeſum Chriſtum, ut in uno membro corporis hujus, veſania ſuam vim poteſtatemque exercuit. Fuiſſe autem Aonii diſciplinam domeſticam quoque ad pietatem Chriſtianæ fidei accommodatam, declarat Epigramma ab ipſo factum, quo mortuæ conjugis memoriam cum triſti quidem deſiderio, ſed mentione religioſiſſima proſequitur, idque & ipſum adſcribendum putavimus: *Ni mihi ſpem Chriſtus fecerit*, &c. legitur id L. 4. Ep 25.

Joſias Simlerus in Bibliotheca.

Aonius Palearius Verulanus, ſcripſit de Animorum immortalitate libros tres verſibus heroicis, Epiſtolarum libros quatuor, Orationes duodecim. Senex, propter confeſſionem Chriſtianæ Religionis, Romæ anno 1570. capite multatus dicitur.

Matthias Flaccius Illyricus in appendice ad Catalogum teſtium veritatis, ſub finem.

Hunc (Pium IV.) excepit Pius V. qui ſeptem annis ſedit.

Acer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Acerbiſſimus eorum inimicus qui jugum papale excutere vel minimum nitebantur: ita ut aliquot inſigni pietate Viros igni comburendos commiſerit; inter quos merito nominandi Julius Zoannetus, Petrus Carneſecus, Bartholom. Bartoccius, Aonius Palearius Verulanus, vir doctiſſimus, qui dixerat, Inquiſitionem papalem & Hiſpanicam, eſſe ſicam diſtrictam in jugula eruditorum.

Julius Cæſar Scaliger in Hypercritico.

Aonii materia illuſtris, eademque difficilis. Quare ſtylum quoque ſui ipſius diſſimilem fuiſſe par eſt. Aſſurgit ergo interdum, neque negligit figuras: alias ſerpit humi, docere contentus. Adeo vero fuit ſuperſtitioſus, ut etiam hemiſtichia quædam reliquerit imperfecta. quæ quia neglexit ipſe facere integra, ne nobis quidem in hiſce eſt ſatagendum: ac neque in ceteris: quum ipſum conſtet ad Lucretii amuſſim omne opus ſuum direxiſſe.

Gerardus Joannes Voſſius L. 2. de Arte Grammatica C. 31.

Verum eſt, palus produci ab Horatio in Arte, quem & imitatus Aonius Palearius lib. 2. divini, eoque immortalis carminis, quod fecit de Animorum immortalitate.

Daniel Georgius Morhofius L. 1. Polyhiſt. literar. C. 23.

Vixit circa id tempus Aonius Palearius, cujus editæ ſunt Orationes & Epiſtolæ, quæ feliciter adeo exprimunt Ciceronem, tum qua dictionem tum qua numeros, ut dubitem, an præferendus illi aliquis ſit. Paucis, quod miror, etiam Viris doctis & acerrimis Latinitatis cenſoribus cognitus iſte autor fuit; ſed meretur profecto inter præcipuos numerari. Hic mihi quis diſcrimen imitationis videat: nam longe aliter ſonat, quod Palearius ſcribit, quam Longolius, & alii inepti Ciceronis imitatores.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

SERIES OPERUM
AONII PALEARII.

ORATIONES	pag. 1
Ex Oratione M. T. Ciceronis pro L. Muræna	7
Oratio I. *in L. Murænam*	13
II. *pro Antonio Bellante*	46
III. *pro ſe ipſo*	73
IV. *de laudibus eloquentiæ*	98
V. *de republica*	108
VI. *de concordia civium*	117
VII. *de prudentia*	127
VIII. *de optimis ſtudiis defenſis*	134
IX. *de juſtitia*	142
X. *de fortitudine*	150
XI. *de Temperantia*	159
XII. *de Felicitate*	167
XIII. *de ratione ſtudiorum ſuorum*	176
XIV. *de pace.*	185
ACTIO *in Pontifices Romanos & eorum Aſſeclas*	199
EPISTOLÆ	399
Ad Epiſtolas A. Palearii acceſſio nova	555
Index eorum qui has epiſtolas ſcripſerunt	567
de IMMORTALITATE ANIMORUM	569
POEMATIA *varia.*	633

AONII

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

AONII PALEARII
VERULANI
ORATIONES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

FERDINANDO SANSEVERINO ARAGONIO.

Optimo Principi Salernitanorum,

Aonius Palearius Verulanus
S. P. D.

Etsi non magni refert ad colendam amplitudinem & gloriam tuam, quo quiſque loco natus ſit, aut ubi habitet: quòd ea lux, is ſplendor eſt tuæ virtutis, ut longiſſimè quoque eluceat: nihil tamen mihi obfuiſſet in ea urbe naſci, in qua majores mei te & patrem tuum, cœleſtem virum, & avos maxime illuſtres, ſumma obſervantia coluerunt. Etenim ſi orbes illi divinis animati mentibus, qui volvuntur ſtellarum curſibus ſempiternis, plus habent celeritatis & virium, quò extimo globo ſunt propiores, in quo maximus ille eſt, qui agens & propellens cæteros, præeſt univerſis: an ſi contigiſſet, ut ego in ea urbe natus eſſem, & educatus, in qua tu veluti Sol princeps & moderator luminum, accendis atque excitas omnium mentes, non aliquid mihi acceſſiſſet virium & ornamentorum? Fuiſſent tua in me beneficia, ſicuti in alios cives, neque exigua, neque vulgaria: effudiſſet ſe in me quotidie plurimum luminis, & benignitatis tuæ: & ex iis ſtudiis quæ per te pulcherrimè vigent in civitate, aliquid ego fortaſſe con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſecutus eſſem, ne ad gratiam tuam mihi conciliandam ab omnibus rebus venirem imparatus. Quæ cohortationes meorum fuiſſent? quæ vigiliæ & lucubrationes meæ? quod ſtudium laudis, ut optimo principi placerem? Quibus rebus deſtitutus, cùm ea in me non eſſent, quæ maximè voluiſſem: ſatis mihi facere videbar, ſi te animo ſanctiſſimè colens, vel in Latii ſolitudine, vel in Hetruriæ finibus laterem. In quo conſilio permanſiſſem, niſi mei de Immortalitate animorum libelli cum me imprudente exiſſent, commonſtraſſent familiæ nomen: & Vincentius Martellus, magna vir humanitate, cùm Lucæ eſſet, & cœnaret apud Martinum Lilium, juvenem ſtudioſum omnium ingenuarum artium, de Peleariis gentilibus meis multa honorificè proſecutus, ſpem mihi feciſſet, ſi literis ſignificarem hanc animi propenſionem in amplitudinem tuam, fore eam tibi gratam & jucundam. quod ut libentius facerem, cohortabatur, etſi nihil ſanè haberem, quod ſumma ſapientia virum valde delectare poſſet, ut orationes meas ad te mitterem. Dii faciant, ut quàm ille amanter conſilium dedit, tam mihi ea res bene & feliciter eveniat. Prodeunt ergo orationes in lucem, tibi conſecratæ: in quibus unum eſt ornamentum, quòd Principi nobilitatis & virtutis dicatæ ſunt. aliud præterea non video, niſi illud quoque acceſſerit ad me beandum, ut audiam aliquando fuiſſe tibi non injucundas, & ab invidorum obtrectatione defendi patrocinio tuo:
quod

quod optatum & dulce tanti mihi erit, quanti vix magnorum Regum & Imperatorum omnium clientelæ. quorum cauſas, quoniam tu autoritate tua ſuſtinere, & perturbata ſeditionibus regna non modò armis, ſed eloquentia tueri & reconciliare ſoles: nihil eſt mirandum, ſi cùm in iſta gloriæ luce vivas, & tantum tui nominis ſit ubique, in animum induxi meum, ſi tibi uni orationes iſtæ probabuntur, fore eas non modò Italis noſtris acceptas, ſed apud omnes gentes & nationes gratioſas, ob præſtans judicium, ſingularemque excellentiam & divinitatem ingenii tui. Vale. Cal. April. Lucæ.

ORGETORIX SPHINTER

Carolo Laureno S. D.

Cùm proximè ex urbe in Germaniam veniſſem, vidi in manibus doctorum hominum eſſe orationem Aonii Palearii in L. Muranam, quam ſuperiore menſe Mediolani legeram cum tanta animi mei voluptate, quanta ſoleo illius omnia. Quid quæris? eadem audivi, quæ Mediolani. qui præſtanti judicio ſunt, aſſerunt, ſi reviviſcat M. Tullius, iturum eum in Aonii ſententiam, ſi judex detur, condemnaturum eſſe Muranam. Qui obſervantiſſimi ſunt puræ caſtæque elocutionis, ajunt, ſe non dubitare, ſi optimis illa temporibus, quibus lingua Latina floruit, ſic ſcripta fuiſſet, futu-

ram fuiſſe in honore & precio. Laudant omnes dicendi genus ſeverum & grave, numerum in cœlum tollunt: laudant ſuavitatem ingenii, quod antiquum obtineat, & repræſentet mirificum civem Romanum: quòd Reipub. timeat, quòd augeat periculum: quòd vereatur, ne abſoluto Murænа milites, qui poſthac duces ſequentur, incendant Imperatores pravis cupiditatibus: quòd omnibus veſtigiis aſſequatur & divinet interitum libertatis. fingat tamen, qui legit, ſe eo tempore eſſe, quo judicium illud fuit: quo maximè hæc dici vel potuerunt, vel debuerunt. Henricus noſter, qua eſt diligentia, perlecta omni M. Tullii oratione pro Muræna, obſervavit ſingillatim ea, quibus Cicero conabatur traducere mentes judicum, argumenta: ſingillatim in jus civile, & diſciplinam Stoicam, omniaque veluti in tabulas accepti & expenſi retulit, ut quivis videat quàm diligenter ad omnia ſit reſponſum. Si ad Aonium ſcribis, obſecro ſignifices, vulgatam propè eſſe orationem. Quid expectat? niſi occurrit, prædico propediem exituram: ſuæ prudentiæ eſt, ut oratio emendata ad typographos veniat. Roges etiam meo nomine, ne Henricum contemnat: aut enim Henrici collectio, aut tota M. Tullii oratio præmittenda eſt: ut iis in promptu ſit, qui noſſe velint, quibus argumentis juriſperitorum facultas, & Stoicorum diſciplina oppugnatur, quibus rationibus defenditur. puto hac re imminui laborem ſtudioſorum. Pèrmagni enim refert, ſi quid eſt conquirendum, an libellus ſit in manibus, an petendus aliunde. Colonia, Idibus Januariis. Vale.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

EX ORATIONE
M. T. CICERONIS
PRO L. MURAENA.

Quæ precatus ſum à Diis immortalibus, Iudices, more inſtitutoque majorum illo die quo auſpicatò comitiis centuriatis L. Murænam conſulem renunciavi, ut ea res mihi magiſtratuique meo, populo, plebique Romanæ, bene atque feliciter eveniret: eadem precor ab iiſdem diis immortalibus, ob ejuſdem hominis conſulatum unà cum ſalute obtinendum: & ut veſtræ mentes atque ſententiæ cum populi Romani voluntate, ſuffragiiſque conſentiant: eaque res vobis populoque Romano pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat. Quòd ſi illa ſolennis comitiorum precatio conſularibus auſpiciis conſecrata, tantam habet in ſe vim & religionem, quantum Reipublicæ dignitas poſtulat: idem ego ſum precatus, ut iis quoque hominibus, quibus hic conſulatus me rogante datus eſſet, ea res fauſtè, feliciter, proſpereque eveniret.

Et primùm M. Catoni vitam ad certam rationis normam dirigenti, & diligentiſſimè perpendenti momenta officiorum omnium, de officio meo reſpondebo. Negat fuiſſe rectum Cato, me & conſulem, & legis ambitus latorem, & tam ſeverè geſto conſulatu, cauſam L. Murænæ attingere.

A quo tandem, M. Cato, eſt æquius conſulem defendi, quàm à conſule? Quòd ſi in iis rebus repetendis quæ mancipii ſunt, is periculum judicii præſtare debet, qui ſe nexu obligavit: profectò etiam rectius in judicio conſulis deſignati, is potiſſimum conſul, qui conſulem declaravit, auctor beneficii populi Romani, defenſorque periculi eſſe debebit.

Negat eſſe ejuſdem ſeveritatis, Catilinam exitium Reipublicæ intra mœnia molientem, verbis & penè im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

perio urbe expuliſſe, & nunc pro L. Muræna dicere, Ego autem has partes lenitatis & miſericordiæ, quas me natura ipſa docuit, ſemper egi libenter: illam verò gravitatis, ſeveritatiſque perſonam non appetivi, ſed à Republica mihi impoſitam ſuſtinui, ſicut hujus imperii dignitas in ſummo periculo civium poſtulabat.

Objecta eſt Aſia, quæ ab hoc non ad voluptatem & luxuriam eſt expetita, ſed in militari labore peragrata.

Saltatorem appellat L. Murænam Cato.

Atque hæc quanquam præſente L. Lucullo loquar, tamen ne ab ipſo propter periculum noſtrum conceſſam videamur habere licentiam fingendi, publicis literis teſtata ſunt omnia: quibus L. Lucullus tantum laudis impertit, quantum neque ambitioſus imperator, neque invidus, tribuere alteri in communicanda gloria debuit.

Summam video eſſe in te, Servi Sulpiti, dignitatem generis, integritatis, induſtriæ, cæterorumque ornamentorum omnium, quibus fretum ad conſulatus petitionem aggredi par eſt. Paria cognoſco eſſe iſta in L. Muræna: atque ita paria, ut neque ipſe dignitate vinci potuerit, neque te dignitate ſuperarit. Contempſiſti L. Murænæ genus, extuliſti tuum: quo loco ſi tibi hoc ſumis, niſi qui patricius ſit, neminem bono eſſe genere natum, facis ut rurſus plebs in Aventinum ſevocanda eſſe videatur. Omittamus igitur de genere dicere, cujus eſt magna in utroque dignitas.

Qui poteſt dubitari, quin ad conſulatum adipiſcendum multo plus afferat dignitatis rei militaris, quàm juris civilis gloria? omnes enim artes, quæ nobis populi Romani ſtudia conciliant, & admirabilem dignitatem, & pergratam utilitatem debent habere, ſumma dignitas eſt in iis qui militari laude antecellunt.

In Juriſperitorum Scientiam.

Primum dignitas in tam tenui ſcientia quæ poteſt eſſe?

ſe? res enim ſunt parvæ, propè in ſingulis literis atque interpunctionibus verborum occupatæ. Deinde, etiam ſi quid apud majores noſtros fuit in iſto ſtudio admirationis, id enunciatis veſtris myſteriis totum eſt contemptum & abjectum. Poſſet agi lege, nec ne, pauci quondam ſciebant: faſtos enim vulgo non habebant.

Erant in magna potentia qui conſulebantur, à quibus etiam dies tanquam à Chaldæis petebantur. Inventus eſt ſcriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit: itaque irati illi, quòd ſunt veriti, ne dierum ratione pervulgata & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quaſdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent.

Fundus Sabinus meus eſt, immo meus. deinde judicium: noluerunt. Fundus, inquit, qui eſt in agro, qui Sabinus vocatur, ego eum ex jure meum eſſe ajo. Quid tum? inde ego te ex jure manu conſertum voco. Tranſit idem juriſconſultus tibicinis Latini modo: Unde tu me, inquit, ex jure manu conſertum vocaſti, inde ibi ego te revoco. Prætor interea ne pulchrum ſe ac beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoque carmen compoſitum eſt, cùm cæteris rebus abſurdum, tum verò nullo uſu. Utriſque ſuperſtitibus præſentibus iſtam viam dico: Inite viam: præſtò aderat ſapiens ille, qui inire viam doceret: Redite viam: eodem duce redibant.

Cum permulta præclarè legibus eſſent conſtituta, ea jureconſultorum ingeniis pleraque corrupta & depravata ſunt. Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii majores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt: hi invenerunt genera tutorum, quæ poteſtate mulierum continerentur.

Sacra interire noluerunt, horum ingenio ſenes ad coemptiones faciendas interimendorum ſacrorum cauſa reperti ſunt.

In omni denique jure civili æquitatem reliquerunt, verba ipſa tenuerunt: ut quia in alicujus libris exem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

pli cauſa id nomen invenerant, putarunt omnes mulieres quæ coemptionem facerent Cajas vocari.

Jam illud mihi quidem mirum videri ſolet, tot homines, tam ingenioſos, per tot annos etiam nunc ſtatuere non potuiſſe, utrum diem tertium an perendinum, judicem an arbitrum, rem an litem dici oporteret.

Dignitas in iſta ſcientia conſularis nunquam fuit, quæ tota ex rebus fictis, commentitiiſque conſtaret: Gratiæ verò multo etiam minus. Quod enim omnibus patet, & æquè promptum eſt mihi, & adverſario meo id eſſe gratum nullo pacto poteſt.

Sapiens exiſtimari nemo poteſt in ea prudentia, quæ neque extra Romam uſquam, neque Romæ rebus prolatis quidquam valet.

Peritus ideo haberi non poteſt, quòd in eo quod ſciunt omnes, nullo modo poſſunt inter ſe diſcrepare.

Difficilis res non putatur, quòd & perpaucis, & minime obſcuris literis continetur.

In Disciplinam Stoicam.

In M. Catone, Judices, hæc bona quæ videmus divina & egregia, ipſius ſcitote eſſe propria: quæ nonnunquam requirimus, ea ſunt omnia non à natura, ſed à magiſtro. Fuit enim quidam ſummo ingenio vir Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur: hujus ſententiæ ſunt, & præcepta ejuſmodi. Sapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujuſquam delicto ignoſcere. Neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum & levem. Viri non eſſe neque exorari, neque placari. Solos ſapientes eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, formoſos: ſi mendiciſſimi, divites: ſi ſervitutem ſerviant, Reges. Nos autem qui ſapientes non ſumus, fugitivos, exules, hoſtes, inſanos denique eſſe dicunt. Sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, ſententiam mutare nunquam.

Hæc homo ingenioſiſſimus M. Cato, auctoribus eruditiſſimis inductus arripuit: neque diſputandi cauſa, ut

ut magna pars, ſed ita vivendi. Petunt aliquid publicani: cave quidquam habeat momenti gratia. Supplices aliqui veniunt miſeri, & calamitoſi: ſceleratus fueris, & nefarius, ſi quidquam miſericordia ductus feceris. Fatetur aliquis ſe peccaſſe, & ejus delicti veniam petit: nefarium facinus eſt ignoſcere.

Iſti ipſi mihi videntur veſtri præceptores, & virtutis magiſtri, fines officiorum paulo longius quàm natura vellet protuliſſe, ut cum ad ultimum animo contendiſſemus, ibi tamen, ubi oporteret, conſiſteremus. Nihil ignoveris: immò aliquid, non omnia. Nihil gratiæ cauſa feceris: immò reſiſtito gratiæ, cum officium & fides poſtulabit. Miſericordia commotus ne ſis, etiam in diſſolvenda ſeveritate: ſed tamen eſt laus aliqua humanitatis. In ſententia permaneto: enimvero, niſi ſententia alia vicerit melior.

Agit mecum auſterè & ſtoicè Cato: negat verum eſſe allici benevolentiam cibo: negat, judicium hominum in magiſtratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere. ergo ad cœnam petitionis cauſa ſi quis vocat, condemnetur. Quippe, inquit: tu mihi ſummum imperium, ſummam autoritatem, tu gubernacula Reipublicæ petas fovendis hominum ſenſibus, & deliniendis animis, & adhibendis voluptatibus? utrum lenocinium, inquit, à grege delicatæ juventutis, an orbis terrarum imperium à populo Rom. petebas? Horribilis oratio, ſed eam uſus, vita, mores, civitas ipſa reſpuit.

Quae Ad Crimen Ambitus Spectant.

Nunc mihi tertius ille locus eſt orationis de ambitus criminibus, perpurgatus ab iis qui ante me dixerunt, à me, quoniam ita Muræna voluit, retractandus. Quo in loco Poſthumio familiari meo, ornatiſſimo viro, de Diviſorum indiciis, & deprehenſis pecuniis, adoleſcenti ingenioſo & bono Ser. Sulpitio de equitum centuriis, M. Catoni homini in omni virtute excellenti de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

de ipſius accuſatione, de S. C. de Republica reſpondebo.

Tolle mihi è cauſa nomen Catonis, remove ac prætermitte autoritatem, quæ in judiciis aut nihil valere, aut ad ſalutem debet valere, congredere mecum criminibus ipſis.

Dixiſti S. C. me referente eſſe factum. Si mercede corrupti obviam candidatis iſſent, ſi conducti ſectarentur, ſi gladiatoribus vulgò locus tributus, & item prandia ſi vulgò eſſent data, contra legem Calpurniam factum videri.

Multi obviam prodierunt de provincia decedenti, conſulatum petenti: ſolet fieri: eccui autem non proditur revertenti? quæ fuit iſta multitudo? Primùm ſi tibi iſtam rationem non poſſum reddere, quid habet admirationis, tali viro advenienti candidato conſulari obviam prodiſſe multos? Quid ſi etiam illud addam, rogatos eſſe multos? quid ſi omnes ſocietates venerunt? quarum ex numero multi hic ſedent Judices. quid ſi multi homines noſtri ordinis honeſtiſſimi? quid ſi illa officioſiſſima, quæ neminem patitur non honeſtè in urbem introire, tota natio candidatorum? ſi denique accuſator noſter Poſthumius obviam cum bene magna caterva ſua venit? omitto clientes, vicinos, tribules, exercitum totum Luculli.

At ſpectacula ſunt tributim data, & ad prandium vulgò vocati: etſi hoc factum à Muræna omnino Judices non eſt, ab ejus amicis autem more & modo factum eſt.

Præfectum fabrûm ſemel locum tribulibus ſuis dediſſe.

Non igitur ſi L. Natta ſummo loco adoleſcens, qui & quo animo jam ſit, & qualis vir futurus ſit, videmus, in equitum centuriis voluit eſſe, & ad hoc officium neceſſitudinis, & ad reliquum tempus gratioſus, id erit ejus vitrico fraudi, aut crimini.

Nec ſi virgo veſtalis, hujus propinqua & neceſſaria, locum ſuum gladiatorium conceſſit huic: non & illa piè fecit, & hic à culpa eſt remotus.

Nunc idem ſqualore ſordidus, confectus morbo, lacrymis & mœrore perditus, veſter eſt ſupplex, Judices, veſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem ac veſtras opes intuetur, &c.

A O-

Aonii Palearii Verulani
ORATIO I.
IN L. MURAENAM AD JUDICES.

Scripta ad Exercitationem.

NUNQUAM ego putavi, Iudices, cum vel fortiſſimus vir civitatis C. Piſo legem de ambitu ferret, vel M. Tullius reſtituendam curaret ſumma contentione, ludibrio læſum iri dignitatem populi Romani: quæ ſi iis tam chara eſſet, quàm ſolent prædicare, qui primo quoque verbo Patres patriæ, cuſtodes libertatis, conſervatores fortunarum noſtrarum appellari volunt, nunquam profectò L. Muræna conſul niſi ſalvis legibus renunciatus, ac defenſus fuiſſet. Quòd ſi comitiis & auſpiciis conſularibus conſecrati hominis tanta habenda ratio eſt, ut in eum lege agi non liceat: quid opus fuit pro Calpurnia ſuperioribus annis tumultuoſis concionibus ad Bellonæ vocari populum Romanum? quid proximis menſibus Senatum haberi frequentem, & juratos etiam adhiberi, ut ſententiam fortiter & graviter dicerent de pœna augenda? In quem obſecro? ſi qui per ambitum conſulatum eſt adeptus, antequam ineat, his artibus ſe eripit, & tegit involucro religionis? Quaſi verò in ea civitate non ſimus, in qua ſæpe alii ſe conſulatu ultrò ſanctiſſimè abdicarunt, alii legibus coacti turpiſſimè ſunt dejecti. Nulla enim bona auſpicia ſunt contra patriam, & commune bonum: nulla firma comitia ſine legibus: nullo modo conſecrari poteſt is, qui primùm ſanctiones violat, ut ſit ſacroſanctus. Dii enim immortales, quorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

puræ ſimplicesque mentes, omnia perſpiciunt, ac vident: neque eos admittunt, neque cum iis communicant, quorum animi cupiditatibus infecti, & falli, & alios fallere conſueverunt. Quòd ſi ſolennis precatio tantam habet vim, ut ratum firmumque ſit, quod hoc ritu petitur: meminiſſe Judices debetis, Tribunos & Conſules conſecratos religione ſingillatim in lege iſta ferenda, quod fauſtum, felix, fortunatumque ſit Senatui, Populoque Romano, fuiſſe deprecatos. Quod ſi omen prærogativum tantum ſemper valuit, quantum ex Hetruſcorum diſciplina didicimus, & à patribus eſt obſervatum: nolite contemnere, iiſdem omnibus prius fuiſſe ſancitam legem, quàm conſulem declaratum Murænam. Sed per Deos, Iudices, quid hoc eſt? quid inſinuatio? quid commentatio præ ſe fert conſularis, niſi ambitum admiſſum? Quare ad huiuſmodi artes neceſſe fuit converti oratorem: qui ſi apertè concederet, ac deprecaretur, & veniam peteret, eſſet fortaſſe ferendus: nunc cum tam audacter neget, & temerè invehatur in M. Catonem, & Ser. Sulpitium, graviſſimos & ſapientiſſimos viros: non dubito, Judices, me bonis omnibus gratum eſſe facturum, ſi eorum cauſam ſuſcipiam, qui non tam accuſari Murænam, quàm comitia & legem ſanctiſſimam de ambitu defendi volunt. Quod primùm abs te M. Tulli ſi Cato deſideravit, non eſt mirandum. Tu ne, cum homo novus, ob opinionem integritatis ad conſulatum fuiſſes provectus: cumque principem juventutis & nobilitatis L. Catilinam, ut de conſulatu deturbares, legem Calpurniam aucta pœna reſtituiſſes: auſus es ejus cauſam ſuſcipere, qui de ambitu poſt eam legem primus ab integerrimis viris eſt accuſatus? Iſtuc factum M. Tulli (ita me Dii ament) nunquam non modò nobis, ſed ne tibi quidem probabis. puto enim te, nos putare tua virtute in hunc locum perveniſſe, non arte prenſandi, ac ſalutandi, &

com-

comparandi ſuffragatores: quam quia neſciret Sulpitius, eum à conſulatu decidiſſe perbellè arguis. in quo non poſſum non mirari vehementer, hominem in cauſis agendis exercitatum, imprudenter propè fuiſſe confeſſum, iis rationibus, quibus naſcitur ambitus, in comitiis fuiſſe ſuperiorem Muræнam: in quibus ſuperari ſe facile paſſus eſt Sulpitius. Quòd ſi his artibus viciſſet, neque Catoni, neque bonis cæteris amicus eſſe, neque abs te defendi ſe in animum poterat inducere. Nam quòd conſul eſſes, magis te legibus putabat obſtrictum, majorem habiturum fuiſſe rationem æquitatis, minus daturum amicitiæ: nunquam commiſſurum, ut qui per ambitum, & largitionem factus eſſet conſul, defendi ſe à laudato conſule ſperaret. An ſi L. Catilina Cos. deſignatus fuiſſet, verſareturque in eo periculo, in quo vides eſſe Muræнam: putaſſes ab eo, qui conſulatum gereret, defendendum? Nimirum facilè nobis placemus, aſſentamurque nobis ipſis: unde data eſt via, ut peccemus in omni vita. Fit aliquando, cum altercari cum aliquo incœperimus, & ab eo metuere, qui cum gerimus inimicitias, ut obſervemus clanculum quid agat, quibus cum ſit, quid in convivio iratus dicat, quid ſcorto receperit: quod etſi ſciamus non eſſe facturum, clamamus tamen, ut conjiciamus in voculas hominum, ut cogamus deſperationem in conſilium adhibere, & fortaſſe etiam indicta cauſa vel laqueo gulam frangimus, vel ſecuri percutimus: & gloriamur poſtea, quòd ſeveritatis perſonam à Republica nobis impoſitam pulcherrimè ſuſtinuerimus: & non potius res noſtras, & nos ipſos. Venit alter totus ex mendo compoſitus, humilis, demiſſus, abjectus, qui pro ſe cauſam dici vult: quid hunc recipimus? quid defendimus? quid amplexamur? ſcilicet ut miſericordiæ & lenitatis agamus partes? neque pudebit dicere, quicquid id flagitii eſt, facere nos hominibus & Diis approbantibus: quibus quoniam non poſſumus illudere, nihil

erit mirandum, ſi aliquando pœnitebit. Sed quoniam, Judices, qui ante me dixerunt M. Craſſus, Q. Hortenſius, M. Tullius, eloquentes viri, in rhetorum campis educati, non contenti fuerunt de crimine tantum dicere, ſed liberius vagari voluerunt, in quibus M. Tullius veluti aſſuetus in præliis equus, ferox ac terribilis, ut vidiſtis, nunc petebat Servium, nunc procurrebat in Catonem: liceat mihi obſecro, bona cum venia veſtra, antequam de ambitu dicam, non deſcendere in arenam, & certamen cum eo, qui ut de Pericle dicebatur, fulmen in lingua gerit: ſed veritatis ſuſtinendæ cauſa, verecundè & pudenter reclamare magno oratori, ne qui ad facultatem juris civilis, quæ per ſe honeſtiſſima eſt, & ſanctiſſima, aut ad Stoicorum diſciplinam, à ſummis philoſophis probatam & cultam, ſe conferre velint, hujus opera abducantur: ut optimis viris, & ſtudiis optimis defenſis, à bonis ineam gratiam: quòd nulla exercitatione dicendi, nulla eruditione, nullis opibus propriis, aut amicorum fretus, ſed æquitate & humanitate veſtra, Judices, non ſim veritus repugnare eloquentiſſimis, & conſularibus viris, & propter integritatem comitiorum inimicitias ſuſcipere cum L. Muræna graves & periculoſas: quem ſi tantum offendi putarem, multa M. Tulli in præſentia dicerem de Aſiæ rebus quæ præteribo: quibus fortaſſe concederes, non ineptum omnino fuiſſe Catonem, qui Aſiam objecerit. Nam omnes nos quidem ſcimus continentiam illam incredibilem eorum, qui cum Lucullo fuerunt in Aſia, & miram obſervantiam veteris diſciplinæ: quòd non utrem, non follem, non falculam quiſquam ſuſtulerit in tanta præda. quî id fieri potuit, niſi exemplo eorum, qui exercitui præerant? quam ob rem quis miretur, ſi in luxuriæ ſedibus & rerum omnium affluentia dicto audientes milites, non otium aut deſidiam, ſed ſigna ſecuti, bellum omne confecerunt? Ipſe verò legatus, quid? miror in his literis fuiſſe prætermiſſum, quæ datæ ſunt à Lu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Lucullo ad Senatum, dum alii omnes convivia inirent, ac ſaltarent, qua continentia ad focum ſedens, rapam coquebat, qua ſcilicet aſſueſceret cœnaturus aliquando in Apolline. Ex quo dubitavi ſæpe, an his literis teſtata ſint omnia, in quibus neque illud erat, ubi gentium L. Muræna fuiſſet eo tempore, cum jumenta illa onuſta auro impedimento fuere, ne Rex caperetur: cumque à noſtris militibus in Ponto collectis diligentiſſimè ſarcinis Mitridates effugit è manibus. Nam quòd ne teruncium quidem ex Aſia aſportaverit Muræna, vel illud argumento eſt, quòd à tribus magnis oratoribus certatim defenditur: neque interim unus aut alter rabula eſt in foro venalis, qui non adſit advocatus. Num hæc parva ſigna ſunt integritatis, & continentiæ? Quæ quoniam omnia tam nota ſunt populo Romano, quàm quæ maximè: venio ad dignitatem generis, in qua ſatis aſſecuti videmur, quòd parem orator, non ſuperiorem fecerit Murænam. Quouſque tandem Judices eloquentia iſte potens ac exultans ſperabit, & mentis & oculorum aciem nobis præſtringere? quid non audebit perſuadere? quid verebitur dicere is, qui genus patriciorum & equitum cum plebeio pari eſſe dignitate contendit? quæſo ne ita nos ſtolidos eſſe, & truncos, & ſtipites arbitretur, ut non intelligamus, cum Romulus ex omni civitate centum patres delegiſſet, eandem noluiſſe patricii generis & plebeji fore dignitatem. Quid Tarquinius, cum ſummo conſenſu populi Romani regnum obtinuiſſet, ut gratiam optimis referret, centum in patres legit? loca patribus & equitibus in Circo diviſit, ut honeſtiſſimè ludos ſpectarent: non putavit patricios & equites plus quàm cæteros affici ornamento? Quid cum L. Brutus, parens libertatis noſtræ, ex lectiſſimis equitibus, & patriciis trecentis Senatorum ſummam confeciſſet, voluit nihil intereſſe hos ab iis, qui in il-

lum ordinem non conſcriberentur ? Sunt & plebejis familiis honores magni, atque ampli : quis neget ? Quot patrum noſtrorum memoria de plebe accepimus magiſtros equitum, conſules, domi militiæque claros ? Quot nos vidimus, & quotidie videmus, de plebe delectos Imperatores curru aurato, patriciis plaudentibus, congratulantibus equitibus, Capitolium aſcendere ? quos non deprimimus, cum laudamus patricium genus, & equeſtre : tantumque abeſt ut ob has laudes plebs rurſus in Aventinum ſecedat, ut proximis ſuperioribus annis per M. Cottam non obſcurè tulerit, ne equites ſoli, ſed & patricii quoque judicarent. Novit enim plebs Romana uſu quotidiano ex antiquis familiis, veluti ex ſeneſcentibus arboribus ſæpe eſſe traduces, qui non modò patrum & avorum dignitatem vultus, & corporis formam referant, ſed antiquos mores, & animi effigiem non mutam. M. Scaurus cùm vetuſtiſſima familia ortus eſſet, & patrem & avum proavumque habuiſſet obſcuros & tenues, intermortuam generis & virtutis exuſcitavit nobilitatem. An P. Scipio, cùm per ætatem non liceret, ampliſſimos magiſtratus aſſecutus, & cum imperio miſſus ad bellum ingens & periculoſum fuiſſet, niſi ſplendor generis magnam concitaſſet expectationem & opinionem virtutis ? Quòd ſi in belluarum fœtibus permagni refert, ex qua ſobole catuli ſint : nihil intereſſe putas in hominum genere, in quo mentem ipſam ſæpiſſimè transfundi videmus ? Neque hæc ignorat Cicero : ſed id incommodi afferunt ſemper homines novi, ubi in altiorem locum provehuntur, ut nullis finibus ſe contineant: at, veluti cum Senatu pugnarint, jactent ſe refregiſſe clauſtra nobilitatis. Fuit C. Marius fortiſſimus vir, & propè cœleſtis : is Jugurtinum bellum confecit, Teutonas & Ambronas fudit, Cimbros delevit : eas tamen in Republica turbas fecit,

fecit, eas ſtrages dedit, ut non minus patricii ad ædem Veſtæ, quàm ad aquas Seſtias barbari ſanguinis ſit fuſum. Quod non eò dico, ut judicium & æquitatem populi Romani improbem, qui voluit ſemper aditum virtuti patêre ad omnes honores: ſed ut contendam, illiberaliter facere eos, qui ſeditionem alunt in civitate, qui negant ab illuſtribus viris aliquid proficiſci ad poſteros, quo nobilitas ſit præferenda. Unde verò tandem Decios, Calpurnios, Marcellos, Scipiones, & cætera robora illa Reipublicæ habuimus? ex quibus nati, ſi tales ſunt qualis Sulpitius, ingrati eſt eorum in comitiis non meminiſſe, invidi ſplendorem contemnere, improbi non admirari virtutem: de qua diutiſſimè dicere poteram, & quidem debebam optime Servi: dicam tamen breviſſimè, quòd unam omnes veluti divinum quiddam videant elucere ſanctitatem tuam. fides, pudor, juſtitia, temperantia te ſic illuſtrem facit, ut nihil indigeas luce orationis. Quare non Sulpitio, ſed virtuti putat Cato fieri injuriam: negat verò diu ſalvam Rempublicam eſſe poſſe, in qua dignior conſulatu habeatur, qui cum hoſtibus aliquando dubio marte contenderit, quàm is qui cum cupiditatibus explorata victoria pugnarit, & vicerit ſemper. Magis ab iis periculum eſſe Reipublicæ clamat, qui per diviſores populum corrumpunt, qui leges negligunt: quàm à Regibus ipſis, quibus cum hoc tempore Cn. Pompejus bellum gerit. Fuit patrum noſtrorum memoria in Italia Pyrrhus, tentaturus quid ferret ſors, quem hera regnare voluiſſet: fuderat exercitum noſtrum, ac fugarat. domi tamen integritas Fabricii, Appii fortitudo, Curii continentia erat: quas expertus hoſtis, & admiratus, victus abiit: quòd ii eſſent homines Romæ, quibus dii immortales ſuperiores eſſe non poſſent. Fuit in Italia Annibal multos annos, & propè omnia occuparat, præter integritatem &

prudentiam civium : quorum uno conſilio Scipio in Africam miſſus eſt, & Italia belli terroribus liberata. Quo in loco libenter iſtos rogarim, qui ad rem bellicam omnia referunt : quid P. Scipionis ad Ticinum? quid T. Sempronii ad Trebiam? quid C. Flaminii ad Thraſimenum concurſus cum magnis copiis, profuit populo Romano? C. Minutii ferocia damnum attulit, C. Terentii ſtudium pugnandi ignominiam & calamitatem Cannenſem : quid ipſe Q. Fabius Maximus armis? quid Claudius Marcellus virtute illa militari efficere tandem potuit? erat nihilo ſecius in Italia Annibal, omnia ferro ignique vaſtabat. Unum illud conſilium prudentiſſimorum civium, qui ad gubernacula Reipublicæ ſedebant, magnum imperatorem, qui in Hiſpania victor per Pyreneum & Galliam vi erumpens, per anguſtias Alpium, per convalles gelu & pruina rigentes, per juga altiſſima nive obducta, & præcipites rupes peditum octoginta, equitum millia decem traduxerat : tot poſtea rebus feliciter geſtis unum, unum conſilium fregit, fugavit, Italia expulit. Eſt quidem Africani nomen illuſtrius, quàm eorum qui conſilium dederunt : non tamen propterea negandum, iſtos ipſos fuiſſe autores omnium commodorum. Iiſdem conſultoribus bellum geſtum eſt contra Antiochum, & Græcia provincia decreta eſt L. Scipioni : de quo cum Senatus dubitaret, an belli molem poſſet ſuſtinere, ſtatuit, ut legatus fratri Africanus proficiſceretur : quo conſilio Antiochus victus, omnibus provinciis citra Taurum montem ceſſit. Quis hic non videat prudentiam civium, expendentem munia Imperatorum? à quibus ſi præclara quædam proficiſcuntur, & ex urbana prudentia optimi Imperatores : quis neget, armis imperatoriis urbanam togam anteponendam? An non hac ratione Deos ipſos colimus? fatemurque autores omnium rerum,

rum, quæ à nobis geruntur: quòd mentem & conſilium ſuum nobis impertiant? Quid Senatus frequens? quid conciones ad populum? nonne concilia quædam videntur Deorum immortalium, quæ ab Homero & antiquiſſimis poëtis deſcribuntur? Dicunt illi ſententias graves, & ex fati firmitudine regunt orbem terrarum: agunt Senatores & conſulares viri de Republica, & ex legum conſtantia tot urbes, tot gentium regna, tot nationum provincias moderantur: mittuntur, ſi quando opus eſt, non vulgares Dii cum mandatis ad Priamum, ad Agamemnonem, ad primores Argivorum: perferunt legati populi Romani mandata ad Reges & principes civitatum, quæ ad Orientem & Occidentem ſolem ſpectant. Illi ſæpe religione violata, concitatis tempeſtatibus fruges perdunt, pecora exterminant, urbes delent: læſa dignitate populi Romani, jubentur veluti miniſtri & aſſeclæ voluntatis Senatus, maturè cum exercitu exire Imperatores, qui excurſionibus agrum vaſtent, diripiant pecuaria, oppida evertant. Qui & quales hi ſunt viri, qui hæc mandare poſſunt imperatoribus? Ex his unus eſt, atque ampliſſimus, Sulpitius, qui cùm multos abhinc annos ad Rempublicam acceſſiſſet, arbitrabatur ſe aliquanto digniorem eſſe in petitione conſulatus militari homine, qui forum nunquam attigiſſet. Ea de re declamavit, ut vidiſtis Judices, is, qui multis viris nobilibus prælatus eſt ob hæc ipſa ſtudia urbana, & civilem prudentiam, ſenatoriamque dignitatem: quam cùm Sulpitius ſcientia juris civilis honeſtaſſet, putabat aliquid habere ſe quod non obeſſet petitioni conſulatus. Nam cum à pueritia gloriæ deſiderio arderet, ut omni genere laudis excelleret, cùm diligenti obſervatione oratorum noſtrorum, tum imitatione Atticorum hominum caſtum, purum, cultumque dicendi genus aſſecutus eſſet, totum ſe, ut ex ar-

te diceret, ad Græcorum rhetorum præcepta convertit. Athenas profectus, auditis oratoribus Græcis, ad philoſophiam quoque animum appulit, & liberales artes: in quibus partitionem non fecit, ſed univerſas eſt complexus. ex quibus vix credibile eſt, quæ ornamenta & adjumenta in urbem reportarit. quæ ab illo ſcripta ſunt eo tempore, ſunt in manibus omnium. Poterat iis eſſe contentus, niſi magnitudine ingenii noluiſſet in ſecundis conſiſtere. Utebatur familiariter Scævola: quem cùm ſapientem haberi & eſſe intelligeret, ejus monitu non ſatis dignum putavit oratorem cui primæ deferrentur, qui vel injuria, vel jure aliquod factum contendat: & ipſe ignoret quid jus ſit, quid æquum, qui ſenſus latorum legum. quod ſi turpe eſt argentarium menſis palàm propoſitis, cùm pecunia numeranda eſt, currere ad fœneratorem, & verſuram facere: an oratori erit honeſtum, cùm cauſa dicenda eſt, curſare ad juris peritum, ut ejus opera utatur? Philoſophiam in oratore Hermagoras requirebat: an earum rerum peritiam, quæ quotidie verſantur in foro contempſiſſet? hoc conſilio jus civile didicit: at in ætatis maturitate nihil ſibi putavit antiquius, quàm prodeſſe civibus ſuis. quare ad jus ſcribendum animum adjunxit, quo ſine nullam putat ſtare poſſe rempublicam. Tulit id graviter M. Tullius, quòd relictis ſtudiis oratoriis veluti minoribus, pluris facere Servius videretur ſcientiam juris peritorum. Diſſimulavit aliquando, ſed occaſionem nactus tandem erupit: invectus eſt, & cavillatione uſus liberius quàm deceret conſulem populi Romani. Quid ergo eſt? fuerunt illa quidem à Cicerone contra juriſperitos luculenter, fuerunt ingenioſe dicta, fateor: oſtendit in his Cicero aciem ingenii ſui, confiteor: perſuaſit etiam quibuſdam, quod eſt finis oratoris, fortaſſe: at ſi falſa eſſe contendam, non facio injuriam. neque enim orato-

toris officium eſt vera dicere, ſed appoſitè dicere ad perſuadendum: verſatur enim orator ſæpiſſimè in eo, quod dialectici & rhetores probabile appellant. Colligam tamen omnia ſtrictim, quod de M. Catonis ſtudiis etiam, de lege ambitus, de accuſatione eſt dicendum. Ridet M. Tullius Cicero juriſperitos, & ſuſpirat M. Porcius Cato: ſuſpirat, & quid inquit? Dii immortales quàm ridiculum conſulem habemus: quibus paucis, præclaroque ſuſpirio, putabat Servius ſatis fuiſſe reſponſum. Sed occurro ego deſiderio & expectationi multorum, Judices. Quid primùm objicit? obſervatione dierum vulgata à Cn. Flavio ſcriba, imminutam eſſe autoritatem & exiſtimationem juriſperitorum: nunquam mehercule jureconſulti in eo poſitas juris fortunas putarunt, ut ab editione dierum jus penderet: cùm commune quicquam nihil habeant dies cum ratione juris. id facilè probant, quòd in juris definitionem dies non cadat. An non hoc illi ſimillimum eſt? tribulis meus homo agreſtis, ſed non indoctus, ſanctiſſimos putat eſſe pontifices, quòd dibaphum induant: num ſi omnes dies faſti eſſent, jus eſſet minus ſanctum? num minor eſſet autoritas juriſperitorum? jus ipſum per ſe ſanctum eſt, natum, profectum ab æternis illis mentibus, quæ in nos ſæpe ultrò ſe transfundunt, & monent quid rectum, quid juſtum ſit: ut honeſta imperemus, prohibeamus contraria. Deos ipſos non videmus, ſed hanc eorum præpotentem vim ſæpe in animis ſentimus, ita ut ardeamus aliquando ira, ſi quid injuſtè fieri videmus: lætemur, ſi quid ſit benefactum: damnemus culpam, defendamus innocentiam, virtutes præmiis, vitia ſuppliciis digna judicemus: hoc quicquid eſt, divinum profectò eſt. Quòd ſi, veluti Deorum interpretes explicant appoſitè, & nobis enunciant juriſconſulti, quis neget magna eos eſſe ſanctitate, & ſumma debere apud omnes eſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſe exiſtimatione? Proximum huic caput eſt, quo formulas Jureconſultorum veterum ridet. Dolent juriſperiti non ſe, ſed optima & aurea tempora indigniſſimè rideri, ab eo præſertim, à quo minimè erat expectandum: quæ ſi riſu digna eſſent, non tamen ridendum putant jus civile. nam formulæ multæ immutatæ ſunt, & poſſunt immutari quotidie: abeunt & redeunt dicendi modi: ſtabile tamen jus eſt, & firmum, quandiu humanum genus rationis eſt particeps. Quòd verò queritur formulas & notas præſcribi à juriſperitis, ut omnibus rebus interſint: queritur præter æquum & bonum. eſt enim id profectò perquàm neceſſarium. Nam ſi cuique eſſet integrum ſcribere ac dicere ex animi ſui ſenſu, controverſiis nullus eſſet modus: vix cùm in anguſtiſſimum locum res adducta eſt, ut formulis ipſis & compoſitis notis omnia diſtinguantur, id poſſumus aſſequi, ne ex ſcripto litigent homines, ne quotidie manum & ferrum conferant. Dii boni, quæ turbæ eſſent, ſi petitiones, reſponſiones, pacta, conventa, ſtipulationes, teſtamenta, judicia nullis cancellis continerentur? an non hoc eſſet homines revocare ad ſylvas? Atque ut ad ſingula appoſitè cum juriſperitis reſpondeam, rejeci in hunc locum, quòd tenuem ſcientiam appellavit juriſperitorum: quòd res parvæ ſunt, propè in ſingulis literis, atque interpunctionibus verborum occupatæ. Quod ſi hic tantum exprobraſſet M. Tullius, ajunt ſe id potuiſſe ferre. Quid ergo eſt? queruntur, ſæpe in aliis orationibus effuſum eſſe hoc virus acerbitatis. Quid, inquit, me ad verborum anguſtias, & ad omnes literarum angulos revocas? Rogant juriſperiti, an non hoc idem ſit in philoſophia, & in oratoria ipſa facultate, non modò apud Latinos, ſed etiam apud Græcos? Sed quoniam monent quidam, in oratione Latina non plus nos debere Græcè loqui, quàm in Græca Latine;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tine: ſervemus inſtitutum, adhibeamus exempli cauſa voces Latinas. Quantum intereſt ſi dixerit Teucer, cum occiſus eſt Aiax aderat Ulyſſes: vel, aberat Ulyſſes? quantum ſi dixerim, Abduxit virginem, aut Virginem adduxit Thraſo? Tantum intereſt, ut ſtolidus omnino ſit, qui non videat quantum intereſt. At id eſt ex ſingulis literis: quid poſſint interpunctiones, videamus. Nicomachi filius vir bonus minimè multos lædit: quanti eſt interpunctio? Vir bonus minimè: vel, minimè multos lædit. Et ex rhetoribus illud, Teſtamento Rex juſſit poni ſtatuam auream haſtam tenentem, quanti refert quo loco ſit interpunctio: an ſtatua haſtam tenens aurea eſſe debeat, an haſta aurea tantum? Quod vitium ne ita facilè vitari poſſe dicat Cicero, viderit ipſe in illis verbis, dum juriſperitos ridet. Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii majores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt. Incertum dubiumque eſt, an mulieres voluerunt, an majores voluerunt. Et in oratione, quam habuit pro C. Rabirio perduellionis reo, rogabat Labienum: Cùm omnium ordinum homines, qui in ſalute Reipublicæ ſalutem ſuam repoſitam eſſe arbitrabantur, arma cæpiſſent, quid tandem C. Rabirio faciendum fuit, de teipſo Labiene quæro? Falli quis poterat, num, quæro quid faciendum fuit C. Rabirio de teipſo: vel (ut certè eſt) Quæro de teipſo Labiene, quid faciendum fuit C. Rabirio? quod interpunctione vel conjectura dignoſcimus. Sexcenta ſunt, ne omnia proſequar, in ſcriptis tuis M. Tulli, & antiquorum, quæ egent interpunctionibus. quid ergo obtrectas de interpunctionibus uni facultati juriſperitorum? Quod clamas, genera tutorum mulierum poteſtate contineri commento juriſperitorum: ſi ea genera ſunt, quæ prætoris permiſſu mulieribus poſſunt concedi, poteſtatem prætoriam bene video, mulierum quidem nullam: ad coempti-

ptiones faciendas ſenes repertos interimendorum ſacrorum cauſa, nihil eſt quod accuſes. quaſi verò non ſatis ſint matronæ uſu uxores, ut privata ſacra ſolennia, perpetua maneant: hæc quæ in manum convenit, columen eſt familiæ, præſidium fortunarum, dulcis & contubernalis hæres. Nam quòd inſimulas ac imponis, credo joco, quia in alicujus libris, exempli cauſa, id nomen invenerant juriſperiti, putarunt omnes mulieres quæ coemptionem facerent, Cajas vocari: nimium lepidus es, qui cùm teneas omnem antiquitatem, res Romanas Græcis velis eſſe notiores quàm tibi. ſæpe illi celebrant Cajas appellatas uxores per coemptionem, ob Cajam Cæciliam, honeſtam & lectam mulierem, quæ uni ex Tarquinii liberis nupta eſt: cujus ſtatua in Anci templo conſtituta fuit, cum ſandaliis & colo, quæ domeſticæ curæ & frugalitatis eſſent monimenta. Ecquis alius eſt? Nunc in memoriam redeo: familiaris tuus M. Varro, qui deſcriptiones temporum, qui ſacrorum jura, qui omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, cauſas aperuit: is lanam cum colo & fuſo Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata eſt, in templo M. Anci fuiſſe ſcribit: factamque ab ea togam regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Servius Tullus fuerat uſus: unde factum eſt, ut nubentes virgines comitetur colus compta, & fuſus cum ſtamine. Cajæ ergo appellatæ, ut frugi eſſent, cujuſmodi fuit Caja Cæcilia. Quod de arbitro & judice, de die tertio & perendino, de lite & re objicis, nolo plura dicere. hoc tantum dicam, de verborum ſignificatione à nullis diligentius fuiſſe ſcriptum, quàm à juriſperitis: atque hoc ipſum, quid Arbiter ſit, quid Judex, ab iſtis ipſis hominibus nos copioſiſſimè ſcire. Quod ergo colligis, Dignitas in iſta ſcientia conſularis nunquam fuit; qui id probas? Quæ tota ex rebus fictis, commen-

mentitiiſque conſtaret : id negant juriſperiti, quòd ex rebus veris certiſque eorum ſcientia ſit. An obſecro ſtatuere, quid æquum juſtumque ſit, ſuum cuique tribuere, quæ facienda ſint jubere, prohibere contraria, res fictæ & commentitiæ ſunt? Gratiam ſibi ex hac facultate homines comparare non poſſunt. Hæc prima laus eſt juris ſcientiæ: aſſentatoris & ſophiſtæ, ſimulatoris ac diſſimulatoris forenſis eſt aucupari gratiam. Atque ut mirere, ob idipſum quòd gratiam comparare non poſſunt, ob idipſum ſunt gratioſi. Quod omnibus patet, & æquè promptum eſt mihi, & adverſario meo, id jus æquabile eſt : quod neque diſtinguit divitem hominem ab inopi, neque amicum ab inimico. tantumque abeſt ut verum ſit quod objicitur, quòd neque extra Romam uſquam, neque Romæ valeat hæc facultas : ut judicio aliquando tuo, ſi tibi conſtans eſſe vis, nihil pluris ſit ad regendas urbes hac una facultate. Quod deducis, hac ſcientia peritum neminem haberi poſſe, quòd in eo quod ſciunt omnes, nullo modo poſſunt inter ſe diſcrepare : quod ſumis, hoc erat probandum. Quod ſciant omnes : id quoque ſi probes, non vides quò te includas. neceſſe eſt, eos omnes qui ſciant, eſſe peritos : & qui tales ſint, in peritis haberi. Difficilis res non putatur, quòd & perpaucis, & minimè obſcuris literis continetur. Utinam iſtuc verè diceres M. Tulli. quid ſi alibi dixiſti, Artem juriſperitorum uberem & diſſipatam? an non una hac ex omnibus Græciæ civitatibus accepta jura, & noſtrorum ſapientum reſponſa, plebiſcita, ſenatuſconſulta, decreta, leges continentur? parva ergo facultas? Quod ſi, ut in Græco proverbio eſt, quæ difficilia ſunt, ea pulchra : pulcherrima eſt facultas juriſperitorum. Multa ſunt perpendenda ex jure naturæ, quod non omne genus cauſæ ſcriptis potuit comprehendi, nec comprehendetur unquam:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

quam : quæ relicta ſunt ingeniis unis juriſperitorum. Illud verò quanti eſt? quòd Latinis, puriſque literis ſunt omnia illuſtranda, & juriſperitum in primis bene oportet eſſe eloquentem? Huc accedit, quòd ſi philoſophia, quæ ad mores attinet, tantis laudibus digna eſt, quantis eam extulit ſemper Cicero, quòd mater omnium artium ſit, donum & inventum Deorum : non video, quî rejicere poſſit hanc facultatem, quæ pars optima eſt moralis philoſophiæ : ſine qua non regna, non urbes, non denique vita hominum ſtare poteſt : quam qui contemnendam putat, is vincula revellit, non modò judiciorum, ſed etiam utilitatis, vitæque communis. Quid verò eſt tam neceſſarium retinere in urbe, quàm prudentiam civium? quid tam admirabile, quàm unum aliquem exiſtere uſu & exercitatione probatum, qui noſſe poſſit animi eorum ſenſum, qui multis antè annis fuerunt? quid tam denique utile, quàm leges aut ſcribere, aut reſtituere, aut tractare ad communem uſum : & providere, ne quem mali habeant nocendi locum? hæc curat Sulpitius, interpres legum, propugnator juris, defenſor æquitatis : & propterea acceptiſſimus M. Catoni, integerrimo viro : præter quem non habet Reſpublica, mihi credite Judices, non habet Reſpublica unde præſidium expectet, qui conſoletur, qui auxilium ferat, cujus fidem imploret. In ſummum periculum atque diſcrimen adducta eſt : divino quodam judicio M. Cato venit, non incidit in diſciplinam : quam oppugnat, rerum vel neſcius, vel diſſimulator M. Tullius. Una hæc eſt, quæ poteſt ægrotis & infectis animis civium mederi. vix credibile eſt, quàm latè diffuſa peſtis per omne corpus Reipublicæ graſſetur, ad quam propulſandam non Epidaurum mittendi legati, non Æſculapio opus eſt, ſed ſeveritate veſtra Judices, & reſtitutione veteris diſciplinæ, ava-

avaritia, libido, luxuria, audacia omnia occupavit: non privata res, non publica antiquum obtinet. animi imbuti malis cupiditatibus, molles, effœminati, diſtorta depravataque ſunt ingenia: comitia, magiſtratus, leges, quiſque ex ſuo commodo æſtimat: jura divina atque humana ſerviunt hominum cupiditati. his miſeris perditiſque temporibus, corrupta civitate, non Græcis, non barbaris, ſed nobis ſcripta divinitùs videntur præcepta illa colenda & obſervanda:

SAPIENTEM GRATIA NUNQUAM MOVERI, NUSQUAM DELICTO CUJUSQUAM IGNOSCERE: NEMINEM MISERICORDEM ESSE NISI STULTUM ET LEVEM: VIRI NON ESSE NEQUE EXORARI, NEQUE PLACARI.

Salus ipſa, ſi velit, non poteſt nos magis ſervare, quàm hæc doctrina: nam cum ſapienter leges à majoribus noſtris conſtitutæ ſint, ne æqualitas juris oppugnari poſſit, illud in primis eſt ſapientis hominis, qui ad Rempublicam accedit, Gratia non moveri. Sapiens cum is ſit, qui & ſcientia & vi mentis rerum omnium comprehendat rationem, rebus veris & certiſſimis ducitur: opinari ergo non poteſt. quid mirum? ſi neque falli poteſt, neque huc neque illuc impelli, quemadmodum ſtultus & levis, qui in eo ipſo quòd ignoſcit, & miſericordia ſententiam mutat, peccat vel improbitate, vel imperitia. Juras tu populo, recipis Senatui legum cuſtodem fore te, quem video eſſe everſorem, & non es improbus? Neſcis, multos venire cum lacrymis & ſqualore, ut juri vim afferant, & non es imperitus? Viri erat, primùm ſtatuere quid bonum, quid æquum eſſet: & id recipere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

pere, quod eſſet æquum & bonum: deinde neque exorari, neque placari. Nam ſi ignoſcendum eſt, cur huic potius quàm illi? vel ſi omnibus ignoſcendum, quid ſunt leges niſi verba inaniſſima?

Soli Sapientes Rempublicam Et Æquitatem Administrare Possunt, Soli Sunt Liberi, Soli Divites, Soli Honesti, Et Formosi: Qui Sapientes Non Sunt, Fugitivi Omnes, Exules, Hostes, Insani.

Hæc ita vera ſunt M. Tulli, ut digna ingenio tuo, poſtulent aliquando abs te illuſtrari. Depone perſonam patroni, remove cauſam Murænæ: libenter ego abs te hoc judicio, hoc concurſu doctiſſimorum hominum audiverim, quid ſentire in hac re me velis. Nam per Deos, quid hoc tandem eſt? negas ſolos ſapientes eſſe liberos? quos tu mihi alios producis? vindictá ne? cenſú ne? an teſtamento? an eos fortaſſe, ſi Diis placet, qui multarum ſint imaginum, & perpaucorum hominum, qui æquè vitiis ſerviant? Si animus eſt qui agit, qui moderatur, qui imperat: is ſi captus eſt, quid eſt in homine liberum? Vitiorum crudeliſſimus eſt dominatus, habet qui tergit, qui verrit, aliquod vacuum tempus dum cœnat, dum dormit: at cupiditates & libidines, magnos Reges neque interdiu neque noctu ſinunt quieſcere. Quid dicam de iis, qui invidia, qui odio, qui iracundia quaſi effrenato equo feruntur? qui curſu concitatus, & incenſus calcaribus, neque ſeſſorem audit, neque habenas curat: quàm multa admittunt, quorum eveſtigiò neceſſe eſt eos pœnitere? An qui amant, hi ne ſunt liberi? qui in alio ſe dicunt vivere, non mentis compotes. Sæpe in fabu-

bulis audimus hæc mancipia meretricularum : Ego ne illam ? quæ illum, quæ me, quæ non ? ſine modò : mori me malim, ſentiet qui vir ſiem. Quid poſtea ? labaſcunt vel lachrymula, vel uno verbo tam citò, ut ſervi admirentur, ac clament: Dii boni, quid hoc morbi eſt ? Adeon' homines immutarier ? quæ ſpectacula nobis poëtæ valde boni proponunt ſæpe, ut à voluptate, veluti à Circe caveamus, quæ facilè homines vertit in belluas: quam quia ſoli contemnunt ſapientes, ſoli ſunt liberi : qui (vel quantulum hoc eſt ?) neque nexu dominorum fieri ſervi poſſunt, neque vi abduci, neque ab hoſtibus capi. Siquidem ſapiens non eſt id quod digito demonſtrari poteſt, fragile, mortale, caducum : ſed animus ipſe, qui viget, qui meminit, qui ſempiternus ſe movet. Huic quis vim afferat ? quis faciat ut nolit quæ velit ? Quòd ſi animi ſola eſt libertas, ſola opulentia : ſoli ſapientes ſunt liberi, ſoli divites, qui ſua virtute contenti nihil quærunt, nihil petunt, nihil optant amplius. Deſunt multa tetrarchis, deſunt multa Regibus : ſapientes abundant, & beati ſunt, & beare alios poſſunt, & beant infinitos homines : neque propterea eorum copiæ ſunt minores, non decreſcunt facultates. Sunt in urbe, qui ſuis fructibus alere exercitum poſſunt, & nemo eſt dives. ſunt ex portu, ſunt ex decumis, ſunt ex ſcriptura vectigalia populi Romani, & mira eſt inopia : profectò aut ingenia civium, aut vectigalia facta ſunt deteriora. Multi ſunt Publicani : at Fabricii, at Curii, at Coruncani illi locupletes perdiu nulli : qui quòd cultu corporis agreſti ac ruſtico fuiſſe dicuntur, multo mihi videntur fuiſſe formoſiores iis, qui delibuto capillo per forum volitant : quorum animos ſi poſſemus cernere, incredibile odium ſui excitarent. Nihil eſt enim virtute formoſius, nihil turpius vitio : quòd quoniam à ratione, quæ nobis propria eſt, deturbat homines,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

nes, & à ſapientia longè arcet, nonne tibi M. Tulli itidem videntur, ut Catoni, omnes imperiti, exules, extorres? Quòd ſi, qui ſine cauſâ alios lædunt, & hoſtes ſunt, & inſani: num qui ultrò temerè ſe, & alios perdunt, erunt ſapientes? Qui ſentiunt, & dicunt aliquid, quod non ſit, ſibi videri, furere dicuntur: ii quibus turpia honeſta, mala bona videntur, quo nomine ſunt appellandi? Oreſtes cum matri manus attuliſſet, agitatus eſt furiarum tædis ardentibus: an minor L. Syllam regnum occupantem furor, & amentia invaſerat? turpem Oreſtes, & injuſtam matrem, cujus opera pater fuerat occiſus, de medio ſuſtulit: at Sylla in optimam Rempublicam, in patriam & cives ſuos ſæviebat, nullis ſatis juſtis de cauſis, & præclarè ſe facere arbitrabatur. Sed quid Syllam commemoro? quaſi non viderimus L. Catilinam cupiditatum ardoribus accenſum, animo ferri in patriam inimico, de excidio urbis cogitantem, de necando Senatu, de templis Deorum incendendis? quid eſt, ſi non hoc inſania eſt? Qui illum noctes & dies furor agebat, ageret omnes imperitos, ſi cætera adeſſent, quibus ille adductus eſt ad cogitandum & ſperandum. Multi erunt Syllæ, multi Catilinæ, nunquam hac impunitate nobis deerunt ſeditiones: magnus eſt in civitate campus corruptionis, multis apertus curſus ad regnum. iſtis itineribus ibat Sp. Caſſius, iſtis Sp. Melius, iſtis M. Manilius. Recordamini per Deos immortales, Judices, quantum ſæpe fuit periculi: nunc his moribus, hac caligine temporum non eſt timendum? quid nocturnum præſidium diſponis? quid cohortes explicas? quid excubiæ & vigiliæ iſtæ nobis prodeſſe poſſunt M. Tulli, ſi ambitio, ſi avaritia, ſi luxuria civitatem occuparit? quid anſeribus cibaria locamus? quid canes alimus in Capitolio? Vereor jam ne barbari noſtras impenſas rideant, cum viderint

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

rint à cuſtodibus libertatis ea excludi, quibus unis ſalvi eſſe poſſumus. Ubi nam ille mos majorum noſtrorum? ubi illa integritas? ubi ſeveritas eſt? quæ turbulentiſſimis Reipublicæ temporibus caput erigere, & vociferari ſolebat, & regio dominatu liberare? Quid reficiet, aut recreabit mentem meam? cum videam à conſule laudari prenſandi ſtudium, ambiendi diligentiam: objurgari Sulpitium, quòd integritatis fuerit obſervantior: ob gravitatem iniurioſe appellari Stoicum, & rideri Catonem? Videbis, videbis M. Tulli, ſi quando pro ſalute patriæ vita ſit profundenda, quantum ad pietatem accendere poſſit Stoica diſciplina, qua una lex ambitus nititur, & quæcunque alia lata eſt unquam ad coercendam luxuriam, avaritiam, ambitionem. Nemo legi ambitus amicus eſt, & huic diſciplinæ inimicus. Quid ita? quia nemo eſſe poteſt integritatis amator, & oppugnator ſeveritatis: cujus obſervantiſſimum non Zenonem, Judices, non Panætium, non cæteros homines Græcos, ſed autorem generis recognoſcite Romulum, recognoſcite L. Brutum autorem libertatis, alter, ut licentiam reprimeret eorum, qui diſſimili genere ac lingua, moribus corruptiſſimi confluxerant in urbem, ut in ea eſſet aliqua obſervantia legum, fratrem quòd muros tranſiliiſſet: alter liberos, quòd de reducendis Regib. egiſſent, ſecuri percuſſit: ut ſi qua veſtigia eſſent reliqua corruptionis, hac morte tollerentur. Quid his propius potuit accedere ad Stoicam diſciplinam? quæ non modò Philoſophis, ſed principibus civitatis noſtræ, qui domi militiæque clariſſimi fuerunt, una ſemper viſa eſt aptiſſima ad totius Imperii conſervationem? Quibus illam laudibus Africanus extollebat? quibus illam Maximus, Cato, Rutilius ferebant in cœlum? quorum tempore beatam & florentem rempublicam habuimus: non quòd populus Romanus Græcis artibus eſſet eruditior, ſed quòd ampliſſimi viri, qui rebus præerant, ea diſciplina oblectarentur, quæ ad integritatem vitæ, ad gravita-

tem morum eſſet maximè accommodata. Quid, inquiet aliquis, populo igitur eſt philoſophandum? quis niſi ſtolidus hæc petat? quaſi verò quivis non intelligat, paucis eſſe conceſſum donum, & inventum Deorum. Quid ergo eſt? dico, eos qui ex omni numero in conſilium publicum delecti ſunt, & ſtudiorum & morum gravitate debere excellere. Solet enim fieri in omni Republica, ut tales ſe eſſe ſtudeant cæteri cives, quales videant principes civitatis. nunc Ariſtippi ſententiæ in honore ſunt: eorum præcepta qui ad voluptatem omnia referunt, Latinis verſibus illuſtrantur, canuntur ad tibiam, ad multam noctem: quibus autoribus quid tandem didicerunt noſtri? piſcinas in medio mari extruere, in quas ſervos coemptos & obtruncatos conjiciunt, ut mulos barbatos habeant meliores: montes exæquare, ut feras alant. & interea effodiendis metallis miſeros homines ſpeluncis includunt, in quibus odore fœdo, & quòd de cœlo animam ducere non poſſint, moriantur. Nolo cætera: turpitudine abhorret animus à recogitando, refugit lingua à dicendo. & dubitamus, Judices, in urbe corrupta retinere parentem juris, reginam æquitatis, expultricem vitiorum, Stoicam diſciplinam? cujus vim vel ex eo cognoſcite, quòd eloquentiſſimus, & ingenio præſtans, & uſu callidiſſimus orator, corruptionem, ambitum, luxuriam Murænæ non ſperavit ſe poſſe defendere, niſi hanc oppugnaſſet: ut ea deturbata de mentibus veſtris, animos oratione effœminaret. Noſtis oratoris ingenium: & mehercule præclarè à vobis agetur, ſi quæ dixerit omnia erunt vobis pleniſſima ſuſpicionis. niſi ab eo non putatis cavendum, qui cum eſt dicturus, ſolet ſibi ſumere ad meditandum complures continuos dies. Quæ præterea ars? quæ exercitatio? A pueritia ſcripſit de iis rebus commentarios, à pueritia ſic declamavit, ut nulla eſſet cauſa, quæ ſuo patrocinio digna non videretur. De gratia, autoritate, potentia nihil dicimus. nam quòd alieniſſimo loco & tempore contendimus, quòd nec diis

nec

nec virib. pares ſumus, vos oculis cernitis Judices, & nos dolemus. Clamat tamen, conqueritur, precatur, ne autoritas, exiſtimatioque aliorum ſibi & ſuis noceat: immò verò quod multo eſt æquius, ego vos oro, atque obſecro, Judices, ut ſicuti fieri ſolet, cùm tyroni cum veterano manus eſt conferenda, ſi qua eorum qui adſunt voluntatis ſit inclinatio, in eam partem eſſe ſolet, quæ æquitate teneri, viribus & peritia non poteſt ſuſtineri: ita & vos nunc faciatis. Primùm, nihil eloquentia, nihil autoritas, nihil exiſtimatio valeat: ſed plurimum jus, lex, conſervatio civitatis. deinde, ut quicquid incommodi eſt, quòd poſt tres ſummos oratores ab omnibus rebus imparati dicimus, id commodi aliquid afferat imbecillitati noſtræ, quæ una ſpe æquitatis veſtræ ſe ſuſtentat: qua fretus, quid vereor tandem? quid cunctor de integritate comitiorum dicere, & teipſum compellare Muræna? volo enim de te audire, quoniam rei militaris majorem uſum habes, quàm urbanæ, quæ plaga eſt injecta exercitui L. Luculli? quæ peſtis, quæ pernicies caſtra invaſit? cum veteri diſciplina ſublata, aliquis laſcivia atque licentia milites corrumpebat paulatim, occultè largitione ſolicitabat. Nolo ego quenquam nominare: ſi tu noſti, quo autore veterani ſeceſſionem facere, lixæ & calones cum jumentis abire, & impedimenta deſerere cœperunt: hunc latronem, hunc hoſtem patriæ, hunc parricidam appellabat Imperator tuus. Quòd ſi ille faciebat veris, juſtiſque de cauſis, quid eſt quòd mirere, ſi M. Cato, ſi Servius Sulpitius, ſi Poſthumius olim familiaris, nunc quæſitor, clamant, accuſant, quòd everteris veterem diſciplinam comitiorum, malis artibus circumveneris centurias equitum, & claſſes populi Romani? ſi caſtra L. Luculli deſerta & capta fuiſſent, non negarim, non potuiſſe fieri ſine ignominia & damno Reipublicæ. at poterant novi haberi delectus, aliæ ſubmitti legiones, alia caſtra deligi,

ligi, duci, communiri altiore vallo, latiore foſſa: at, quod dii prohibeant, ſi hanc urbem, lucemque libertatis ſemel amiſerimus, nuſquam alibi nobis imperium, nuſquam Roma futura eſt. Quæ te (malùm) ſpes in iſtam inſaniam adegit? ut auro quod cepiſti, vel quo potius captus es in Aſia, putares poſſe emere dignitatem conſularem, & cibo objiciendo corrumpere populum omnium gentium victorem? In ea re tu fidem, tu pietatem, tu religionem, tu jura divina atque humana violaſti. Quæ Deorum immortalium, quæ legum hæc humanarum contemptio & injuria eſt? Conſularibus comitiis quid eſt ſanctius? quæ centuriata, quæ juſta, quæ maxima appellantur: auſpicato hæc urbs condita eſt, auſpicatò comitia conſularia habentur. auſpicamur in aliis, fateor, ſed non ita: ſi pulli non paſcantur, ſi cavea exiverint tardius, ſi occinuerit avis, hæc impediuntur: ſi fulſerit, ſi tonuerit, ſi ſervatum fuerit de cœlo, dimittuntur. Quid hoc eſt? quòd omnibus rebus fulmen optimum auſpicium habemus, in his comitiis eſt malum: Jupiter hæc comitia ſejungit ab aliis. quid quòd ſorex ſi rodere auditus eſt, quid hoc levius videtur? Magna in his comitiis eſt obnunciatio: quid ita? quia nulla in re ſcimus Deos eſſe præſentiores, quàm in his comitiis. ſtatus, fortuna, conſervatio civitatis poſita eſt in magiſtratibus gerendis. Quantum intereſſe putas, boni malive ſedeant ad rerum gubernationem? ſine tu populi integrum eſſe judicium, ſine veriſſimis ſenſibus diſcernere tribus: apagete à claſſibus, ne quod virtute effici debet, tentetur pecunia. Oppugnas comitia largitione? hoc eſt Reipublicæ manus afferre, hoc eſt deturbare cives ſuis ſedibus. L. Philippus gloriabatur, ſe ſine prece adeptum eſſe omnia: Curio, quòd ſine ullo munere, quæ haberentur ampliſſima, eſſet aſſecutus. Magnum ſignum eſt innocentiæ, maximum virtutis, vocari invitum ad honores: proximum, peten-

petentem ſine ambitu admitti. Quòd ſi epularum apparatu & largitione contendendum eſt, quo loco erunt viri boni, qui in virtute omnia poſita eſſe cenſuerunt? Ergo ſi M. Curius, ſi Fabricius, ſi Cincinnatus reviviſcant, turpiſſimi habebuntur? Non ita Dii irati ſunt huic urbi, ut iſtum velint eſſe ſenſum populi Romani, qui firmiſſimis legibus munivit comitia conſularia, ut eſſent integra, ſancta, incorrupta. Quæ ſunt leges? Licinia, Judices, lex eſt de ſodalitiis, lex eſt Fabia de numero ſectatorum: eſt graviſſima Calpurnia, quæ omnes leges ambitus complectitur, reſtituta L. Tullio & M. Lepido conſulibus: pœna aucta ex edicto, quod eſt L. Cæſare conſule factum, aucta ex S. C. quod eſt factum conſule M. Tullio Cicerone. Tu cum leges, edicta, Senatuſconſulta contempſeris, violaveris omnem religionem, audes tamen Muræna in horum hominum conſpectum venire? audes ab his Judicibus pro ſcelere petere conſulatum? parum hoc eſt, niſi etiam diceres meritum & debitum. Homine pecunioſo nihil injuſtius, qui omne quod ipſe petit, æquum & rectum putat. Nulláne te religio, nulla exiſtimatio, nullius judicii metus pungit, ac avocat ab audacia? Itá ne comitia & judicia nundinationem putas? Procede in medium male conciliate, quoniam ambitum admiſſum negavit patronus tuus: ego jam ſic agam, ut omnes mortales tui ſceleris non veſtigia, ſed frontem videre poſſint. Erat in Gallia Muræna, Judices, eo tempore, quo Metellus in urbem à Pompejo miſſus dicebatur veluti fulmen ad feriendam Rempublicam: qui rumor, ut ſcitis, ab iis natus eſt, qui gloriæ clariſſimi viri invidebant: quibus non ſatis fuit ſolicitare cives falſis nunciis, & turpiſſimam ſerere ſuſpicionem, niſi fundamenta etiam jeciſſent de oppugnanda dignitate ejus, qui magnis exceptis laboribus, nullis ſe periculis frangens, in extremis orbis terrarum partibus bellum gerit pro gloria populi Romani. hoc tem-

pore, ſi meminiſtis, agebatur de conſule deſignando: ardebat ambitione Muræna, moleſtiſſimè ferebat abſentiam: veniſſe tempus videbat, quo periculum faceret, quid aurum Ponticum poſſet, & tota Aſia quæſitæ divitiæ. ad ea converſus, quibus potentior accederet ad petitionem conſulatus, deſperatas pecunias in provincia ſibi addixit, ſpopondit noſtris, exolvit pro peregrinis, pependit de ſuo; ut una re & municipales & urbanas tribus haberet obnoxias. qua largitione ſic omnes obſtrinxit, ut cùm in urbem venire diceretur, undique ad eum legationes concurrerent, tanto comitatu, ut nulla diverſoria alere, nullæ urbes poſſent excipere: quamobrem iſte more regio præmittebat antecurſores, mulos, coquos, pulpamenta, tabernacula, ante cœnam tibicines, in cœna pueros vocibus, fidibus denique canere jubebat: nunquam in homine tanta fuit vanitas & levitas. Dii immortales, quæ ſuperbia, quæ ignoratio ſui? cum pleniſſimis viis iretur, ſcribit ad L. Nattam, adoleſcentem primarium & gratioſum, ſex diebus ſe tridui iter proceſſiſſe, ut percommodè cum copiis urbanis veniat obviam: pecuniam per Agathonem libertum mittit, ut ſi uſu veniat, quantum velit poſſit largiri. ibi tum Natta convenire ſodales, gregem cogere, orare, obſecrare, prehendere ut ſequantur, aliis equos emere, aliis dare veſtem, pecuniam multis. Obviam itum eſt uſque in Umbriam, ut iſtum, tanquam ſi eſſet conſul, ſalutarent. Ponite ante oculos, Judices, magnam multitudinem ſalutantium & reſalutantium: conſiderate qui ſermones tot diebus haberi potuerunt diſſimili hominum genere, cum biberetur ad multam noctem, luderetur alea, perſtreperent omnia vocibus ebriorum. Nam quid eſt, quòd Cn. Poſthumius paternus amicus, vicinus & neceſſarius vetus Murænæ, qui neceſſitudinis cauſas complures, ſimultatis nullam commemorare poteſt, ſedet pro accuſatore? Iverat ipſe quoque obviam, honeſtiſſimè amico

cupie-

cupiebat, & faviſſet petitioni. quid eſt? percunctemini: erat cum equitibus præfectus fabrûm, qui fuit in exercitu Luculli ſocius conſiliorum, particeps prædarum. Huic mandatum eſt, præſente Poſthumio, ut militibus, qui ad triumphum Romam convenerant, & cum præfecto exierant, pecunia daretur ut ſequerentur. Audite, Judices: audite quid Fimbriani milites eundo canerent: Me ſaucium recreavit, me præda donavit, hoc duce caſtra cæpimus, quæ capiemus conſule? ſi hæc non inter cives Romanos, ſed in aliqua ſolitudine dicerentur, conclamaremus, regno viam fieri. Hic cùm & cives & peregrinos largitione corrumpat, ſpe lactet, incendat cupiditatibus, excuſatur, defenditur. O impunitatem incredibilem, ô nunquam expectatam defenſionem. Sed quæ foris geſta ſunt, ſi eſſe poſſunt, ſint ſanè levia, ſint exigua, ſint nulla: videamus quæ domi. Venit in urbem Muræna cum exercitu, cum grandi pecunia, veluti oppugnaturus comitia, bellum illaturus legibus: erant ædes regio apparatu plenæ ornamentorum, veſtibulum novo tectorio, imagines coronis, parietes veſte ſtragula, pavimenta opere vermiculato diſtincta: auro, argento, ebore omnia collucebant. hic à L. Lucullo & ſuis excipitur, tanta lætitia, tantis complexibus, ea ſalutatione, ut non ad petendum, ſed ad gerendum conſulatum veniſſe videretur. Nox tota in epulis, compotationibus & cantibus abſumpta eſt. Poſtero die vix lucebat, & jam ad fores L. Natta cum equitibus, M. Lucullus cum patriciis: ad quos beatus iſte ædium dominus purpura veſtitus tandem progreditur, & ſtipatus deducitur in campum Martium. Præfectus interea fabrûm, cum ludi futuri eſſent, invitat tribules ſuos ad ſpectandum: locum pollicetur, unde honeſtiſſimè & jucundè ſpectarent. Lucillam veſtalem, hujus propinquam & neceſſariam, Murænæ nomine, Murænæ inquam nomine orat, ut locum ſuum concedat. Honeſtiſſimæ ſunt

matronæ, quæ ſi vultis non recuſant, Judices, teſtimonium dicere. Eſt virgo veſtalis ipſa ingenua, ea conſecrata religione, ut rogata non tacere, jurata non mentiri poſſit. nam quòd L. Natta, ut equeſtrem ordinem conciliaret Murænæ, in equitum centuriis eſſe voluit: quid fuerit cauſæ, rogate vitricum ejus, rogate matrem, rogate domeſticos. cum adoleſcens literas accepiſſet à Muræna, ut cum ſodalibus maturrimè proficiſceretur, ut diximus, aliis equos emit, aliis veſtem, aliis pecuniam dedit. impendium ad matrem ſervi domeſtici deferebant: ſumptus unde ſuppeditaretur, cùm ignorarent, non poterant deferre. quamobrem miſera cum ſe excruciaret, ejus rogatu vitricus adoleſcentem ad ſe vocat: Hem Natta, inquit, quid te nobis, quid tibi rem familiarem perdis? quid lancinas? quid patrimonium diſſipas? Bonus adoleſcens, ut conſolaretur, in conclave ſenem adducit, grandem pecuniam oſtendit miſſam à Muræna. Tum verò admirari, ſuſpicari, vociferari ſenex: Mi fili, quid nos laqueis implicas? quid periculum creas? nam ſic agere, propemodum nobis diem dicere eſt: nam hic ambitus eſt. Cùm reſponderet Natta, facilè ætate adoleſcentem excuſari poſſe: veritus eſt grandis natu, ſi quando hæc ſuo conſilio facta viderentur, ne poſſet accuſari. homo antiquus ſervis præſentibus cum uxore communicat, pergit ad Jureconſultos: petit, an quæ fierent, adoleſcenti vel vitrico fraudi aut crimini eſſe poſſent. Cùm eſſet reſponſum, neque alienum pro candidato, neque vitricum pro privigno teneri: nolite quærere, Judices, quàm Natta audacter, quàm effrenatè cætera. turmatim equites ad ſe vocat, conficit pecunia, ut ſe in equitum centuriis eſſe velint. impetrat cum gratia: & miramini, ſi ſecuti ſunt equites uſque in Umbriam? Cùm rediſſet in urbem, noctu diviſores tribuum adit, ſuffragia emit, pecunia in circo Flaminio apud Apollinis æditium deponitur, quam con-

ſule

ſule renunciato Muræna capiant. Quid eſt hoc Judices? num vanum, aut fictum eſt? Pecuniam nos per prætorem intercepimus: quam ubi diviſores partiri inter ſe non poſſe intelligerent, in Servii petitionem omnia redundarunt. comprehenſa pecunia eſt à nobis: clamat L. Natta indignum facinus eſſe, ſi à vitrico metuat, pecuniam ſibi non licere deponere in tuto. Aedituus pecuniam delatam non negat: quî enim negare poteſt, ſi comprehenſa eſt? At qua cauſa delata ſit, miniſter conſiliorum ſcire ſe id verò pernegat. Hæc ſuſpicio, Judices, latè manare debet: magna pars ſacculorum Aſiam olet, ciſtophoris plena eſt. Unde adoleſcenti, qui ſub vitrico victitat, numorum tantum? quid eſt, quòd nulli ſunt bigati? quid quòd noctu? quid quòd per ſervos Murænæ miſſi ſunt ad ædituum? Excandeſcis Natta? amici ſervis, inquis, tam bene utor, quàm meis. Perbellè nunc concedis, quaſi philoſophus aliquis, omnia amicorum communia eſſe: ſi quid ego amici cauſa te feciſſe dicam, negas ilico. Prandia, bone adoleſcens, ſectatoribus dediſti: nihilne ad Murænam ſuſpicio attinet? cùm equum, veſtem, pecuniam datam abs te ſodalibus ajo, quereris protinus, impediri à me liberalitatem tuam. Quò me vertam Judices? quid appellem, aut implorem, niſi prudentiam & ſapientiam veſtram? Cum his ſi de jure contendo, opera luditur: omitto tyronem, excutio veteranum. Præfectus fabrûm pecuniam militibus præſente Poſthumio mandato Murænæ dedit, & excuſat. Erat illud viaticum, non largitio. Quid? quòd tum dediſti, cùm Murænæ itum eſt obviam. Quid ais? Si obviam itum non eſſet, num dediſſes? Non poſſum, inquit, divinare. At hercle divini & cœleſtes viri hi Judices divinabunt. Præfectus iſte fabrûm prandia tribulibus ſuis à ludo redeuntibus dedit, plus quàm trecentis. Quid eſt vulgò dare prandia, ſi hæc non ſunt data vulgò? Sectabantur candidatum quotidie equites, patricii, tenuio-

res: eorum dux, & quaſi moderator erat M. Lucullus, & non fuit ambitus: quid hoc eſt, ſi ambitus non eſt? tracta Senatus conſultum:

SI MERCEDE OBVIAM CANDIDATIS IERINT, SI CONDUCTI SECTABUNTUR, SI GLADIATORIBUS VULGO LOCUS TRIBUETUR, SI PRANDIA VULGO DANTUR, CONTRA LEGEM CALPURNIAM FACTUM VIDERI.

Quid eſt mercede obviam ire, niſi emolumento accepto? Veſtis, equus, non eſt emolumentum? Ergo ſi veſtem militibus dat Imperator, ſi frumentum metitur, non dat mercedem? ſi pecuniam dedit, non ſunt conducti? Prandia data ſunt tribulibus pluſquam trecentis, non ſunt data vulgò: quid ergo eſt vulgò? Quod factum eſt concedunt, quod conſectarium eſt negant: turpiſſima fuga eſt. Solet fieri, Judices, ut qui victi ſint, deſperatis rebus conſilium ſæpe capere cogantur minimè ſalutare. ſed nos inſequamur, & nullo loco ſinamus conſiſtere. Licinia lex eſt de ſodalitiis: dic tandem Natta, quæ tibi ſunt ſodalitates? an non eorum, quibus cum Murænæ itum eſt obviam? ante petitionem Murænæ perpauci tibi erant ſodales, epulabaris modicè, ingentes ſodalitates à te conſtitutæ ſunt: conſtituta illius petitione, invitaſti centurias equitum, quas Murænæ ſuffragatas videmus. Vitricus tuus, cui æquè charus es, ac fuiſti patri, negat fuiſſe te quenquam magis modeſtum, ac frugi: quòd contra legem Liciniam, Cinciam & Corneliam feceris, culpam omnem conjicit in eum qui te perdidit pecunia. Lex Fabia eſt de numero ſectatorum: de numero non laboramus, nemo deductus eſt in campum, nemo domum reductus eſt majori numero ſectato-

ctatorum. Lex Calpurnia vetat, ne pecunia, ne vulgò locus, ne prandia dentur: pecunia, ſpectacula, prandia tributim data ſunt. liberat nos, Judices, M. Tullius magno labore, ne teſtes producamus: ſunt enim omnia in illuſtri loco, in conſpectu populi Romani poſita: fatetur patronus, concedit rei nomine. videte in quem angulum res deducta eſt: tot tantisque de rebus, unum eſt reſponſum eloquentiſſimi oratoris, mira eſt anguſtia, non habet jam quò ſe vertat. quid inquit? Etſi hoc factum à Muræna omnino, Judices, non eſt, ab ejus amicis autem more & modo factum eſt. Itá ne tandem? at iſto more & modo quòd feciſſent ſuperioribus annis nobiliſſimi viri P. Sylla & P. Antronius, conſules deſignati, damnati ſunt: Muræna abſolvetur? Credo. nam quid per Deos eſt? Muræna non fecit, amici ejus fecerunt? quid ſi Muræna feciſſet, condemnaretur? Condemnaretur. Quid ſi per ſervos? quid ſi per amicos fecit, non erit idem? Inepta defenſio eſt: Pecunia data eſt, non eſt à Muræna numerata pecunia. Fateor, ego quoque idem dico. Quid? ſi numeraſſet ejus nomine argentarius, non dediſſet Muræna? Natta dedit, Præfectus dedit. at nihil erat quod iſti darent: Murænæ intererat ut daretur, cujus gratia empta ſuffragia ſunt. Non eſt quærendum, cujus manu numerata ſit, ſed cujus juſſu ſit data: cùm ſervi perferrent ſacculos tu ipſe Muræna perferebas. cum pecuniam numerarent amici illi tui, manus erant tuæ: quicquid ab his datum eſt, quicquid numeratum eſt, tua manu datum, tua manu numeratum eſt. Nam quòd tuo nomine rogata eſt virgo veſtalis, ut locum concederet: ſcis quid eſt tuo nomine? tua ſcilicet cauſa. Sed næ ego homo ineptus ſum, qui de re tandiu diſſeram, de qua dubitat nemo. Nam quòd reſcitum iri Muræna metuebas, egiſti per amicos: quis non intelligat? quæ cautio ſi firma eſſet, nemo unquam eſſet tam ſtolidus; qui ea non uteretur. Non pudet his nugis agere?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

re? non vides apud quos judices? ex horum ſeveritate te ulla fraus, aut eloquentia eripiet? Lex de ambitu dilucidè vetat, mercede candidatis obviam iri. itum eſt obviam, merces data eſt: nihil refert à quo data ſit, ſed qui fuerit candidatus quærit. Jubet ne conducti ſectentur: conducti ſunt, ſectati ſunt. non quærit, quorum opera, ſed quem ſint ſectati. Vetat, ne gladiatoribus vulgo locus tribuatur, ne prandia vulgò dentur: ſi tributim data ſunt, quis neſciat vulgò data? ſi petente amico locus datus eſt, quis non videt eblandita ſuffragia? Videtis quo loco res ſit, Judices: videtis audaciam hominum, videtis corruptionem. Vix credibile eſt qui conventus eſſent ad prandia, qui concurſus ad compotationes. Itáne ſervire Romanos homines ventri & gulæ? ut nihil mirum jam ſit, pluris venire in civitate piſcem quàm bovem, pluris vini amphoram quàm olei medimnum. Nam de avaritia quid dicam? Itá ne venalia eſſe omnia in urbe, ut comitia ſanctiſſima turpiter venditentur? ut barbari etiam, veluti Apollo Pythius dicant, Rempub. noſtram, quod Dii prohibeant, properè perituram? Quis huic imperio tam eſt inimicus, qui hæc poſſit audire & perpeti? Militem locupletem ſperaſſe ſe conſularem dignitatem pecunia emere, ciboque objiciendo corrumpere comitia populi Romani ne libera eſſent: ita effœminare animos, ut tot rebus victores, pecunia & cibo vinceremur? Hunc civem appellabimus? hic Rempublicam geret? huic libertas patriæ committetur? quam ſi non poterit occupare, cùm tanti emerit, pecunia majore vendat? Obſecro, Judices, conſulite libertati noſtræ, quæ vita vobis charior eſſe debet: providete, ne largitio omnia occupet: ne leges, ad quarum cuſtodiam delecti eſtis, victæ in foro turpiſſimè jaceant, obterantur, & conculcentur. In comitiis conſularibus, ut videtis, precio & cibo addicta fuit fides & religio: vultis hunc uſum & conſuetudinem civibus veſtris injicere? vultis ale-
re

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

re impunitatem? nunquam ambitus fuit major, nunquam corruptio certior. Quid ſi hic judicium effugerit, improbi non tentabunt? dubitatis, poſthac omnia omnes auſuros? utinam eſſet integrum. Si judicia ſevera futura non ſint, quàm vellem Murænæ dies dicta non fuiſſet, ne in hoc periculo verſaremur: non enim eodem loco res eſt, quo fuit antea quàm accuſaretur. tutius multo erat, Murænam non accuſari, quàm nunc abſolvi. Cogitate diligenter Judices,& pro veſtra ſapientia proſpicite, quantum periculi ſit, ſi is hoc judicio erumpat, cujus ſalus cum ſalute Reipub. conjuncta eſſe non poteſt. Memineritis poſtea, ſi hic abſolvetur, brevi nullam nobis futuram Rempub. Quæ ea vox eſt? vox hæc mea eſt, vox doloris & pietatis, non malevolentiæ aut odii. Quid eſt? inhiant libertati noſtræ, Judices, non Manlius, non Catilina, notiſſimi latrones, quos ſatis conſtans rumor eſt ab Antonio fuiſſe oppreſſos, ſed principes civitatis opulenti & gratioſi: neque armis vinci res Romana poteſt, ſed obſequiis, lenocinio, corruptela, pecunia, largitione. Formidoloſum eſt, & optimo cuique pertimeſcendum, ſi veterani milites Saturninum ad occupandum Capitolium excitarunt: ſi L. Syllæ memores, libidinem Catilinæ ad extinguendam Rempublicam injecerunt: ſi Luculli tyrones legatum ſecuti extulerunt ad conſulatum, & proſtratis legibus defendunt, & de manibus veſtris eripere conantur: pertimeſcendum eſt, ne legionarii, qui duces poſthac ſequentur, incendant imperatores noſtros pravis cupiditatibus, præſertim cùm plures Catilinæ conjurationis participes fuiſſe dicantur. Quare per Deos immortales date operam Catoni Judices, expergiſcimini, capeſſite Rempublicam: is in hoc judicio cenſet eſſe omnia, & in manu veſtra poſitam fortunam populi Romani. Nihil vos falſæ quorundam lachrymæ abducant. Si quis miſericordiæ locus eſt, miſereat vos in primis patriæ, cui nati eſtis: quæ divulſa à Regibus, diſcerpta à civibus, timore per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

perdita, miſera atque afflicta, deſperatis propè rebus à vobis auxilium petit, & de nobis ſolicita eſt: duces armati domi foriſque cum magnis copiis ſunt, milites inflati cupiditatibus feruntur. Quis nos eripiet? quis liberabit, niſi ſapientia, niſi ſeveritas veſtra, Judices? eos ſi hoc judicio deterrebitis, ſalvi ſumus.

ORATIO II.

PRO ANTONIO BELLANTE.

Ad Judices Reipublicæ Senenſis.

SI quis animo cernat, Judices, quid ſit, quòd pro fortiſſimo viro nemo cauſam velit dicere: intelliget is, qui ſit Reip. veſtræ ſtatus. qui ſicariorum concurſus, quandiu impudentium & furioſorum hominum ferocia fracta & compreſſa non fuerit: etenim quid aliud eſſe potuit? hoſpitem, qui aliis de cauſis in urbem diverterat, vocatis judicibus in Senatum pro cive dicturum veniſſe? niſi terrore & formidine omnibus impeditis, hominem oportuiſſe advocari, qui ſic amicitiam coleret, ut quod reliqui non auderent attingere, ipſe benevolentia adductus, maximo cum periculo dicere non extimeſceret. quod cum miſerum ſit, non ne illud Judices miſerrimum eſt? civem veſtrum neque familiæ dignitate, neque benè actæ vitæ conſcientia, neque majorum ſuorum memoria apud vos Judices ſperare adjutores, patronos habere, in Senatum tutò poſſe venire: quod cùm graviter & iniquo animo vos ferre intelligam, ſpero Remp. æquitate veſtra jam reſpirantem, poſſe aliquando in priſtinum ſtatum & dignitatem vindicari. Noſtis hoc adventu clariſſimorum heroum, quæ bonorum omnium ſit expectatio, qui perditorum hominum timor, qui laudis veſtræ fru-

ctus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ctus ampliſſimus. Quòd niſi opinione celerius effrenatæ aliquorum libidini reſiſtatis Judices, quid eſt in civitate ſanctum, firmumque? quid quod bonorum animos conſoletur? quid quod ab illorum injuriis, furtis, cæde, incendiis tutum eſſe poſſit? Omnium quidem, ut arbitror, nemo eſt, qui eorum perdita manu, latrociniis indigniſſimis municipia vaſtata, domos exinanitas, fana ſpoliata, vitæ & religionis ordinem everſum non videat: hi nunc, Judices, in ſubſelliis ſedent, ante hemicyclum tuum Oſma, in conſpectu tuo Cova verſantur: nihil judicum ſeveritas, nihil Senatus amplitudo, nihil utriuſque veſtrûm gravitas quicquam eſt quod admoneat. Itaque audent in hunc locum ampliſſimum & honeſtiſſimum venire, qui permultis cædibus præclarorum civium adhuc manus cruore aſperſas habent, adhuc ora ſqualore obſita, adhuc inconſtantem vocem ſceleris conſcientia emittunt. Quid hoc eſt Judices, quod nunc primùm ab Oſma viro ſapientiſſimo animadverſum video, accuſatores venire cum patrono, advocaſſe C. Meſſanum hominem calidiſſimum, & in cauſis hujuſmodi maximo cum quæſtu exercitatum? Magna quidem vis eſt veritatis: cognoſcunt illi gravi pœna ſe eſſe digniſſimos: norunt ſe nihil habere quod accuſent, niſi vani & falſi quidpiam: putant fortaſſe indigere ſe patrocinio: ſciunt quid tot annis impunè admiſerint: verentur optimorum hominum, egregiorum civium occiſorum manes accuſare: pertimeſcunt ſimulacra ipſa ſpoliata proclamare apud vos Judices. nam ab iis qui vivunt, quos affecere injuriis, nihil eſt quod timeant: partim enim minis deterruerunt, partim in fori faucibus detineri jubent, ne huc ad vos intromittantur. Forſitan quæretis Judices, quo modo huc venerim, cum aditus omnes intercluſerint, cum pericula undique intenderint: neque ab his prætermiſſum arbitramini, quo me à dicenda cauſa deterrerent, quin accuſatorum unus A. Polenta ſcelerum

archi-

architectus, & diſciplinæ hujuſmodi magiſter, hic ipſe qui ante me eſt Judices, inter minas illud ſæpe jactavit, Hic, hic ante pedes tuos Cova, ante hemicyclum tuum Oſma conſtituam oratoris cædem. Admonebat etiam me, pro ea neceſſitudine quæ Academiæ gratia mihi eſt cum Jano fratre, caverem, ne Antonii cauſam ſuſciperem. Commonebat idem vir optimus, hoc eodem anno Ulyſſis Coſpii, civis nobiliſſimi atque honeſtiſſimi, Bononienſis cædem non longè à foro ab hujuſmodi ſicariis factam, quòd ab iis æs, quod deberent, repeteret. Percuſſit hoc primùm mihi animum, fateor Judices, incuſſit aliquem timorem, ut qui eorum ingenia noſſem, cædes innocentiſſimorum hominum multas viderim. Cùm verò cogitarem, quantum amicitiæ, & beneficiis Bellanti deberem, quantum fidei, quòd ejus mandatum recepiſſem, à quo iccirco advocatus, & in Senatum miſſus eſſem ut liberè dicerem, non potui quod ſuſcepiſſem non fortiter perferre: tum quòd Scipionem Amalphitanorum ducem fortiſſimum, maximeque illuſtrem, graviter hac indigna accuſatione commotum, & viros florentiſſimos civitatis Marium Bandinum, & Franciſcum Severinum, equites ornatiſſimos (quos honoris cauſa nomino) in hunc locum venturos intelligebam: quos ego cum multis, juſtisque de cauſis amiciſſimos haberem, ab eorum latere nunquam diſceſſi, quouſque in Senatum venirem. Sciebam affore Joannem Palmerium Senatorem nobiliſſimum: quem ſaltem pro ea familiaritate, quæ mihi eſt cum Fœderico Carteromacho nepote, non defuturum ſperabam, ut dum dicerem illi ab injuria temperarent. His adductus, huic cauſæ patronus extiti: in qua etſi de fortunis omnibus, de capite ipſo florentiſſimi viri ageretur, etſi ſcirem obſtare adverſarios potentiſſimos, & qui loricati obductis gladiis in Senatum venerint, nihil veritus ſum Judices, ne aut dicendi inopia, & prope nullus uſus, nulla exercitatio, aut timor eſſet impedimento, quo-

minus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

minus injuriæ incredibili ſcelere conflatæ reſiſterem: & hominem innocentem, civemque de bonis omnibus benemeritum, maximo periculo liberarem. Quid ergo eſt? temeré ne ego nonnihil mihi arrogabam? nihil puto. Quid? non ne in hujuſmodi cauſa erat timendum? maximè. Quod conſilium? quæ cogitatio? unde hæc animi firmitas? ſcelus horum, Judices, indigniſſimum eſt: eorum poſtulatione percepta, qui ſint, quid velint, facilè intelligetis. Hujus vero innocentia in excelſo & illuſtri loco ſita eſt. Novi ego æquitatem veſtram Judices: novi Oſma amplitudinem tuam; vidit aliquoties hic Senatus gravitatem tuam Cova? intellexerunt jam omnes animi veſtri ſententiam. Quare vos oro, ut fide veſtra fretum, æquitate adductum, bona cum venia audiatis: ut quæ hominum ingenia, qui cupiditatum ardor, quæ libido inexplebilis, intelligere poſſitis: & contrà, quàm omni tempore hujus vita integerrima, quod juvandæ Reipublicæ ſtudium, quæ animi temperantia, quàm admirabilis arduarum & difficilium rerum perpeſſio: & quod ad cauſam maximè ſpectat, in ea re, quam iſti detulerunt, ſingularis innocentia. Antonius Bellantes ſecundus (fuit enim primus hoc nomine in familia avus, quo neque vir melior, neque amantior Reipublicæ) natus eſt nobiliſſimis atque optimis parentibus, Petrino Bellante clariſſimo viro, & Ugurgeria lectiſſima fœmina: in qua nunc etiam ea morum integritas, & antiquitatis veſtigia remanent, ut virtutis & religionis exemplum inter matronas habeatur: pater tamdiu laudabitur, quandiu rerum Senenſium memoria vigebit. nihil enim aliud unquam viſus eſt cogitare, niſi quod ad civium quietem & gloriam ſpectare videretur. Ea re ſtudia juris & civilium diſciplinarum ſecutus, reſpondendo fuit veluti oraculum civitatis: in quibus cum excelleret, nunquam tamen de opera publica quicquam detraxit. Scitis vos Judices, munera quæ ſæpe obierit, quoties principibus civitatis

regnum jam occupantibus conſilio, opibus, viribus ipſis maximo cum periculo obſtiterit. Scitis in vincula indigniſſimè conjectum, cauſam capitis oraſſe: miſſis tamen in exilium, & ex urbe pulſis, fratre viro optimo, & hoc filio tum puero, vix annos XIII. nato: puero quidem, & de patria bene ſentiente. Quamobrem ſi quæratis, nihil quicquam erat cauſæ, niſi quòd pater Rempublicam valde amaret, quòd cum bonis ſentiret, quòd audaciæ improborum hominum reſiſtendum cenſeret. qui etſi permultis rebus domi foriſque geſtis animum in patriam declararit: maximè tamen teſtamento obſignato, in quo filio mandavit, ut ex cive patriæ amantiſſimo ſe natum meminiſſet: vetuitque ne ſingulari etiam à Senatu aliquando accepta injuria, contra Senatum ſentiret, & novi quicquam moliretur: ſed pluris Reipublicæ commoda, & civium quietem, quàm fortunas ſuas, quàm liberos, quàm caput ipſum faceret. hoc ut ſanctiſſimè ſervaret, teſtamento cavit: & à filio, priuſquam à vita diſcederet, ea de re fidem accepit. Hoc patre natus, ita bene & beatè vixit, ut non modò patris inſtituta ſervarit, ſed majorum ſuorum gloria facile ſuperata, majora ſanè, & vitæ digniora exempla populari laude liberis ſit relicturus Neque verò hoc adulationis cauſa, cujus quidem ille eſt planè hoſtis, à me dictum putetis: ſed re ipſa ita admonente, ut adverſariis reſpondeam, qui ejus laudem labefactare ſemper cupierunt. Num fingo? num mentior? adeſte accuſatores, adhibete quem advocaſtis patronum. deſidero, ſi falſum eſt, refelli. Percurramus ejus vitam: non recuſamus adoleſcentiæ, quæ ſemper libera fuit, juventutis etiam omnis rationem reddere. Dicimus nihil ab illo unquam geſtum, niſi ſapienter. quod etſi in obſcuro eſſe non poteſt, populus tamen & Senatus ſuperioribus annis declaravit, cum civilibus diſcordiis, & bello pernicioſiſſimo ordo Novenus ex urbe eſſet pulſus: illum tamen ejus or-

dinis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

dinis principem populus orare, obſecrare Senatus, ne ab urbe diſcederet: ne cives, quorum eſſet amantiſſimus, in eo diſcrimine relinqueret. His precibus adductus cum remanſiſſet, una omnium voce, maxima cum lætitia Tribunus plebis eſt declaratus: qua de re vobis gratiæ ſemper agentur. à vobis enim ſervatum, honeſtatum, auctum ſe confitetur: tot meritorum memoriam nulla fortunæ vis, nullus caſus, nulla unquam delebit oblivio. Hos honores cum perditiſſimi homines, bonorum omnium & quietis publicæ inimici, ægre ferrent, & miſceri omnia vellent: conjuratione facta, de hujus viri optimi cæde cogitare cœperunt. Itaque eo ipſo die miſſi ſunt veteres gladiatores, quorum hic aliquos cum accuſatoribus ſedere video, ut eum ferro trucidarent. Ille verò ab egregio cive Joanne Ugurgerio certior factus, non privatis armis contendere, non publico tumultu, non ſeditione concitata ſe defendere, ut fortaſſe poterat, non firmis præſidiis domum munire voluit, ne culpa aliqua ſubeſſe videretur: ſed clàm ex urbe diſcedens, in Areolæ arcem, quæ in finibus veſtris poſita eſt Judices, abiit, ut perditorum hominum è manibus ſe eriperet, & quoad liceret produceret vitam, quam pro Republica putaret eſſe degendam. Itaque illi cùm in ejus domum veniſſent, neque eum comperiſſent, quem erant interfecturi, domum omnem opulentiſſimam depopulati exinaniverunt, familiaribus ac domeſticis plagas inflixerunt, matri ipſius Tribuni jam ſenectute confectæ pecuniam imperarunt. Quid eſt hoc Judices? quouſque tandem hæc patientia? ſicarios homini integerrimo, civi optimo, Tribuno plebis manus voluiſſe afferre? prædones auſos fuiſſe Tribuni domum ſpoliare, exhaurire, diripere, domeſticos & familiares verberare, captivos ducere: matronam ſanctiſſimam, jam ſeptuageſimum annum agentem, domo & focis patriis deturbare, deterrere minis, ut pecuniam extorquerent? Hæc ego Judices

tacuiſſem, ut multa, niſi excandeſcentia quædam me incitaſſet: qui videam hos obtrectare hujus vitæ, qui nunquam bene vixerunt. Nam quid ad illud potuit præclarius accedere? quòd cum Areolæ decem dies ſe continuiſſet, inimicos verò quotidie in Senatum venire audiret, neque deeſſe qui jam accuſarent, & objicerent nonnulla, quæ optimi viri gloriam & dignitatem imminuere viderentur, confeſtim nulla periculi ratione habita, nullo timore deterritus, in urbem venit, in judicium deſcendit, convocavit accuſatores: cujus oratione declaratum eſt, nihil tale quod illi dicerent admiſſum. Cum verò adhuc eos furere intelligeret, neque ad ſanitatem velle reverti, nec ſe bonorum præſidio ſatis tutum fore ſperaret, in arcem rediens, ut eorum furori concederet, ultrò exilium ferè quoddam ſibi delegit, & rus ſe, liberosque ſuos amandavit. Non ne hoc exemplum eſt viri fortiſſimi, & de Republica bene ſentientis? Quid Scipio? quid Rutilius; quid Metellus? quid civis vel quivis optimus patriæ magis præſtare potuiſſet? Neque illud ſilentio prætereundum arbitror, quòd cum difficillimo Reipublicæ tempore Senatus fidem publicam dediſſet, ſi Antonius duo millia nummûm aureorum Senatui daret, decreto præſtaturum Senatum, ut omnia bona ſubrepta reſtituerentur. cumque eorum jam facta fuiſſet inquiſitio, qui in ejus fortunas invaſiſſent, tanta horum prædonum vis fuit, ut neque ipſe Senatus id aſſequi potuerit: ea tamen pecunia jam ſoluta, ut bona huic redderentur. Recita S. C.

CUM ANTONIUS BELLANTES PETRINI F. DUOBUS MILLIB. NUMMUM AUREORUM DIFFICILLIMO TEMPORE REIPUB. SUBVENERIT, AMANTISSIME, EQUE REPUB. FECIT.

IDQUE ANTONII MERITUM IN REMPUB. SENATUI, POPULOQUE SENENSI, GRATUM EST ET ERIT EJUS MERITI MEMOR.

QUOD SENATUS, POPULIQ. SENENSIS INIUSSU, IN ANTONII BELLANTIS ÆDES ET PRÆDIA NONNULLI SUPERIORE ANNO IRRUPERUNT, S. C. FACTUM EST, QUOD FIRMUM FIDE PUBLICA RECIPIT AC SPONDET S. P. Q. S.

QUI EX ÆDIBUS, AGRO, RUREVE ANTONII BELLANTIS AVRUM, ARGENTUM, ET QUOD PLURIS NUMI SIT PECUS, VINUM, OLEUM, FRUMENTUM: ET QUOD MINORIS, FOENUM, UTREM, FOLLEM, FACULAM, ALIUD VE QUID NON DATUM, NON ASSIGNATUM, NON VENDITUM, NON CONCESSUM INVITO DOMINO ASPORTAVERIS:

TRIDUO IPSI DOMINO REDDITO. QUI POSTRIDIE EJUS DIEI NON REDDIDERIS, FUR ESTO, URBE ABITO, SOLUM VERTITO.

QUOD SI QUIS NON AUDIENS DICTO, IN MANUS NOSTRORUM MILITUM VENIT, VENERIT, HUIC LICTOR MANUS COLLIGATO, CAPUT OBNUBITO, INFELICI ARBORI RESTE SUSPENDITO.

Num obſcurum eſt? num infirmum? accepit pecuniam quæſtor, perſcripta in tabulis publicis duo millia nummûm, relata ſunt in ærarium, pronunciatum eſt per præconem, data ſunt nomina, nunquid tamen bona huic reſtituta? nunquid dicto qui audientes non fuerunt, aut in exilium miſſi, aut fures declarati ſunt? verſantur in media urbe, in foro, adſunt in Senatu: fert tamen nihilo ſecius optimus vir æquo animo judices, atque is qui patrii mandati, qui pietatis, qui fidei meminerit. Et quoniam patronum, quem iſti advocarunt, ridere video: continere me non poſſum, quin hominis ingenium vobis aperiam. Is unus eſt ex illis annonæ præfectis, qui tritici medimna CIↃ VICCCC nullo jure Cal. Septembribus ex prædiis Antonii aſportaverunt: quæ quidem cum eo anno anguſtius frumentum proveniſſet, venierunt H-S CXX CIↃ. Cauſa quam illi afferunt una hæc eſt, quòd decreto frumentario is non ſteterit. Videte, ô Judices, quæ res hæc ſit, quàm acerbum: quid acerbum? injuſtum dico judicium. Qui obſecro bone patrone dicto præfectorum annonæ non audiens fuit Antonius? quòd cum edictum eſſet, non licere ex prædiis frumentum aliò aſportare: hujus ſeu cliens, ſeu obæratus quidam, ex caſtro quòd Argianum dicitur, in Areolæ arcem frumenti ſextarium devexit. Obſecro diligenter veteratorem attendatis. quo die decretum editum eſt? Nonis Sextilib. in urbe, in foro. Quo die frumentum aſportavit? Nonis ipſis. Unde aſportavit? ex caſtro Argiano. caſtrum hoc directo itinere ſanè amplius XX millibus paſſuum abeſt: potuitne eo ipſo tempore edi decretum in caſtro, quo in urbe? Non novi. Non novi? norunt municipes, interceſſit enim dies. Qui ergo decreto non paruit, ſi nondum erat editum? Neſcio, inquit: quis tu es? qui tibi à præfectis rationem reddendam putes? ſatis eſt, non ſtetiſſe decreto. Fac eſſe omnia; qui non ſtetit? obæratus ille. quid vos ex Antonii prædiis CIↃ VI CCCC

CCCC medimna frumenti abſtuliſtis? non poterat homo ille ruſticus inſcitia, quæ quidem horum hominum propria eſt, invito domino aſportaſſe? Videtis, quanta horum audacia ſit, quàm nulla prorſus verecundiæ ratio. Eſto, erraverit Antonius: pro ſextario frumenti modiis CIↃ XXXVIII & CCCC an erat æquum multari? quid quod ille quinquies ſeſtertiûm depoſiturum ſe dixit, ſi res non in præfectorum, ſed in hoc judicium veniret? quòd ſi ab iis judicibus decreto non paruiſſe diceretur, abjicere ſe eam pecuniam non recuſabat: ſin autem paruiſſe, reddi frumentum poſtulabat. Noluere optimi viri ſtare judicio, ut qui ſcirent, prædari non licere judicio. Hic nunc patronus in hac cauſa ab accuſatoribus eſt advocatus Judices: hic ultrò venit, tentaturus, ſi poſſit, opimam aliquam prædam, ut per ſcelus ſæpe conſuevit, nunc per judicium veſtrum conſequi. ſedet ad ejus latus, & ad aurem inſuſurrat A. Polenta, qui acriter uſque adeò me intuetur Judices, ut perturbet interdum: vix, vix in conſpectu veſtro ſeſe continet. Quæretis fortaſſe quis hic ſit, vel nihil admodum fortaſſe quæretis: permultis enim annis hic laniſta inſignis habetur: permultis ſic vixit, ut ſit in urbe maleficiis, latrociniis, cædibus multò cognitiſſimus. Nonnullæ ſunt cauſæ quibus adductus eſt ad accuſandum: primùm, quòd in civitate turpe aliquod fieri non vult, in quo ipſe & ſignifer & dux non habeatur: deinde, quòd fratrem habet Janum Polentam, hujus optimi patroni collegam, qui in prædia Bellantia, cum invaſiſſet, & permagnum frumenti numerum, ut diximus, abſtuliſſet, oravit ut fratris partes ſequeretur, ut ſeſe fratris ſimillimum vellet eſſe, ut cum collega ſuo bene ſentiret: unum eſſe Antonium, qui cum inimicitias continenter geſſerint, qui patrimonium amplum & copioſum habeat, prædia item nobiliſſima & fructuoſa, & cum eorum prædiis conjuncta: Itaque hoc damnato, in quod ſemper animum intendiſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

aſſecutum jam, non dubitare in agros illos ſe poſſe irruere: Polentis nunquam fallaciam, nunquam audaciam defuiſſe: oſtendit, quàm adverſarii Antonii ad eam rem parati eſſent, & deſiderio ardentes, quàm facilè adduci poſſent homines ruſtici, qui æris alieni plurimum habeant, ut pro teſtimonio dicant quicquid ipſi mandarint: demonſtrat ea de re ſe jam fundamenta jeciſſe cum ſalinatoribus quibuſdam, qui ſummam operam in ſcelere conflando polliciti eſſent: rem eſſe in eum locum adductam, ut nihil deſit niſi adverſarios convenire, teſtes producere, nomen deferre. Secundus accuſator, Judices, eſt Victor Cerſinus: ipſe is, qui in ſubſelliis à patrono amiciſſimo ſæpe etiam rogatus, conſidere nunquam voluit: ægrè fert video Judices, quòd cum hujuſce conjurationis ipſe autorem omnino ſe profiteatur, ut prædæ primas partes capiat, cum perditiſſimorum hominum princeps, & vitæ turpiſſimæ exemplum quoddam ſemper extiterit, ego primas partes alteri vendicaſſe videar, & cum eo negligenter agere, qui ſic poſthabuerim, qui ſecundo loco appellaverim. Malè quidem factum Cerſine, habes quod juſtè queraris: ſed tamen eſt quod te conſoletur. Putasne viros hos ſapientiſſimos & prudentiſſimos, tuæ vitæ ordinem, tuorum ſcelerum magnitudinem, animi tui ſenſum poſſe ignorare? Qui ſint accuſatores, Judices, videtis. nunc dicendum, quid tandem deferant: ut productis teſtibus, & re omni perſpecta, facilè intelligatis, quàm indigniſſimè optimi viri nomen, honeſtiſſimæ familiæ gloriam, civis ornatiſſimi fortunas & caput oppugnent. LEGEM SALARIAM majores veſtri tulerunt pro vectigalibus. lex ea eſt, ne quis invitis, imprudentibusque Præfectis quatuor, qui Salinatores appellantur, ex municipiis veſtris in prædia, neque è prædiis in caſtra, neque è caſtris in urbem ſal aſportet: ſi quis aſportaverit, is bonorum mulctatione & capitis condemnatur. Lex gravis eſt: ſed tamen ut cæteræ,

ſic

ſic ea quoque committenda optimo & æquo judici, & iis qui jurati magiſtratum ſapienter gerant. Leges enim à majoribus veſtris, non ab hoſtibus vobis ſcriptæ & latæ ſunt, non ad cives perdendos, non ad delendas familias, non ad improbos extollendos: ſed ad bonorum defenſionem, ad conjunctionem civium, ad malorum terrorem, ad Reipublicæ denique omnis firmitudinem. Nihil tamen eſt, Judices, tam bonum, aut ſanctum, quod temeraria dominatrix animi cupiditas non violet, niſi moderator rerum omnium pudor obſtiterit. Nihil à patribus mandatum, aut juſſum eſt, quod adprimè utile in vita eſſe videatur, quin idem nobis perniciosiſſimum eſſe poſſit, ſi eò effrenata hominum prorumpat audacia. Quid legibus antiquius? quid ſanctius? ſine quibus neque urbes ſtare, neque homines vitam agere poſſunt. ſunt enim inſtitutæ ad vitam tuendam, ad hominum cœtus congregandos. Nihil tamen iis inhumanius, nihil durius, nihil pernicioſius, ſi juris adminiſtrandi quantum velint ſceleſti habeant poteſtatem, ſi ex inſidiis agere, atque obſervare cœperint, ut qui digitum à lege diſcedat, eum omni legis pœna obligari debere pronuncient. Eum verò qui cum ipſis ſentiat, vel ſceleſtiſſimus, ſi contra legem omnem fecerit, nihilo ſecius fingant ſe non videre. Id nunc ego dico Judices, quòd ſciam multis jam annis hoſce ipſos qui accuſatoribus favent, qui improborum hominum cupiditati obtemperant, nunquam cogitaſſe, quid ſit huic legi parêre: ſed in ſale aſportando ita fuiſſe diligentes, quaſi ii qui non maximum numerum imprudentibus præfectis aſportaſſent, condemnari ſolerent: nunc tamen pro re vel minima, & ea quidem falſa, communi ſtudio ſolicitare accuſatores, ut ita rei exiguæ rationem repoſcant, atque ipſi in vita omni ſanctiſſimè vixerint. Quæ res ea eſt? Accuſant, quòd hujus cliens ex oppido quod Colonia dicitur, devexerit in Argianum ſalis cados duos: quòd mulio item ex Argiano in urbem cados treis. Hæc eſt omnis accuſatio Judices:

nihil aliud quicquam habent, nihil omnino aliud: ex hoc uno judicium univerſum conſtituitur. Itaque pro ſalis cadis V, fortunas omneis, & vitam florentiſſimi civis oppugnant. O tempora perdita & miſera, ô ardentem avaritiam, ô inexplebilem hominum cupiditatem? Petunt proſcribi bona quæ ſunt ſexagies, jubent damnari capitis civem de bonis omnibus benemeritum. Vos ego nunc Dii immortales appello, quorum in fide civitas Senenſis eſt, ut quos decori & ornamento huic civitati eſſe voluiſtis, eorum nunc reliquiæ veſtra ope à perditorum hominum inſidiis tutæ eſſe poſſint. Verum eſt, in tabulis publicis hanc eſſe legem: fatemur Judices. neque enim ob aliud in hunc locum venimus, niſi ut veſtra virtute & gratia locum veritas, ubi conſiſtat, jam reperiat. Sed quæ ſint ejus legis conditiones, obſecro animadvertite. Si quis contra legem fecerit, eum fortunis & capite mulctari oportet. Jam video à vobis ipſis quæri, ad quemnam fortunæ iſtæ perveniant? cui bono ſit reum damnari? Hoc erat quod iniquum videbatur Judices, hoc nullo modo ferendum: in accuſatorum & præfectorum, non in Reipub. commodum res omnis convertitur. Videtis quid hoc ſit? præfectos judicio bonis poſſe ſpoliare aliquem, quibus tamen ſe & accuſatores auctent. Quid ſi perditi & ſceleſti homines magiſtratum hujuſmodi obeant: quis non videat, in eorum poteſtate poſitam dignitatem, fortunas, vitam bonorum omnium? Obſecro vos, ne veritatis plena actio, fretum æquitate veſtra in invidiam rapiat: liceat mihi liberè audacterque dicere apud tales viros pro ſanctiſſimis legibus, quas majores veſtri ſumma obſervantia coluerunt, vos nunquam improbaſtis: quibus iſta lex adverſaria eſt conſtituta. in quo ſatis mirari non poſſum quorundam hominum indiligentiam, vel potius inſcitiam, qui cùm in Gymnaſiis perbellè garriant, in foro ſtrepant, in vectigalibus magnis ſtipendiis affecti latrocinentur, ea de re nunquam verbum fecerint: cùm tamen inſuavi loquacitate miri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

mirificè delectentur, volumina in dies edant, ornamenta verò eloquentiæ contemnant, atque abjiciant, quòd ſcilicet barbarè melius quam Latinè ſciant, remque omnem in jejuna verborum volubilitate & recitandis legum capitibus poſitam eſſe opinentur, cùm interea verboſi pugnantia ſe loqui non videant. Quid ergo juris iſti homines periti ſſimi, Liciniam & Ebutiam legem ignoraverunt? cumque in rogandis legibus, conformanda Repub. adſtitiſſent, res ad Senatum relata non eſt: nam profectò aut abrogari Ebutiam & Liciniam legem oportebat, aut inſtitutum illud ſalarium tolli. At ne omnia in Juriſconſultorum officinis eſſe arbitremini, leges illæ ex eloquentiſſimi viri pulcherrimis monimentis mihi repetendæ ſunt. LICINIA LEX, atque altera EBUTIA eſt, quæ non modò eum qui tulerit de aliqua curatione ac poteſtate, ſed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne eis ea poteſtas, curatiòve mandetur. etenim ſi populo conſulis, remove te à ſuſpicione alicujus commodi, fac fidem te nihil niſi populi utilitatem & fructum quærere. Nonne in tabulis publicis ſanctio eſt in primis firma de legibus Romanis? non ne pugnant illæ cum Salaria veſtra? Licinia & Ebutia non modò quæſtum, ſed commodum: non modò commodum, ſed ſuſpicionem non admittunt. Hæc verò non ſolùm in quæſtu, ſed in præda quoque verſatur, per quam judicia compilationes eſſe poſſunt, furta impunè admitti, latrocinia cum laude exerceri. hoc non eò dico, Judices, quòd crimini huic culpam aliquam ſubeſſe, aut erraſſe in ea re Antonium aliquo modo arguam: ſed ut vos, ubi ea poteſtate ex Senatorib. Judices creati eſtis, qua nulli unquam antea, periculum quod ea lege in omnes intenditur propulſetis, ut legem iſtam veluti gladium diſtrictum in bonos omnes, veluti mucronem à jugulis civium, ex impiis hominum manibus extorqueatis. Neque enim vos fugit, ſuperioribus annis eodem crimine indigniſſimè accuſatum fuiſſe

fuiſſe virum ſumma prudentia & gravitate Julium Pannilineum: qui etſi ab ornatiſſimis viris defenſus eſt, fuit tamen in ea re negotii plurimum. Scitis eam legem ſceleſtis hominibus ſemper pro ſica fuiſſe: ad prædam verò & latrocinia, ad flagitia denique omnia viam apertiſſimam. & dubitatis ô Judices, aut abrogare, aut, ſi hoc impetrari non poteſt, addere quidpiam, in ſalinatores animadvertere, ſupplicium aut pœnam ſtatuere, ut illorum intolerabili audaciæ reſiſtatis? nam his miſeris temporibus quæ hominum ſint cupiditates, quæ ingenia, quàm boni ratio nulla, ſcio vos intelligere. Quòd ſi majores veſtri leges tulerunt, fuere illi optimi quidem viri, & cives egregii: ſed tamen eo tempore, quo mentes omnium ad Rempublicam converſæ erant. non tum civilibus diſcordiis ardebat Hetruria, non in ordines diſtributæ inimicos, incertus erat veſtræ civitatis ſtatus, non homines perditi bonos fallaciis circumveniebant: ſed quam vitæ uſuram natura dederat beatiſſimam, placidè & tranquillè producebant. Ubi verò ad ea tempora ventum eſt, quibus ratio nihil temeritatem coercet, & vitiis contaminare ſe, ingenii aciem omnem in alterius perniciem alter intendere conſuevit, multa quidem à vobis ex legibus illis & inſtitutis commutanda ſunt, nonnulla addenda, pleraque proximis annis commutata antiquanda. Licet id facere majorum exemplo & conſuetudine. Quòd ſi prudentiſſimorum hominum fuit leges ferre, corrigere quidem ſapientiſſimorum eſt. Mamercus Æmilius legem, qua cenſura quinquennalis erat, commutandam curavit: cenſuram intra ſex menſium & anni ſpacium coegit. Acceperant Romani ex Græcis legem de civium virgis: ſervata eſt ea multis annis. cùm tamen dignitatem majeſtatemque eorum imminuere videretur, abrogata eſt: & lex Porcia prolata, quæ in cives honeſtius animadverteret. Neque verò in legibus quibuſdam abrogandis trepidandum eſt: ſed pro aliis rogandis, & præferendis, ſi interſit Reipub. non con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſilio ſolùm, ſed armis eſt agendum. Lex de connubio patrum quanta contentione, lex de conſulibus deligendis quibus armorum terroribus prolata eſt? C. Calpurnius Piſo ex S. C. cùm de ambitu legem ad populum tuliſſet, & è foro maximo cum periculo fuiſſet ejectus, virorum fortiſſimorum globo ſtipatus in forum deſcendit, nec ab armis prius receſſum eſt, quàm lex confirmata. Sunt exempla alia Judices, quæ vos commonefacere debeant: ſunt & philoſophiæ loci de capite, de fortunis pro ſalute patriæ vovendis: quæ omnia cum vobis non ignota, ſed ſint multo cognitiſſima, in his brevis admodum mea erit oratio: in hoc verò altero neque erit longior. nam quis non intelligat iniquiſſimam eſſe legem, quæ inſtitutis antiquiſſimis & ſanctiſſimis repugnet, per quam Judices accuſatores eſſe poſſunt, & bonis & capite pro re vel minima civem condemnare, fortunas omnes in rem propriam convertere? ſi enim rei bona ad Remp. pervenirent, non ad præfectos ipſos, quorum judicio ſtandum erat: non utique laborarem nunc Judices, non in diſcrimen adduceretur fama & caput optimi viri, non ea eſſet hominum ſitis, & devorandi patrimonii alieni cupiditas. Namque magni refert, duos præfectos eſſe, M. Gorgiam, & Nævium Amerinum: qui tantum æris alieni habeant, ut nullo modo ſolvendo ſint, niſi ſummis opibus huic detractis: cumque is M. Gorgias proximis diebus in jus vocaretur ab adoleſcente optimo Julio Bargalia, exacturo ab eo H-S LX. prædiolum quod patrimonio effuſo ſibi reliqui erat, pro ære quod deberet conceſſit. cumque facetè objiceretur, de re patria nihil jam ei reſtare: reſpondit, multo plura ſua induſtria & ingenio parta, quàm pater reliquiſſet: paucis diebus fore, ut decem & ſeptem prædiorum eſſet dominus, qui in re patria fuiſſet egentiſſimus. Itaque hoc in ſcelere conflando cùm omnem operam, curam, diligentiam, mentem adhibuiſſet, ultrò cum Craſſo Labeone præfecto in domum Amerini venit, commu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

nem egeſtatem oſtendit, premi miſerabiliter utrunque ære alieno, pecuniæ magnitudinem, prædiorum copiam demonſtrat, conjurationem in Bellantem aperit. illis enim ipſis diebus cum Polenta & Craſſo in domum C. Meſſani hujuſce optimi patroni venerat, & multus ſermo ea de re habitus eſt: meminiſtin' Polenta eo ipſo die, meminiſtin' initam ſocietatem cum præfectis & patrono, & collega tuo? diſtribuiſſe bona, & fortunas hujus, dixiſti: quinque prædia cum arce tibi ſatis eſſe: quæ in Colonienſi agro ſunt, C. Meſſano ob patrocinium deberi: M. Gorgiæ in Mætiano XVII. Nævio Amerino totidem ad Argianum: Cerſino collegæ tuo, & audaciæ ſatelliti Valdaſſium, & ædes maritimas aſſignabas: Labeoni, quem tecum ſemper dicebas ſenſiſſe, & propterea eſſe chariſſimum, paſcua Caldenſia. reſtare adhuc ſuburbanas villas, & ædes cum hortis: eas pro teſtibus comparandis, & pro ſumptu ſatis eſſe debere. His ſic conſtitutis, ſtatuiſti, quò quenque proficiſci oporteret: M. Gorgiam Piſas, Cerſinum in Coloniam veterem, Labeonem in caſtrum Argianum: in urbe te cum Amerino & Meſſano remanere, inimicos quoſdam Bellantis ſolicitaturum. illud tamen in primis memoria omnibus tenendum, cum quarto præfecto A. Tancredo nihil communicandum: eſſe illum noveni ordinis, & Bellanti ita amicum, ut cum ipſis nunquam ſentire poſſit. Videtis Judices, quid ſit, rei bona ad ſalinatores ſi perveniant? Præfecti ipſi pro comparandis falſis teſtibus adlegantur: non pudet eos quorum judicium expectabatur, fungi accuſatorum munere. itaque tollitur ex Polentarum conſeſſu M. Gorgias, & Piſas uſque volat. Meminerat enim habere familiarem ibi neſcio quem hominem tenuem ſervili genere Toforum, quem precio adduci poſſe non dubitabat, ut in quemvis teſtimonium diceret. nam proximis ſuperioribus diebus cùm in urbe fuiſſet domi hujus optimi viri, adpromiſerat, ſi quando uſu veniſſet, ad omnia fore ſe paratiſſimum. Cerſinus interim cùm in

Colo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Coloniam veniſſet, comperit ibi Jonem Scotum, qui juſſu Bellantis conjiciendus erat in vincula, quòd non diſſolviſſet numos CC. accurrit Cerſinus, hominem amplectitur: quærentem qui pro ſe vadimonium ſiſtat, conſolatur, jubet eſſe bono animo, demonſtrat ab inimicis potentiſſimis accuſatum Antonium: perquiri nunc teſtes, qui in eum dicant: poſſe nunc injurias ulciſci, æris alieni cura liberari, ſi cum aliis juratus teſtimonium dederit. atque id ut æquiſſimo animo faciat, damnato Bellante prædium promittit. quid putatis Judices, aut illum potuiſſe recuſare, aut hunc quæ dixi non fuiſſe pollicitum? Poſtridie ejus diei Scotus lætitia elatus, totus exultans, totus geſtiens, qui multis menſibus vico ſe continuerat, qui ſe in domicilii tenebris ex hominum conſpectu abdiderat, qui in vincula erat conjiciendus, in urbem venit, Polentas adit, hoſpitio excipitur, orant ut in ſententia maneat, prædium adpromittunt. cumque ei Lucas Caſinovenſis municeps, homo ſatis accuratus, gratularetur, quòd cuſtodia emiſſus eſſet: interrogavit, an pecuniam domino diſſolviſſet? Quid creditis? potuiſſe confictum mendum continere? homo ruſticus imprudenter rem omnem aperit, conſilium evomit, conjurationem nudat: dicit ſe eò in urbem veniſſe, ut injurias ulciſcatur. comparatum ſibi in accuſando præſidium potentiſſimorum hominum: alium eſſe ſe, atque olim cum deprecabatur. Ad hæc Caſinovenſis cùm reſpondiſſet, nequaquam bono colono ea digna videri: diutius eſſe animo luſtrandum, quid rei ſit in civem dicere, dominum lædere, adverſariorum fidei ſe committere: itaque admonere pro amicitia, ne pro ære & largitione bonum nomen & vitam profunderet: nam ſi hac ſolicitudine aliquando eſſet liberatus Antonius, acrius in clientem eſſe animadverſurum, qui ab averſariis mercedula fuiſſet adductus. Tum homo rudis, primùm cogitare cœpit, & intelligere in quas ſalebras incidiſſet, quanto in periculo verſaretur. ad Polentas redit, com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

commemorat quæ municeps objeciſſet: tamen ſe ab officio non diſceſſurum, ſpem omnem in eorum fide & autoritate eſſe poſitam, ut ſi Antonius abſolveretur, in colonia tamen ipſe tutò eſſe poſſit. Tum illi maximè cohortari hominem, ut in eo ſeſe confirmaret: orare, urgere, ne à fide conſtantiaque diſcederet: ſed in propoſito, ſuſceptoque conſilio permaneret: & promiſſi expectatione potius, quàm ruſtici hominis verbis moveretur. Atque ut ſuſpicionem omnem ex animo delerent, metuque liberarent, ad deductores Coloniæ novæ adducunt: hunc Orbitelli colonum fieri orant, atque impetrant. extat enim S. C. ut in eam oram, gravem aeris vitio, colonia deduceretur: qui ejus oppidi coloni fiunt, etſi æs alienum vel magnum conflaverint, in judicium vocari non poſſint. Spero ex hoc ipſo, Judices, vos intelligere, quales teſtes adduxerint. nam crimen omne mox ego diluam. Quid hoc eſt Cerſine? quid Polenta? tantum pro vicano elaboraſſe? quid vobis cum illo negotii eſt? quid hæc cum Scoto, homine ruſtico, civibus familiaritas & neceſſitudo? Videte ne in iſtis tenebris lucem Judices reſpiciant. Venio nunc ad laudes egregias, ad præclaros labores tertii præfecti Labeonis. Cùm is in caſtrum Argianum veniſſet, neque inveniret qui audaciæ hujus partes ſuſcipere vellet, ne in ea legatione nihil profeciſſe videretur, Sancium & Hieronem, inſtitores Bellantis, in urbem, in ſpeciem triumphi clariſſimi, captivos ducit: miſeros quidem homines, & indignè nota hac affectos. quos cùm in urbem invexiſſet, & comperiſſet eo tempore, quo ſal aſportatum diceretur, non fuiſſe inſtitores Bellantis, ultro in caſtrum remiſit: ſed tamen ne prædam ſummis laboribus non acquiſiviſſe ſibi videretur, & ut ſuis collegis ſatisfaceret, ſaltem fallacia, fingit inſtitores terroribus illis perculſos dixiſſe, Carduonem famulum Bellantis accepiſſe quondam à Byrſa mulione ſalis cados duos: illum tamen in Areolæ arce eſſe. qui ſi in eorum ſit poteſtate, crimen in aper-

apertum proferri. Conclamant ergo in urbe præfecti, & forum vocibus complent, vi, vi detineri à domino famulum, qui rei omnis ſit conſcius, qui ſal acceperit, qui teſtimonium poſſit dicere. Id cùm ad Bellantem deferretur, ne falſæ accuſationis genus in bonorum civium animis falſi quicquam imprimeret, mittit illum in urbem, ad præfectos ipſos. An eſt obſcurum Judices, ſi Carduo hujuſce culpæ affinis fuiſſet, quin à domino in urbem miſſus non fuiſſet? Non rerum imperitus adeò, neque imprudens eſt, ut quod ſua permagni intereſſet, non videret. Cùm ergo ille in urbem acceſſiſſe diceretur, perculſi ſunt præfectorum animi, quòd præter omnium opinionem ad eos veniſſet: intellexerunt hoc uno dilutum crimen, & rem in illuſtri civium conſpectu eſſe poſitam. Et quoniam Carduo (ut ſunt hujuſmodi homines timidi) verebatur, ne herili odio adducti, aut veteribus inimicitiis Salinatores ſecum iniquius agerent, accepta nobiliſſimorum civium fide, ad eos contendit: nunquid tamen inexplebilis avaritia, num cupiditatis ardor, num audacia, num temeritas diu longè abeſſe potuit? Nihil eſt Judices, quod illorum libidinem coerceat: nihil eſt in illis non crudele, non inhumanum, non ferum. nam cùm omnia licere ſibi putarent, cùm jura humana & divina contemnerent, hominem ultrò venientem, fide principum civitatis fretum in vincula conjiciunt, eo conſilio, ut per minas id aſſequantur, per ſupplicia id extorqueant, quod precibus, promiſſis, largitione aſſequi non potuerunt. Itaque hic ipſe Labeo, qui præfecti munere fungebatur, Carduonem ad ſe adduci jubet, cathenas relaxari; admonet, famulo qui ſapiat debere pluris eſſe vitam ſuam, quàm heri fortunas: præfectos ita certum & conſtitutum animo habere, niſi rogatus dixerit ſalis cados aliquot ſibi ex Argiano redditos, & Antonii nomine acceptos, eum ſupplicii genere omni affici oportere: itaque ſibi duo eſſe nunc propoſita, aut ad voluntatem præfectorum dicere, aut cruciatus omnes & pœnarum exempla

omnia expectare. O conditionem iniquam Judices, ò ferociam inhumanam! an magis, an crudelius tyrannus, cujus plenum invidiæ apud vos nomen eſt, interminari potuiſſet? Quid tyranno pulſo exultat Reſpublica? quæ nam hæc libertatis reſtitutio eſt, ſi tyrannidem, & eam quidem acerbiſſimam, in foro palàm ſunt qui exerceant? ſi tantum quivis peccare poteſt, quantum qui velit maximè? Neque verò ea ſolum dixit, quæ diximus, ſed re quidem multo plura præſtitit. nam cùm miſer ille ſapienter reſpondiſſet, nullum æquè ſupplicii genus eſſe horribile, ac proditæ fidei dedecus eſt, & conſcientia: ſublimem abripi juſſit, & excruciari ſuppliciis. Sunt hæc indigna, Judices: atque mehercule non mediocriter pertimeſco, ne demiſſe nimis, ne parum audacter, non graviter, non fortiter, ut cauſa flagitat, conqueri videar. Nam cum ille ſummis cruciatibus torqueretur, & in veritate aſſeveranda ſemper conſtantiſſimè perſtitiſſet, implorabat hominum Deûmque immortalium fidem: appellabat præfectorum æquitatem, in quibus nulla humanitatis & rationis effigies unquam fuit: ad pedes ſeſe laxata reſte abjiciens, obſecrabat, ut accuſatorem adduci juberent, & paribus ſuppliciis afficerent, ita facilè veritatem inveniri poſſe: facillimè hoc uno intelligi, ipſe, an potius accuſator à veritate deſciſceret. Honeſtiſſima poſtulatio, non negligenda, æquitatis & fidei plena. Cùm verò illi ſcirent neminem plane nomen detuliſſe, Labeonis hoc eſſe cogitatum, ut in quæſtionem datus famulus, vi allata in dominum diceret: vehementius inſtare, minari acrius, crudelitatis ſatellites ſolicitare. ille tamen dicta affirmare conſtantius, conqueri liberius, obteſtari clariſſima voce, judicio ſe eſſe circumventum: intelligere jam præfectos eſſe accuſatores, cùm alios nunquam adduxerint. Videtis Judices, ut veritatem in profundum detruſerint. O facinus indignum, & non ferendum: videtis, ut hominem innocentem dolo malo, nullo jure, nullis ſuſpi-

ſuſpicionum veſtigiis, cruciatibus cumularint. Verùm cum ex hoc nihil prorſus habeant, quod contra nos faciat, intelligo ſpe maxima deſtitutos. Venio igitur ad teſtes, ſed tamen ad hos ipſos iratos, cũpidos, tenues, ruſticos, à fide omni, à religione remotos: ad hos inquam ipſos, quos modò tam bono jure improbaveram, ut rejecti præclarè viderentur. Sed quoniam alios non habent, quos producant, inſtandum etiam eſt, diligentius quærendum, acrius explorandum, ut eorum fallacias, & perditos mores intelligere poſſitis: ne ad plenam & egregiam defenſionem quicquam defuiſſe videatur. Atque illud primùm per Deos immortales à vobis peto Judices, ut majorum exemplo, & ſapientum inſtitutis, de accuſatoribus, de reo, de teſtibus diligenter judicetis. Quòd ſi in culpa Bellantem eſſe verè quis arguere poteſt, ego oratione quidem certè nihil obſto: ipſe non recuſat, hoc comperto, obligari omnibus judicii pœnis, vel graviſſimis. Sin autem in hac cauſa nihil eſt niſi accuſatorum cupiditas, & audacia, præfectorum iniquitas, & crudelitas, teſtium improbitas incredibilis, flagitamus Judices, ut tanta & tot ſcelera vindicetis, ut eos vos in hac quæſtione præbeatis, quos æquum eſt, & boni omnes jamdiu expectarunt. Videte accuſatores cum Bellante veteres inimicitias gerere: cognoſcite eorum vitam, intelligite ingenia: cogitate quos teſtes adduxerint: luſtrate obſecro animo an veriſimile ſit, quod detulerunt. perfacile eſt vobis, ſi libet, conjectura rem omnem percipere. Habeo aliquid, & id quidem permagni momenti, quod in animis veſtris opinionem inſerere poſſit. Antonius cum ex vectigalibus ſeſtertia duo ſingulis annis eſſet exacturus, quòd Aldellus Placidus quæſtor Reipublicæ nomine viginti abhinc annos numos ſcutatos CCCC ab eo accepiſſet, contracto ære alieno decrevit Senatus non ſine creditoris jactura, ut ex ſalinis urbanis cadi XXV. unoquoque anno pro ea pecunia darentur. Scitis

vos ipſi præfecti graviter illum tuliſſe, conqueſtum apud vos, cum diceret ſalis ſe nimium habere, quod decreto municipali ſingulis annis pro caſtris & præ-diis cadi XL. apportarentur: habere ſe ex rationi-bus urbanis cados XXX. qua ratione ergo fieri po-tuit, ſi tantum ſibi ſalis erat in urbe, ut ex caſtro Ar-giano, & Colonia veteri, tanta præſertim interca-pedine, tanto cum periculo, cados quinque in ur-bem devehendos curarit? O præclarum argumen-tum: ô egregiam conjecturam: ô acrem ingenii aciem! non poſſum non magnopere mirari Judices, quàm nullo conſilio veteratores iſti, in fallaciis diu verſati, & exercitati, tam leviter hæc confinxerint. Nam quid dicam de eorum patrono, ſine quo nihil commentabantur? verebar ego in hoc homine, ut eſt ſumma perverſitas, & accuſandi uſus, fore quic-quam ita conſtitutum, ut maximè in diluendo mihi eſſet elaborandum. Sed non ita eſt: nam quid in hac cauſa obſcurum? quid in hac quæſtione eloquen-tiam, aut dicendi exercitationem deſiderat? Pudet me de re tam aperta diutius differere apud tales vi-ros. Quid eſt accuſatores? producite jam eos ipſos teſtes, quibus quod erat ex voluntate veſtra dicen-dum, memoriter recitare juſſiſtis. TESTIMO-NIUM TOFORI. Verbum interponam: vel is Toforus eſt, qui apud M Gorgiam cœnatus, cum Cerſino pernoctavit? Is ipſe eſt. Perge jam, dic quod lubet. TESTIMONIUM TOFORI PISANI. Quantum audio, dicit ſe abhinc decen-nium Idibus Februariis, cum caſtrum Argianum ver-ſus proficiſceretur, offendiſſe in itinere mulionem: itaque cum eo in villam Bellantis divertiſſe: fuiſſe in ea Hyeronem & Sancium, tum inſtitores, qui ſalis cados duos domini mandato acceperint. Conſidere-mus, obſecro, quibus verbis utatur. quæ enim hæc potuit eſſe memoria, non ruſtici quidem hominis, ſed nec Themiſtoclis, aut Luculli, in quibus præ-ſtantiſſima fuiſſe dicitur, ut in re exigua, & quæ ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ad ſe minimè attineret, abhinc decennium meminerit diem quo Argianum verſus proficiſcebatur? nam ita clarè Idibus Februariis pronunciavit, ac ſi heri fuiſſet dicendum. Addit, domini mandato accepiſſe. Quì hoc ſcire poterat? niſi ariolari dicat etiam ſe ſcire. Sunt hæc certiſſima, Judices: quibus corruptelæ ſuſpicio poſſit ſignificari. Videntur hæc verba prolata ab eo, qui mercede ab accuſatore ſit adductus. nam quid tam temerè, tam cupidè illa dixiſſet? Quæ rurſus ut refellamus, ut intelligatis nulla jurisjurandi religione in teſtimonio dicendo fuiſſe commotum, producamus nunc Hyeronis & Sancii teſtimonium, quibus iſte ſal idibus Februariis redditum juratus tam temerè affirmat. HYERONIS TESTIMONIUM. Perbono loco res eſt. diligenter obſecro attendatis, ut eorum dicta conferamus: perbono loco res eſt. Producito nunc TESTIMONIUM SANCII. O rem ſingularem, Judices. videtis quæ vis, quæ lux ſit veritatis? Primo quoque verbo illum mentiri neceſſe eſt. dicunt, inſtitores abhinc ſeptennium primùm advocatos fuiſſe, præfectosque negotiis à Bellante: quì ergo ad eos diverti, qui ſal deferri potuit, & domini mandato reddi, ſi tum ibi eos conſtat non fuiſſe? ſi certiſſimum eſt, tum Bellantis non fuiſſe inſtitores? quod ex eo intelligite, quòd Hyeronem & Sancium à Labeone in urbem captivos ductos, cum innocentiſſimos cognoviſſent, ultrò remiſerunt. nam ſi in culpa eſſe potuiſſent, conjeciſſent in vincula, detinerent in fovea, cruciatibus conficerent. Audiamus nunc alterum veteratorem: atque interea Polenta confide obſecro, & ne me ita acriter intueare. TESTIMONIUM IONIS COLONI JAM ORBITELLENSIS. Scio nunc Polenta, quare ſurrexeras, quò me ita intuebare. eſt hic, cui patrocinium nunquam defuturum pollicebaris: memini illum eſſe tuum clientem, cum primùm colonum jam Orbitellenſem audivi appellari. is enim

eſt, pro quo re niſi impetrata nunquam conquieſti: ſed ut verè & liberè dicam, hæc ipſa verba præ ſe ferunt hominis perverſitatem. nam quæ illa eſt inſcriptio? COLONI JAM ORBITELLENSIS. niſi tua opera ære alieno liberatum dicere: pro quo ut ille referret gratiam, juratus ad accuſatorum voluntatem dicere non eſt veritus? Dicit is, dum triduum in urbe fuiſſet, in ædibus Bellantiis vidiſſe à Byrſa mulione clàm ſervo redditos ſalis cados tris, quos ex caſtro Argiano aſportaviſſet. Primùm hoc rogo, ſi triduum in urbe fueras, quî ſciebas ex eo caſtro ſal devectum? quid ergo affirmas, quid juratus dicis, quod te ignorare neceſſe eſt? Quid ſcis in iis cadis ſi clàm redditi ſunt, ſal fuiſſe, vel aliud quidpiam? ſed video, clàm dixit, ut hoc ipſum ſuſpicionem faceret. Quomodo verò clàm, ſi tu quoque aderas? ſi præſentia hominis infideliſſimi non commovebantur? ſed huic teſti, Judices, non credendum eſſe, multa ſunt quæ poſtulent. primùm, teſtimonium eſt ex conjecturis. deinde quòd conſtat, illum communicaſſe cum multis, in quibus eſt L. Caſinovenſis: in Bellantem dixiſſe ex accuſatorum voluntate, ut per eos ære alieno liberaretur, ut dominum perderet, cujus juſſu in vincula erat conjiciendus: quo incolumi, ſcelerum conſcientia diu horum patrocinio ſe tutum fore non ſperabat. His ſic conſtitutis, quid dubitatis Judices, leges tueri antiquas, emendare novas, commune periculum propulſare, gravi animadverſione ab hujuſmodi inſidiis hoſce ſicarios deterrere, Bellantem veſtra æquitate ſublevare? Et quidem certè ſi hominis ſummo ſplendore, ſumma virtute ratio non habetur, cujus permagna habenda eſſet: admoneat vos Judices, quæ res una Rempub. veſtram augere poſſit, & civilibus diſcordiis multos annos perturbatam omni moleſtia liberare. neque enim aliis de cauſis ad gubernacula Reip. ſedetis, & in hoc conſilium delecti eſtis, niſi, ut cum judicia per vos fiant ad civitatis temperationem, utrunque oculum, & animi aciem omnem

omnem intendatis : vobis nunc integrum eſt Judices, diſperſos, diſſipatoſque cives convocare, lenire, eorum animis pacem afferre, quos contumeliis oneratos, acerbiſſimo dolore angi neceſſe eſt. itaque malunt in vicis & municipiis ruſticanis duriter vivere, quàm videre in patria vitam ipſam in ſicariorum manu eſſe poſitam. Sunt & hi cives veſtri Judices, quorum majores hac in urbe nati, educati, nunc demum mortui conquieſcunt: quorum laudes hic multas, quæ dici poſſunt, nolo ego commemorare, ne ad aliud quidpiam mea pertinere videatur oratio. illud tamen meminiſſe debetis, ſi quid in illis prudentiæ, fortitudinis, gloriæ fuit, quod literis & hominum memoria ſit conſecratum, id totum veſtrum eſſe: ita quoque & hi qui ex illis nati ſunt, ſi quid eorum majoribus dignum fecerint, hoc omne ad vos attinere: & vobis, liberis, poſteriſque eorum fore ornamento. Sin autem in rerum inopia, quòd bonis paternis uti non poſſint, quòd patria expellantur, quòd nulla domeſticæ dignitatis ratio habeatur, aliquid minus ingenuum atque illiberale admitterent, ita ut in eorum vita macula conciperetur, exiſtimate eam ablui non poſſe: ſed ad liberos, poſteroſque veſtros in perpetuum permanare. nam etſi diſtributa in multos ordines veſtra civitas eſt: genere tamen, & ſanguinis communione ſic juncti eſtis, ut ſi quis ſuperiora tempora, & noſtra hæc, majoreſque veſtros memoria repetat, ex iisdem diverſos, ex diverſis eoſdem prognatos eſſe dixerit. Quòd ſi ex urbe pulſi, & ejecti, ſic honeſtè & ſapienter vixerunt, ut in egeſtate indigniſſima, vaſtatis eorum agris, domiciliis exinanitis, adhuc in officio cives manſerint, adhuc inſtituta veſtra ſanctiſſimè ſervarint: decet vos Judices, aliquando eos ſublevare, & à moleſtiis, ærumniſque abducere: decet vos non deponere memoria, qui viri hi ſint, quales majores eorum fuerint, quanta cum dignitate, & omnium exiſtimatione in hiſce ſubſelliis, in quibus ſedetis, conſederint.

debetis reminiſci humanæ conditionis, & rerum viciſſitudinis: poſſe vos, liberosque veſtros, aliquando apud aliquos cauſam dicere, qui æquitatis, ſapientiæque veſtræ rationem ſint habituri: poſſe circumveniri ab hominibus improbiſſimis, quos virtutis veſtræ memores fortiſſimi viri defendant. Quare Deorum immortalium munus, Judices, proſpicite, cognoſcite, amplexamini: cauſa hujuſmodi vobis oblata eſt, non vereor dicere ab illis ipſis Diis, quorum in fide veſtra civitas eſt. nam ſi prudentiſſimi cives, qui vicis ſeſe continent, viderint oppugnatum à perditiſſimis hominibus egregium virum, ſic præclarè à vobis defendi, ſic ſevera judicia fieri, & pœnam in aleatores, adulteros, vexatores bonorum excogitari, moram nullam interponent, quin in urbem redeant, ut civibus gratulentur, ſibi gaudeant, hunc Senatorum delectum in cœlum laudibus ferant: quorum opera liberis, conjugibus, proquinquis, amicis reſtituti ſint, advenientibus in Hetruriam Oſma & Cova veluti magnis Diis: qui cum mihi tam humaniter adfuerint, ut nihil magis ego deſiderarim, ſic moleſte hominum ſcelera ferant, ut nihil ſeverius à graviſſimis viris ſit expectandum: præclarè à vobis Judices factum iri arbitror, ſi in accuſatores cupidos, temerarios, in teſtes ab omni religione & fide remotos, in præfectos iniquiſſimos, & à veritate longè pecuniæ cupiditate abductos, graviter animadvertatis: ut cum ad Cæſarem, cujus nomen majeſtatis plenum eſt, ii viri venerint, ad quem nunc proficiſcuntur, de æquitate veſtra, de optimo judicii genere, de bonorum defenſione, de concordia, & reconciliata gratia civium multa commemorare cogantur, & lætentur ſuo adventu illuxiſſe Reipublicæ veſtræ fauſtum & felicem diem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ORATIO III.

PRO SE IPSO,

Ad Patres Conſcriptos Reip. Senenſis.

CUm ſuperioribus annis P.C. is de me ſermo eſſet, quem non mea innocentia, & ſpectata à puero vita, ſed omni humanitate exuti adverſarii mei eſſe voluerunt, non magnopere commovebar. Exiſtimabam enim miſeris, perditisque temporibus, quibus jura divina & humana confundebantur, boni in ſitu & ſqualore jacebant, felicitatis propè cujuſdam meæ eſſe, quòd ab iis contemnerer, quibus ego placere ſine magna infamia non potuiſſem: itaque in meis calamitatibus communi incommodo ſublevabar, & levationem aliquam fortaſſe afferebam amicis meis, quòd in iiſdem rerum anguſtiis verſarer, quibus illi indigniſſimè premerentur. Nunc cum Deorum immortalium beneficio, & Caroli V. Cæſaris Auguſti pietate, per ornatiſſimum & ſapientiſſimum virum C. Franciſcum Sfondratum, non modò color & ſpecies, ſed etiam ſuccus & ſanguis Reipublicæ ſit reſtitutus: & fortiſſimus vir Franciſcus Craſſus urbi Præfectus, ſtet ad bonorum defenſionem: quid eſt P. C. quòd ego me non excitem, atque erigam? præſertim cum uterque iſtorum in iis diſciplinis atque artibus excellat, quas ego ſemper mirificè colui, & obſervavi. Té ne ego C. Franciſce Sfondrate in loco tam excelſo pulcherrimè ſedente, té ne Franciſce Craſſe ad jus dicendum ab Inſubribus uſque accerſito, oneratus omnibus injuriis, laudator atque imitator ſtudiorum veſtrorum, non caput extollam? non animo forti ac magno ſim? non eruptione veluti facta, ferrum & manus conferam cum iniquiſſimis hoſtibus meis? quos ego,

non, ut illi me, imperitorum voculis objiciam, ſed adducam in illuſtrium virorum conſpectum, qui ſuffuſos animos malevolentia, & invidia gravidos excutere poſſunt: & facilè agnoſcere, qui ad maledicendum multum, ad ementiendum licentiæ plurimum habeant in civitate. In hoc enim P. C. graviſſimum ſupplicium conſtitutum eſſe arbitror adverſariis meis, ſi, qui ſint, à vobis dignoſcantur. id ſi mea oratione fiet, eximiam quandam gloriam conſecutus videbor: quòd ſi pluſculum etiam acceſſerit, ut pro æquitate veſtra, litera ea ad caput affigatur, qua jam diu digni ſunt, nihil eſt quin beatiſſimam mihi vitam eſſe putem. Etenim P. C. cum maleficii nulla ſpes perficiendi & occultandi in civitate veſtra ſit, nullus maledicto etiam debet eſſe locus. Quòd ſi ego tam patienter tuli iſtorum quotidiana convicia, ſpero, me vel ob hoc ipſum vobis non poſſe eſſe non gratum, qui rationem ſemper habuerim dignitatis & æquitatis veſtræ. Nunc cum effrenata audacia impudentes & furioſi homines ſic elati ſint, ut de me multa iniquius detulerint, rumores ſparſerint in civitate, alienare à me conentur eos, quos virtute, officio, dignitate revereor plurimùm, quid eſt quòd me contineam P. C. liceat mihi per Deos, aliquando egredi extra cancellos tam diuturni ſilentii: liceat liberè audacterque in hoc loco dicere; liceat tandem repugnare impuris hominibus, qui fortunas, nomen, & caput meum nulla privatim læſi injuria indigniſſimè oppugnaverunt. Quòd ſi magni Imperatores, quibus ſummæ curæ eſt, ne quid in caſtris incommodi ex militum diſcordia oriatur, non modò concedunt duobus legionariis, qui inter ſe perpetuas controverſias habent, ut armis contendant: ſed etiam pugnæ locum conſtituunt, unde & ipſi & milites ſpectare poſſint, uter utri virtute anteferendus videatur: non puto alienum eſſe à dignitate veſtra, ſi qui ad civitatis temperationem ſedetis, adfueritis veluti ſpectatores & judices contentionum noſtra-

noſtrarum. Nam quemadmodum nullam præclaram aliquam laudem habet miles, qui vel ex inſidiis, vel ſub ſarcinis hoſtem adoriatur: ſed bene ſummam gloriam is, qui pro caſtris in Imperatoris & totius exercitus conſpectu inimicum magnificè incedentem ſiſtit, & inaniter exultantem ſternit. Sic apud vos nullo in honore eſſe debent doloſi iſti, & circumforanei obtrectatores. At qui in hunc locum ad agendum ampliſſimum hoſce iſtos tam impudentes provocent, & convincant, juſtis de cauſis vobis P. C. chariſſimi eſſe debent. Fur, aut rapax aliquis, ſicarius, vel laniſta, corruptor vel adulter erunt in civitate: ſexcentæ ſunt leges patriæ, quibus vinculis, verberibus, exilio, morte mulctari poſſint: in maledicos conviciatores lex nulla à vobis rogata eſt, nullum edictum, nullum S. C. factum, quo boni ſibi cavere queant. Quam ob rem imitari vos decet veteres illos, ſapientiſſimos quidem viros, qui ut horum improbitatem retunderent, coercerent audaciam, tollerent inhumanitatem, dicendi licentiam incredibilem quandam oratoribus eſſe voluerunt: qui ſi perverſa ſtudia talium hominum gravi & copioſa oratione proſequerentur, minimè cauſa cadebant, ſed erant ob id ipſum etiam gratioſi: vel quòd divinos viros lepos & feſtivitas ſermonis in re ſeria delectabat: vel quòd nihil magis deterrebat impudentes veteratores, quàm ſi noſſent, timerentque eorum ingenia, mores, vitæque omnis actionem poſſe aliquando in judicium vocari. Hi ſi convicti ab oratoribus eſſent, ut diſcerent, quid ſit bonis negotium faceſſere, lege Memmia plectebantur: de qua ego in extrema orationis parte, ſi mihi ea benignitate, qua cœpiſtis, adfueritis, nonnulla dicam. Ego P. C. anno tertio ab urbe Roma ab Hiſpanis capta, cum omne Latium arſiſſet bello tetro & calamitoſo, & peſtilentia inopiaque frugum Hernici mei laborarent, & tribus ingentibus malis vaſtati agri, villæ ſuccenſæ, urbes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

aſſiduis funeribus hauſtæ eſſent, in Hetruriam veni. rebus enim integris acceperam, præſtantiſſimis artibus, & omnium diſciplinarum genere pulcherrimè hanc Italiæ partem eſſe exornatam. In qua cum pedem poſuiſſem, ſenſi eadem miſeranda temporum calamitate, iiſdem atrociſſimis fortunæ fluctibus, qui Latinos & Hernicos populos abſorbuiſſent, afflictam fuiſſe civitatem veſtram. Neque enim Philoſophos eos comperi, quos ut audirem, tanto cum deſiderio veneram: non Poetas, non Oratores, quales hic eſſe dicebantur: quòd vel morbo fuiſſent abſumpti, vel ab hominibus teterrimis morte affecti. Juvenes per id tempus factioſi, novis rebus ſtudebant: ſenes civilibus odiis accenſi, nihil niſi dirum atque immane cogitabant: duo tantum optimi, & illuſtri & præſtanti ingenio juvenes, veluti divina quædam lumina extinctis cæteris elucebant in civitate, Bartholomæus Carolus & Bernardinus Bonoinſignis, quos gravitas, integritasque morum, & ſtudiorum ſimilitudo arctiſſimè conjunxerat. Ubi enim nullam præclaram aliquam operam Reipublicæ vidiſſent ſe poſſe præſtare, contulerant ſeſe ad eas artes, quæ veriſſima ſolatia ſunt humanæ vitæ: in quas dum tota mente incumbimus, nullus propè nobis ſenſus eſt præſentium malorum: quòd ita perceptio magnarum rerum incredibili dulcedine animos perfundat, ut qui ea ſe aſſuefecerint, nihil omnino ſentiant temporum indigniſſimorum acerbitatem. Hi me abire aventem, omnibus rebus ad profectionem paratis, precibus & officiis annum retinuerunt: alter enim librorum mihi copiam fecit, quos pater philoſophus tota Hetruria comparârat: alter nobiliſſimorum virorum, qui tum in caſtellis & municipiis ſeſe continebant, familiaritates adjunxit: in quibus fuit fortiſſimus vir Antonius Bellantes Petrini F. cui dies cùm eſſet dicta ab iis qui antiquiſſimæ familiæ gloriam, clariſſimi viri nomen & fortunas delere conabantur, ſcitis P. C, quanto cum peri-

periculo, qua pietate defenderim civem veſtrum. Id primùm mihi cauſa fuit omnium incommodorum: id in me multos concitavit, quo vel uno omnium civium animos conciliatum iri ſperabam. Quòd ſi in me tam duri & iniqui ſunt homines, qui ab improbis circumventum civem defenderim: quid facient illi, qui ſocios & amicos populi Senenſis ſpoliandos & opprimendos curarit? Et miramini P. C. quid ſit, quòd patronus aliquis, quem vos in vincula conjeciſtis, cùm ex ſanguine & miſeriis civium & oppidanorum incredibilem opulentiam compararit, nunc reſtituta Republica habeat defenſores principes civitatis? Quod non eo dico, ut in aliquem vos incendam: ſed ut facilè intelligatis, quàm vir bonus eſſe poſſit is, qui infenſus mihi ſit ob optimi viri defenſionem. Nam cùm eo tempore, quo Antonius accuſabatur, Oſma & Cova ſenatum coegiſſent in ædibus Spannochiis, ut omnibus ſententiis abſolveretur, cumque teſtes à me præclarè fuiſſent rejecti, ægerrimè in primis ferebat optimi viri laudem Otho Melius Cotta, vulgi quidem opinione, quòd hominum amplitudinem non egregiis animi dotibus & liberali ingenuitate, ſed divitiarum affluentia, & magiſtratuum muneribus metitur, homo ampliſſimus: exiſtimatione autem eorum qui nihil minus quàm vulgi opinionem ſequuntur malus, arrogans, furioſus. Is ubi omnes qui aderant tam humaniter propenſos in Bellantem videt, tanquam jubatus draco, malè capillatam cerviculam illam ſuam jactare, emiſſitiis atque ardentibus oculis me intueri, contorto pallio ſudare, atque ut eſt homo vafer, Hiſpana lingua loqui cœpit: credo vel ut heroas illos Hiſpanos abalienaret, vel ne quæ ipſe objiceret diluere ego poſſem: cujus linguæ cùm eſſem non omnino ignarus, accepi quicquid in Bellantem evomuiſſet. Ajebat enim, arcem Antonio eſſe munitiſſimam, id Reipub. minimè expedire, præſertim cùm ea arx ſceleſtiſſimo cuique eſſet aper-

apertiſſima & perhoſpitalis. Ad eam orationem ego cùm Oſmæ & Covæ converſos animos eſſe vidiſſem, nolite quærere P. C. quàm me amicitiæ ſtudiis currentem, religio quædam incitaverit pietatis. arcem Antonio eſſe fatebar à patruo exædificatam: id verò expedire Reipublicæ, quòd in finibus ſit, qua excurſiones impediri, bellum percommodè in agro alieno geri, auxilia commeatuſque perfacilè ſubminiſtrari poſſunt: hæc quî Reipublicæ noceant, me non videre, niſi civem fortiſſimum & integerrimum vivere, liberos bene eductos atque educatos in tuto eſſe, Reipublicæ noceat. cætera quæ objeciſſet, ad invidiam, ad livorem, ad malevolentiam ſpectare: quæ ſi falſa eſſent, vel ex eo liquêre, quòd inimici Bellantis cùm cœlum & terras miſcuiſſent, ut graviſſimè accuſarent, & ea in re fuiſſent diligentiſſimi, quæ tamen Melius Cotta objeciſſet, non detuliſſent. Quid hoc eſt? quis putet illos rem tantam fuiſſe prætermiſſuros? quid per Deos in cadis ſalis quinque accuſationis ſummam poſuiſſent, ſi capitis arceſſiri poſſet is, quòd hoſtes Reipublicæ judicatos arce recepiſſet? Hoc argumento cum illorum voluntates reconciliaſſem, & Cottæ rabiem eluſiſſem, difficile dictu eſt, quanto ille in me odio exarſerit, quàm omni tempore animo inimiciſſimo fuerit: à quo cum ego non caverem, & odii cauſam propè omnes ignorarent, facile fuit homini furioſo & loquaci flabellum illud ſeditionis, peſtiferam linguam ſuam in me acerrimè exercere. Nec ſum dubius P. C. perexiguam vobis videri iracundiæ cauſam fuiſſe Othoni, vereor ne quid à me effingi & inſimulari putetis, cùm præſertim is habeat religionis opinionem. Utinam P. C. ut veſtitum purpureum, ut corporis inceſſum, ut oris habitum, ut contumaciam in vultu cernitis: ſic inanes cogitationes, ſic arrogantiam, ſic oſtentationem, ſic ſpiritus illos animi feroces videre poſſitis. nihil eſt illo ſuperbius, nihil magis tumidum atque inflatum.

Ita-

Itaque ſi quis roget, & quæ animo concepta habet, ex ore excidant, Quis ſapiens eſt ex ſenatoribus? peream niſi, Unus, inquiet, Otho. quis ſumma nobilitate & gratia? Melius: quis dignus, ut regnum in civitate obtineat? Cotta reſpondebit. Quam ob rem non eſt mirandum, ſi cum liberè, audacterque dixiſſem pro innocentiſſimo viro, putarit me propè majeſtatis accuſari oportere, quòd parvam rationem habuerim ejus excellentis cujuſdam dignitatis. Itaque ſuperiore anno cùm juvenes qui ad præclara ſtudia liberalium artium temporibus intermiſſa ſeſe referre deſiderabant, ab Octoviris gymnaſii præfectis petiiſſent, ut curarent à me interpretatione aperiri libros oratorios, reſciſſetque id Otho: quid creditis? vetus atque inexpiabile odium non efferbuiſſe? non ſolet ita ille gerere inimicitias P. C. ut oblatum lædendi tempus amittat, qui non idoneum non ſolet omittere. Homo eſt, ut ſcitis, à puero factione infectus, à litteris propè alienus, ingenio tamen verſuto & acri in rebus gerendis: hinc ad religionem, non quæ Dei pio veroque cultu continetur, ſed ad eam quæ ſuperſtitionem imitatur, animum appulit,. quòd ſcilicet ſit ad fallendos homines aptiſſima. de ſuperiore enim loco dicunt, qui in Equitum quæ vocant collegia cooptantur: præcedunt item dignitate Equites, quibus pallium eſt inſignitum nota crucis: quæ ſi roſea eſt, longè præit. O miram inſipientiam hominum, ô inſaniam incredibilem, ut ſunt altæ ſtirpes ſtultitiæ. pudet me in hæc tempora incidiſſe, quibus non animi pietas, integritas, ſpectata innocentia, juvandi alterius deſiderium, propenſio in Deum, ſi pura, incorrupta mente & voce eum veneremur, venerandos nos facit: ſed torques aureus, ſed nota & ſignum aliquod ejus quod pallio geſtemus, à quo tamen colendo vitiis imbutus abhorret animus, refugit cor, actiones omnes adverſantur. Putas Cotta, te Chriſtianum eſſe, quòd in purpura feras CHRISTI ſignum? cùm tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

CHRISTI effigiem non mutam, hominem innocentem, gravi calumnia ſtraveris, atque obtriveris. Qui hominem dolo malo oppugnat, is longiſſimè abeſt à CHRISTI religione: tu cùm à me nullam injuriam acceperis, & ea ſis molitus, non ſat ſcio quî in CHRISTI oculis te eſſe arbitrere. Nam quòd in me falſum crimen veluti venenatum telum contorſeris, quòd invideris dignitati, quòd circumveneris omnibus modis. credo te non didiciſſe à CHRISTO. An tu cùm ad Octovirûm ædes quotidie ad ementiendum in me ventitares, Hieroſolymas ire, vel ad Virginis putabas? cùm falſum teſtimonium diceres, faciebas religione? Quid ni? quòd in mentem veniret, hujuſmodi inſidiis appetitum olim innocentiſſimum CHRISTUM? O egregiam pietatem, ô admirabilem religionem. næ ſi tu ita CHRISTUM colere didiciſti, mirum eſt, ni ut ejus mortem in memoriam tibi reducas, homines innocentes in crucem tollas. Tolleres, tolleres quidem, ſi quantum furor iſte, ſuperbia, iracundia effert, tantum tibi liceret. nam quantum profectò licuit, nihil loci ſævitiæ, nihil temeritati. nihil dolo unquam reliquiſti. Taceo de adoleſcentia tua: tam longè enim digredi nolo. de juventute verbum nullum, quòd in ea quàm ſtudioſus rerum novarum & horribilium fueris, nemo eſt qui ignoret: firmata jam ætate, & minimè properante ad prudentiam, quàm te dirum in factionibus præbuiſti, conſultò relinquam. nolo pluribus proſequi, quod cùm in ſalaria jactaretur Antonius, & ad miſericordiam omnium mentes converſæ eſſent: tu unus inventus es, qui in alia cauſa, & quidem falſa, miſerum atque afflictum implicares. Hæc omnia omitto. ad illud redeo: Non puduit te id ætatis falſum in me teſtimonium dicere? Acceſſiſti bone vir ad Octoviros: petiiſti, ne interpretationis munus mihi demandaretur, homini (ut tuis verbis utar) hæretico: à qua voce, veluti Græca & nova, certè quidem refugio, quòd non

non omnis mihi tecum ſermo ſit, homo barbare & vulgaris, ſed cum his etiam, qui aures habent teretes & religioſas. Addebas impudentiſſime, cum Germanis me ſentire: de ea re facere te cumulatiſſimè fidem. Quæ verba ab iis qui odium intercedere ignorabant, non pro accuſatione, cùm hic accuſandi locus non eſſet, ſed pro teſtimonio accepta ſunt. Conveniunt mane Octoviri, refertur de interpretatione. tum Scipio Gabrielius, amantiſſimus olim mei, ab impuro hoc homine abductus, orationem habuit in me parum honorificam. ſingulis propè verbis Othonem appellabat, atque id extra modum: quòd (ut ajebat) dixiſſet Cotta, ſibi pergratum fore, ſi nominaretur. Parum erat Othoni, P. C. ſi me læſiſſet: volebat ut ego etiam id ſcirem, & propterea nominari. Quid ita? recognoſcite hos ſpiritus: volebat, ut ego me ad ejus pedes abjicerem, quoties eum in foro viderem tremebundus, vel obmuteſcerem, vel egomet mecum: Hiccine eſt ille, qui Bellantem, qui me, quem Octoviri, quem Senatus? Quàm vellem Cotta, ut ego tuum, tu contrà meum ingenium noſſes. Eloquentiam, eruditionem, ſapientiam Senatoriam amare, laudare, admirari ſoleo: arrogantiam, oſtentationem, cogitationes iſtas inanes ita ſemper odi, ut in quibus hæ ſint vel mediocres, cum iis conſuetudo mihi nunquam eſſe potuerit. Tu cùm illorum nihil habeas, his poſtremis abundes, in animum induxti, à me poſſe coli & obſervari? Viros ego graves, integros, veritatis cultores, in Deorum propè numero reponendos cenſeo: ex mendacio compoſitos, impudentes, leves, homines vix puto appellandos. tu vel illorum, vel in horum grege ſis, age nunc videamus. Dixiſti haud dubitanter, me in ea hæreſi eſſe, quæ de religione male ſentiat. Obſecro te, Apollo Delphice, quotus hic annus eſt à cauſa Bellantia? Quorſum hoc? noli quærere. quotus hic annus eſt? decimus. Quid tum? Cùm de ſale,

 de

de arce ageretur, attinebat id ad religionem? irrides? Non hercle, non attinebat. Poſt eum diem fuit ne unquam tibi mecum ſermo abhinc decennium? Obtundis. quaſi verò de opera publica deceat Senatorem aliquid detrahere privato colloquio. Scio ego, vos magnos viros hominum privatorum ſermonibus nolle illigari: num per id tempus legiſti aliquid eorum, quæ à me ſcribebantur? Quid mihi cum tuis ſcriptis? quanti verò putas te à me fieri? ne pili quidem. At veritatis lucem, at teſtimonii religionem, at Deum ipſum revereri debebas. Tu eum hominem, qui cum tibi nullus ſermo unquam fuit, accuſas de re, quæ niſi multa diſputatione, multo ſermone, ſine firmiſſimis aſſeverationibus cognoſci non poteſt? Difficillima una omnium eſt dijudicatio, in qua non verba ipſa, ſed animi ſenſum perpendimus. Etenim ſi voces eædem nunc in bonam, nunc in malam partem accipi poſſunt, & propterea difficultatem afferunt, quid putas de animi ſenſu? quem unum ex rebus omnibus cognitu difficillimum eſſe, omnes ſapientes dixerunt? Verba ipſa aut audis, aut ſcripta vides: animum nec vides, nec audis. In nulla autem facultate fit frequentius quàm in theologia, ut non quid vox ſonet, ſed quid ſcriptoris mens ſignificet, attendamus. nam divina animo potius, quàm verbis complectimur: & patres qui ea ſcripſere, non verborum delectum, ſed hauſtus quoſdam è ſempiternis illis mentibus conſtat fuiſſe ſecutos. itaque difficillima omnium dijudicatio eſt de theologia. Tu cùm fabellas Hetruſcas legeris, & poemata imperitorum, tantum tibi arrogas, ut vendices diſciplinam ſapientiæ? nam ſi non vendicas, quid potes de ejus partibus difficillimis judicare? Non eſt hæc ars, veluti aliqua humilis, in qua manus etiam accedit, ut pictura, ut topiaria: quam ſi quis facere neſciat, diſcernere tamen poteſt, quid in ea vitioſum ſit. tota hæc anceps, lubrica, periculoſa eſt, iis etiam qui in ea multos annos ſunt verſati. Cum Germanis me ſentire dixiſti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Dii boni, quàm hoc etiam vulgare eſt. an putas omnes Germanos veluti in eundem faſciculum alligatos? an omnes malos? neſcis, ut alios omittam, in iis eſſe Divum Cæſarem, & Ferdinandum Auguſtum, natos patre Germano? itaque cùm mihi opprobrii cauſa Germanos objicis, non ſentis miſer, in quas ſalebras incidis, in quos impudentiſſimum iſtud os tollis. Si ſentire me cum Germanis theologis vis dicere, iſtuc quoque perplexum eſt. nimirum in Germania theologi nobiliſſimi ſunt multi: neque verò eſt provincia altera, in qua tam variæ & in omnem partem ſententiæ diffuſæ ſint. quamobrem cùm dicis, me cum Germanis ſentire, nihil propè dicis. At tua maledicta cùm pleniſſima ſint omnium ineptiarum, habent tamen aculeum: & quia abs te profecta ſunt, venenum aſperſum. Germanos vocas Oecolampadium, Rotherodamum, Melancthonem, Lutherum, Pomeranum, Bucerum, & cæteros qui in ſuſpicionem vocati ſunt? ego verò ex theologis noſtris tam ſtupidum arbitror eſſe neminem, qui non intelligat & fateatur, permulta eſſe in his quæ ab illis ſcripta ſunt, digna prorſus omni laude: ſunt enim graviter, accuratè & ſyncerè ſcripta, repetita vel ex patribus illis primis, qui præcepta nobis ſalutaria reliquerunt: vel ex commentationibus Græcorum, & noſtrorum hominum: qui etſi cum columinibus illis conferendi non ſunt, interpretatione tamen non negligendi videntur. In his quæ ſunt ex commentationibus ſumpta, qui Germanos accuſant, Origenem, Chryſoſtomum, Cyrillum, Irenæum, Hilarium, Auguſtinum, Hieronymum accuſant: quos ſi ego mihi ad imitandum propoſui, quid obtundis? quid garris, quòd cum Germanis ſentiam? An ſi illi ſanctiſſimos viros ſequuntur, mihi eoſdem ſequi non licet? Mirum profecto eſt, quàm tu ſemper nihil ſapias. In quibus igitur ſuſpicio ſubeſt? In iis, in quibus firmos autores non habent, ſibique ipſis nituntur: in his

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ego neque Germanos ſequor, neque eos probo qui ſequuntur: id ſeu Galli, ſeu Itali faciunt, non ſunt ferendi. Quid hoc? intellextin'? an tu me in quorundam ineptias abire vis, qui omnia æquè Germanorum benedicta maledicta oppugnant, ut aſſententur iis, à quibus magna præmia expectant? Auream hic ego paupertatem meam appello P. C. tenuitatem rei familiaris, qua ſerio triumpho, cum magnificentia & luxurie iſtorum non confero. Res domi anguſta eſt: at conſcientia in animi penetralibus auguſta, læta, alacris, quam neque interdiu agitant furiæ, neque terrent noctu tedis ardentibus. Sedeant illi in cathedra, diademata imponant, dibaphum veſtiant, textili ſtragulo triclinia ſternant: ego cum tripode iligneo abdam me in bibliotheca: cui ſatis laneus amictus eſt ad frigus, linteum ad ſudorem, lectulus ad quietem. Atque utinam bone CHRISTE, autor, conſervator, amplificator munerum tuorum, ut contemptionem & deſpicientiam illarum rerum mihi dediſti, ut animi firmitudinem, ne ad voluntatem & ſenſum, ſed ad veritatem loquar: ita mihi pietatem, modeſtiam, continentiam eſſe velis: & iis rebus cumules, quas tibi & tuis ſcio eſſe gratiſſimas. Nullæ mihi cum Hiſpanis, nullæ cum Gallis, nullæ cum Germanis inimicitiæ intercedunt: nihil ad veritatem intereſſe arbitror cujâs quiſque ſit. Laudas (inquies Otho) omnia Germanorum acta? Eſt profectò hæc interrogationum tuarum tam ſimilis, quàm quæ maximè: reſpondendum tamen eſt. Ego quædam probo, quædam non probo. nam ut alia præteream, quòd obſita multa barbarie, obvoluta nonnulla paupertate incredibili orationis, ſpinoſa olim & offuſa quædam tenebris, nunc Latinis literis illuſtrata ſint: non modò laudo, ſed gratias etiam agendas Germanis puto, qui in ea re fuere diligentes. Jacebant divina ſtudia, ſtrata in cellulis hominum otioſorum, qui licet in ſylvas ſe abſtruſiſſent, ut in hæc incumberent,

rent, ita ſtertebant tamen, ut nos in urbibus & vicis audiremus: erecta propè ſunt ab iſtis, cùm Caldaicis, tum Græcis, tum Latinis bibliothecis reſtitutis, typis pulcherrimè adinventis, theologis perhonorifice ſtipendiis decretis. quæ res clarior? quæ glorioſior? quæ commendatior eſſe poteſt memoriæ hominum ſempiternæ? Secutæ interim diſcordiæ civiles, inteſtina bella, populorum motus, ſeditiones, & mala cætera: quæ cùm multis mihi quidem ob charitatem fraternumque animum in Chriſtianos ſæpe incredibilem dolorem attulerunt. Quis illa non laudet? hæc non improbet? Eſt hic bonorum omnium communis ſenſus. Sic ego vos P. C. ſic hos Hetruriæ Soles ſentire arbitror. Credo jam Otho, quàm indignè ea de me dixeris, te videre: quo tamen ſcelere contaminaris, ut expiari vix poſſit, puto te non videre. Emitte jam è cavea teterrimas belluas illas, non modò ſolutas à te cathenis & officiis omnibus humanitatis, ſed excitatas atque inflammatas in me vocibus tuis. Quæ feræ tam immanes unquam irruerunt in aliquem, ut monſtra hæc tua? Salii, Gallæ, Druides: quàm cucullo, & reliquo veſtitu varii & deformes, tam ingenii mobilitate & crudelitate terribiles & horrendi: Dii boni, quibus clamoribus, qua vociferatione in me impetum fecerunt? Jam quidem certè probantur ea mihi P. C. quibus habere fidem nunquam volui, quòd incerto autore ad me rumoribus tantum perlata eſſent: cùm primùm contra me conſilia inirentur ad Sebaſtiani fanum, in ſpecu, in quem multa nocte ex ſuperſtitione convenerat infinita multitudo eorum quos Joannellos vocant, precibus Othonis trecentos ex iſtis admotos altaribus per lapidem juraſſe, nunquam ſe lampadas Divis accenſuros, niſi prius eorum opera me perdidiſſent. Ubi devotio eſt abſoluta, ibi tum bellaria data,& mulſi poculum ſingulis ab Deciano Legulejo. In qua conjuratione, Otho Meli, ſi hic cœpta eſt, ut dicitur, quid lingua illa tua, quid age-

agebat? quò ferebatur fluctus ille verborum? quî tumor erat oſtentationum tuarum? cum male conſultus, & benè potus vino, & odio veluti calcaribus concitatus, omnes modeſtiæ fines præceps eſſes egreſſus? Hic ſive conjuratio facta eſt, ſive alibi, nihil affirmo: ſunt enim qui ad Obſervantiæ ſpecum factam contendant. quod certiſſimum eſt dico, te autore Cotta, te autore conjurationem eſſe factam. manè, ut poſtea comperi, ex trecentis illis XII lecti ſunt, qui teſtimonium dicerent, iidem & accuſarent. Ex prima claſſe, quæ ſacerdotum appellatur, tenues homines, ſed arrogantes, imperiti, loquaciſſimi, Sp. Bavius, M Pierus, Rapidus Volaternus: ex ſecunda, quæ eſt cucullatorum, Hieron. Cianus, Andreas Panſa, Gregorius Primipilus: ex tertia, quæ omnium eſt capaciſſima, Otho Melius Cotta, L. Aulœtes, C. Cirſa, Alexis Lucrinas, Balbus Rufus Negocioſus, Janus Thita Belides: hi ad Antiſtitem & Præfectum ſacrorum poſt meridiem profecti, qui erat in ſuburbano, ita per viam fremebant, ut mulierculæ nonnullæ ad feneſtram accurrerent, & proſpectarent ſæpe, nunquis ad ſupplicium traheretur. Erant enim inter eos controverſiæ. alii me, auditis teſtibus, mox in ignem conjiciendum cenſebant, indicta cauſa: alii, cauſa dicta pœnam ſequi oportere putabant. tum M. Pierus excandeſcere, pileo devoluto prenſare hos atque illos: obteſtari theologiæ magiſtros Primipilum, Cianum, & Panſam, non eſſe ex dignitate theologorum, ſi homini ab ipſis accuſato ſpacium daretur ad vivendum: extare decretum, quo jure atque injuria præcipites agi in ignem liceat eos, qui de hæreſi accuſantur. Hoc clamore Antiſtes, qui animi cauſa in villam confugerat, è ſomno excitatus, puerum vocat, intromitti jubet eos qui vociferentur. Hic Alexis, homo perridiculus, quòd aliquando cœnaſſet apud Præfectum confidens, & ſe magnifice circumſpiciens, primus verba fecit, in quibus nihil fuit præter convicia,

cia, obtrectationes, maledicta. quæ cum objicerentur odioſe, atque extra modum, magnis amicitiæ vinculis contineri non potuit Præfectus, vir ſapiens & gravis, quin diceret, concurſum ſibi videri pleniſſimum levitatis. Cui cum homo nequam & audax reſpondiſſet, Levitatem in accuſatione non eſſe, in qua adeſſent ſubſcriptores propè trecenti: Hem Alexi, inquit ille, habeo ego ſexcentos viros, qui te acerbiſſimum fœneratorem vel jurati dicunt, nihil tamen eorum accuſatione ſum permotus: utrum tibi bene, an male feciſſe videor? Obmutuit nebulo, veluti qui ſibi eſſet conſcius, qui ſciret non mentiri Præfectum: miſerum eſſe intelligebat negare, turpiſſimum confiteri. Cum in eo ſtupore eſſet bellua, cæteri ad pedes provoluti religionis nomine obſecrarunt, ut decreto agere liceret. Id ubi impetratum eſt, teſtimonium ſinguli dixerunt: in quibus cum illiberaliter & inhumanè quidam ſe geſſerint, non potui P. C. non mirari, C. Cirſam, optimi viri filium, optima quondam puerum ſpe præditum, ſummo loco, & honeſtiſſimo ordine natum, tam leves, tam vulgares, tam ineptos homines fuiſſe ſecutum: quàm vereor, ne patri infeliciſſimo vulnus refricem, qui de filio his præſtigiis actum putat. Quid de fratre humaniſſimo dicam? quid de domeſticis omnibus? qui veluti infatuatum noctes dieſque lugent? Nam quæ (malum) Cirſa non modò veſtitum & cultum corporis, non modò vultum & inceſſum dignum homine libero, ſed vegetæ mentis aciem, & ingenui animi ſenſum omnem furiæ tibi ademerunt? hujus tuæ inſaniæ teſtimonium, nullum eſt evidentius, quàm quod in me dixiſti teſtimonium. in eo recognoſce te, ſi potes: ſtatue tibi reddendam rationem eorum quæ dixeris, quæ feceris: adjuvabit ea res non nihil fortaſſe ad reſipiſcendum. etenim quòd accuſationem meam, à quo nunquam læſus fuiſſes, gloriæ tibi fore putaſti, requiro ego probitatem abs te civilem: quòd calumniarum fueris perſtudioſus, deſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

dero religionem : quòd jam annum ultrò citroque curſaris cum larvis iſtis , opto mentis tibi conſtantiam , & ſanitatem. nam quid illud eſt quòd cum Primipilo & Piero , à Præfecto ſacrorum literas tanto ſtudio efflagitaſti , quibus ſolicitares inimicos meos ? quid item illud ? quòd tabellarios publicos ad inquirendum Volaterras & Florentiam mitti volebas ? quid quòd invidiæ plenas iſtas ipſas literas , & nuncios Præfecti nomine miſiſti ? Agnoſco , ut dicam tibi , non ſtupiditatem , ſed malitiam ingenii tui : nihil me fallis : ignaviæ & ſimulatæ ſimplicitatis involucro vultum obtexiſti. at in pectore doli , fraudes , fallaciæ ſubſident ſemper in excubiis. & quidem ut viri boni ſapientia & integritate omnia optima de Diis hominibusque conſtituuntur : ſic mali hominis inſania & malitia , jura divina atque humana perturbantur. Quòd ſi homine ſtulto & improbo in terris nullum monſtrum eſt pernicioſius : ego te nihil pejus arbitror eſſe in civitate , qui religionem illudere , & clandeſtinis conſiliis capite oppugnare ſcias & poſſis tam juvenili ætate hominem innocentem. Athenienſes puerum damnarunt , quòd coturnicum oculos erueret : ſuſpicati , ſi adoleviſſet , multis illum exitio futurum. Quid de te ſapientiſſimi viri exiſtimare debent ? cui vix egreſſo à pueris , cum primùm licuit , bello indicto bonis artibus , inſcitia literarum inertiam , inertia improbitatem , improbitas audaciam , audacia furorem , & lædendi cupiditatem incredibilem attulit : ut non modo quemvis lædas , ſed in lædendo putes poſitam pietatem : edoctus à L. Aulœte , qui vultu demiſſo , & voce humili , quamvis flagret ardore cupiditatis , ita ut paratus ſemper ad litigandum à Curiæ foribus divelli non poſſit , præbet tamen opinionem ſanctitatis. quem ſecuti alii , quibus deſidia , ſtupor , torpedo fecit ut mali eſſent poetæ , peſſimi oratores , philoſophi ineptiſſimi , ætate propè conſumpta in literis , deſperatis rebus immiſcuerunt ſe multitudini huic imperitorum , cum qui-

quibus laudem conſecuti ſunt : egregiam verò laudem, quòd autore Aulœte damnarunt Juris civilis ſcientiam, & Medicinæ artem, & Liberales diſciplinas : ementiti ſe id facere judicio quodam præſtanti, quod neceſſitate faciunt, ut hoc integumento ignominiam occultent, & ingenii hebetudinem. Quemadmodum mercatores, qui emptionibus & venditionibus malefactis, ubi neque fœnore neque verſura ſolvere poſſunt, religione ſimulata cucullati fiunt. Hoc hominum genere nunquam quicquam injuſtius, qui veluti Æſopi vulpecula, omnibus ornamentis carere cæteros vellent, quæ ipſi conſequi non poſſunt. Concurritur vulgò ad bibliopolas, acervi librorum auctione conſtituta venduntur. Quid hoc eſt P. C.? deſeruntur ſtudia liberalium artium, adoleſcentes otio laſciviunt, juvenes per forum vagantur: quorum conſilio & commento? Quærite, quærite P. C. Gloriatur Alexis Lucrinas, ſe hoſtem eſſe facultatis Poeticæ, homo impudens, & inſcitus: qui, Phaleucium qui ſcribant, omnes putet eſſe poetas. eludit juventutem hic nebulo argumento Berniæ hominis vulgaris, & inſaniſſimi, quòd magnorum Poetarum fata mortis indigniſſima fuerint: quaſi verò principes oratores Sardanapali vice mortem obierint: quaſi verò imperatoriæ mortes non ſint præclaræ. At quoniam homo audaciſſimus & ineptiſſimus theologum ſe profitetur: rogo, qua morte affecti ſint ſanctiſſimi viri, qui CHRISTO teſtimonium dederunt? qua CHRISTUS ipſe? quo nihil melius, nihil ſanctius in terris fuit. Movet hic mihi riſum, quòd tanto ſtudio magiſtrum ſecutus eſt, qui multis annis eum nihil ſapere docuit, nam quòd Socraticos philoſophos ſectatur, movet mihi ſtomachum potius quàm riſum. A quo verò binis centeſimis fœnerari didicerit, non ſat ſcio. Jani tamen Belidæ tam repentè amicum eſſe factum, non poſſum non valde mirari, qui verſibus octo Thuſcè ſcriptis poeta appellari cupiat, & velit. De Bal-

bo, & Spurio, non multis agam: quorum alteri ob inſaniam cathenas injectas ſæpe vidi, alteri egeſtatem objicere poſſum domeſtico lenocinio ſuſtentatam. Quid de Panſa & Ciano dicam, furaciſſimis hominibus? qui ſuperiore anno à me in judicium adducti ob helluatam pecuniam, quaſi talione mecum agere voluerunt. At innocentia oppugnari poteſt, convinci non poteſt. Latrocinium nihil eſt quod obtegat, & excuſet. Indignum facinus, duo monſtra religionis vagari tam liberè in civitate, ut exhauriant domos, & furentur impunè. Horum cum ego nomina detuliſſem, ſuſceptas mihi ſenſi inimicitias cum cæteris cucullatis, qui veluti ſues, uno læſo gregatim ingruunt univerſi. Et quoniam hæc facta potius, quàm ficta, vobis videri volumus P. C. actionis libellum, teſtium tabulas, ſubſcriptorum chirographa produximus: ut levitatem accuſatorum, teſtium improbitatem, ſubſcriptorum impudentiam cognoſcere poſſitis: à quibus accuſatio non pro religione, ſed religio pro accuſatione ſuſcepta eſt. Quæ verò à nobis dicta ſunt, & diſputata, in eodem libello incluſimus: ut quivis intelligere poſſit, ad omnia accuratè fuiſſe reſponſum. de quibus egiſſemus in Senatu libenter, niſi à forenſi ſermone abhorrerent quidem illa, & novum quoddam dicendi genus poſtularent, quòd theologi alia propè lingua loquantur. In iis de ſerie & ordine ex omni æternitate fluenti: de Republica ante mundi principia deſignata, conſtitutaque à Deo, cujus dux, autor & moderator unus eſt CHRISTUS: de lege abrogata, & graviſſimo jugo ſervitutis diſſeruimus tantum, quantum tempora hæc miſera in quæ incidimus permiſerunt, non quantum certè optabamus, quòd in iis aperiendis locus nullus ſit periculo vacuus. ſunt enim homines acerbi, duri, criminoſi, apud quos ne parens quidem & Deus ſalutis noſtræ CHRISTUS, omnium gentium, omnium populorum Rex, omni ex parte laudari poteſt: cujus ex morte quanta commoda

moda allata ſint humano generi, cum hoc ipſo anno Thuſcè ſcripſiſſem, objectum fuit in accuſatione. Quid hoc indignius dici, aut excogitari poteſt? Ajebam ego, ab eo in quo divinitas ineſſet, vita cum ſanguine pro ſalute noſtra tam amanter profuſa, nihil nos debere de cœleſtium voluntate dubitare, omnia nobis tranquilla & quieta poſſe polliceri: affirmabam ex monimentis vetuſtiſſimis, & certiſſimis, finem malorum eſſe factum, notam omnem deletam iis qui animo in CHRISTUM crucifixum converſi, ejus fidei ſe permitterent, acquieſcerent promiſſis, ſpe pleni hærerent in uno, qui fallere neſcit opinionem. Hæc ita amara, deteſtabilia, execranda ſunt viſa XII illis, non dico hominibus, ſed feris immaniſſimis, ut ſcriptorem in ignem deturbandum cenſerent: quæ pœna ſi mihi ſubeunda eſt pro teſtimonio dicto, quòd teſtimonium exiſtimari illud volo potius quàm libellum, nihil eſt me beatius P. C. neque enim puto Chriſtianum eſſe hoc tempore in lectulo mori. parum eſt accuſari, & deduci in carcerem: virgis cædi, reſte ſuſpendi, inſui in culleum, feris objici, ad ignem torreri nos decet, ſi his ſuppliciis veritas in lucem eſt proferenda. Quòd niſi indicto concilio ſpes bonis injecta eſſet, negotium felix & ſalutare à Pontificibus, à Cæſare, à Regibus unà ſuſceptum iri, ut magnis concurſibus omnium gentium, omnium nationum celeberrimi conventus peragantur, deſperaremus omnino tantarum perturbationum finem ullum unquam futurum: deſperaremus poſſe fieri, ut ſica iſta diſtricta in omnes ſcriptores, de manibus eorum extorqueatur, qui vel leviſſimis de cauſis crudeliſſimè ferire didicerunt: à quibus appetitus fuit aliquando vir omnium ſanctiſſimus & integerrimus, Sadoletus meus. qua re nihil multis annis ſol vidit indignius. Horum, horum vulgarium & imperitorum hominum opera P. C. Bernardinus Ocellus, vir dura illa ac horrida vita, admirabili illa abſtinentia iſtis ipſis diebus accuſatus, quòd vos non

valde

valde erectos videret ad ſe defendendum & ſuſtentandum, de fuga conſilium cæpit: nunc civis veſter Italia omni (quod magno cum dolore dico) expulſus, & ejectus, in remotiſſimis ab Hetruria noſtra locis vagatur ſolus, & peregrinus. quæ littora, quæ ſylvæ, quæ oppida fortunata non ſunt, quæ ille attigerit? quos homines fore putatis eos, apud quos ille diutiſſimè commorabitur? qui fructum capere poterunt ex conſuetudine viri excellenti ingenio, & ſumma animi humanitate temperati. Nulla gens tam fera eſt, nulla tam barbara, nulla tam immanis, quæ ejus oratione flecti non poſſit. Fatis fortaſſe volentibus (utinam id eveniat quod ego auguror) in eas oras profectus eſt, quæ diſcerptæ, divulſæ, conquaſſatæ ſunt varietate opinionum, ut qui à Chriſtiana regula aberrarunt, redeant jam in viam, & veritas locum in quo conquieſcat tandem reperiat. Vultus veſtri me invitant P. C. ut hæc cum lachrymis dicam: cogarque ipſe mecum cogitare, quantum eloquentiæ amiſit Hetruria, quantum ſolatii univerſa Italia, in cujus urbibus florentiſſimis & celeberrimis, magno plauſu, concurſu ingenti populorum, ſumma admiratione colebatur hujus viri incredibilis quædam & divina virtus: hunc in illo exilio fuga trepidum, plenum ſqualoris, titubantem atque afflictum. Non committam P. C. ut diutius vos angam querelis, & mihi ſæpius manus afferam: hoc tantum dico, à vulgaribus & imperitis hominibus illatum fuiſſe vulnus Ocello veſtro, qui & mihi plagam inflixerunt: illud in memoriam redigo, poſſe nunc vos per ſententias veſtras reſtituta lege Memmia civem veſtrum ulciſci, hoſpitem innocentem ſublevare, magnam turpiſſimorum hominum manum, perniciosam ſentinam Reipublicæ ex urbe exhaurire. Nam peropportunè accidit & innocentia mea, & fortuna veſtra P. C. ut ſeſe ipſi bonorum hoſtes incluſerint, atque implicarint: lædendi cupiditate eò progreſſi ſunt, ut neque retro regrediundi,

diundi, neque ulterius procedendi libera facultas detur. Quid ergo eſt? inciderunt in S. C. Turpilianum. jam anni extremum eſt, qui fuit totus ab adverſariis in accuſationibus & teſtibus comparandis conſumptus: ſi quis eſt, qui aliquid ab iis prætermiſſum putet, quò minus iniquiſſimum judicium conflaretur, vehementer errat. neque enim aut ſtudium in accuſando, aut tempus in inquirendo defuit: gratia verò & opulentia ita pugnatum contra me eſt, ut ſæpe in triviis adverſarii dicerent, hominem inopem & deſertum duobus his tormentis perculſum ſtare non poſſe. Quid Otho Melius Cotta magnis opibus, quid L. Aulœtes, qui ſermones contra me ſemper tempori aptos ſerit, non impetraſſet cum gratia? quid cæteri aſſequi non potuiſſent, florentes amicis, cognatis, propinquis? quas urbes, quæ oppida non adierunt, ut modis omnibus obruerent? Teſtor ego hic te C. Franciſce Sfondrate, quem pro eximia tua virtute, ſummisque honoribus, quos à Cæſare, quos à Senatu, quos à populo Senenſi adeptus es, honoris cauſa nomino: appello te Franciſce Craſſe, præſtantiſſimum virum, ſumma fide, ſumma pietate: quàm homines iſti magno numero convenerint, ut utrunque veſtrûm in cuſtodia ſalutis meæ diligentem abducerent, atque abalienarent. de Antiſtite nihil dico, à quo iſtorum opera conſtat ſcriptas literas, ad inimicos meos ſolicitandos, in me quidem parum honorificas: omitto cætera. ventum eſt ad judicium, in quo teſtium mendaciis cum omnia conſperſa viderem, petii per hunc ipſum conſervatorem otii & quietis communis, ut quæ teſtes dediſſent, ea coràm potius me præſente dicerent. honeſta quidem poſtulatio, non negligenda, præſertim cum à tali viro exponeretur: tandem admiſſa eſt, recepit Præfectus ſacrorum. ſi venire noluiſſent, cogi poterant: venire noluerunt, coacti non ſunt. quid hoc eſt, ſi non injuria eſt? cui facta eſt? nihil dico: nullam ſentio fidei habitam rationem. at hoc quoque parum eſt, allato libello de

CHRI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

CHRISTI morte repetitum eſt teſtimonium à Volaterno : falſum eſt inventum. quid tum poſtea ? nihil eſt. ego ob CHRISTI laudationem accuſatus toties, vocatus toties, ejectus toties, capitis propè fui condemnatus : Volaternum ob tantum ſcelus nullæ pœnæ ſecutæ ſunt. provocati à me accuſatores, venire noluerunt : teſtes pugnantia locuti, fugæ ſeſe mandarunt. ut ſint tutò, in arce Cirſarum ſunt : in finibus tamen veſtris. quid hoc eſt P. C. niſi inſolens, niſi turpis, niſi fœda judiciorum ſpecies ? actionis libellum habetis, teſtium tabulas, chirographa ſubſcriptorum. illi ut ſubterfugiant, rejiciunt ſeſe ad inſtituta civitatis, ad plebiſcita, in quibus nihil eſt in accuſatores. At verò ſi quid à me dictum, factumve eſſet, Pontificum decretis agere illis contra me licebat : cur mihi non liceat legibus agere Imperatorum ? in quorum fide civitas veſtra eſt, & fuit ſemper. Nunquam effugient hodie, ſi aures animosque intenderitis in S. C. Turpilianum ; Quid enim illud eſt ?

CALUMNIÆ CAUSA PUNIUNTUR, QUI IN FRAUDEM ALICUIUS LIBRUM VEL TESTIMONIUM ALIUDVE QUID CONQUISISSE, VEL CONSCRIPSISSE, VEL IN JUDICIUM PROTULISSE DICUNTUR.

Quid item illud?

QUI SUBIECISSENT ACCUSATORES, AUT SUBIECTI POSTULASSENT, NEC PEREGISSENT REOS, QUIQUE CHIROGRAPHUM OB ACCUSANDUM DEDISSENT.

Ter-

Tergiverſari non licet, perge.

ET QUI ACCUSATIONEM SUBMITTIT, AUT QUI INSTIGAT, AUT QUI MANDAT ALICUI.

Calumniæ cauſa conſcriptus eſt accuſationis liber, teſtimonia conquiſita ſunt, chirographa ob accuſandum data: accuſatores ſubjecti, reum non peregerunt: ſimilitudo ſupplicii, quo affici reum oportebat ſi convictus erat S. C. calumniatoribus pœna eſt conſtituta. Magno odio dignus exiſtimatur, qui temerè ad improbam accuſationem accedit: reo abſoluto, lex Rhemia de accuſatoris conſilio incipit quærere, Memmia de nota inurenda accuſatori: quarum altera vix ipſo nomine nota eſt Juriſconſultis, altera omnino ignota, ſed pro civium quiete tam neceſſaria, quàm quæ maximè. in qua civitate non erat Memmia, nunquam diſcordiæ, nunquam deerant bella civilia. accepta enim ob accuſationem injuria irritati animi non conquieſcunt, pungit dolor, urget memoria, ardet cor, gliſcit ira: ad quos motus ſedandos nihil eſt prius, quàm Memmia, per quam defendendo & ulciſcendo contumeliam ab innocentibus propulſamus. Turpiter accuſatus es? honorificè es abſolutus. ab improbis fuiſti oppreſſus? à bonis levatus es. jacuiſti in ſqualore & ſitu? poſitus es in illuſtri civium conſpectu, crimina quæ objiciebantur diluta ſunt omnia: noli queri, evome virus acerbitatis, quieſce jam: accuſatoribus nota eſt inuſta, quam nulla unquam delebit dies. Magnæ ſunt hujus generis conſolationes P. C. quarum expectatio, quòd de æquitate veſtra non dubito, me miſerum atque afflictum jampridem ſuſtentat. Nam quòd fortiſſimi homines Collini, à quibus honeſtiſſimè ſum ornatus cum publicis litteris, ingenti concurſu venerunt, eſt ſapientiæ veſtræ non aſpernari. non videtis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tis in fronte, in oculis, in vultu denique toto ſtudium, deſiderium, ardorem defendendi municipis ſui? neque mehercule tam multis ego in Senatu egiſſem mea cauſa, niſi illi magnopere efflagitaſſent: quòd non de dignitate unius hominis in oppidum aſciti, ſed de toto municipio agi putant, de neceſſitudine inveterata, de commercio, de uſu cum patribus veſtris, quibus cum benevolentia & officiis ſæpe, de finibus nunquam eſt certatum. Adeſt Bernardinus Franciſconius, civis optimus & integerrimus: adeſt juriſperitiſſimus Hieronymus Bandinellus Ghini filius, ſummi vir officii, ſummæque probitatis: adeſt Petruciorum omnis familia nobiliſſima: adſunt Tancredi, Placidi, Malevoltæ, præſtantiſſimi cives: adſunt Thorii, Fungarii, Sylvani, qui calamitoſo Reipublicæ veſtræ tempore domo egreſſi cum uxoribus & liberis, in hoc oppidum ſe receperunt, in iis ſedibus ſervarunt: à finitimis omnibus deſtituti, omnibus rebus adjuti ſunt à Collinis, qui per quingentos propè annos patres veſtros ſæpe civili bello fugientes, ſuis armis texerunt: neque verò eſt oppidum alterum in Hetruria, in quod æquè profugiant cives veſtri, tanquam in portum. itaque quod mea ſponte non facerem, municipum meorum juſſu facere cogor, quorum nomine amiciſſimè à vobis repeto viciſſitudinem officiorum, quam illi in mea dignitate tuenda poſitam putant. Adſunt germani fratres, honeſtiſſimi optimique adoleſcentes, Fauſtus & Evander Bellantes, qui ſic me intuentur, ut & lachrymas eliciant, & ipſi tenere non poſſint: dolent me in odium tam acerbum incurriſſe ob patris, ob familiæ defenſam dignitatem, ob ſervatas fortunas eorum, ut ego perirem. quod verò ſæpe receperint, relaturos ſe aliquando gratiam: nunc tempus veniſſe vident, eam ut per vos referre poſſint, cum lachrymis deprecantur. Quid me angis pietate iſta tua vir Bono, & virtute inſignis comes, & dux ſtudiorum meorum? utinam ex Hetruria abeuntem

tem nunquam retinuiſſes, non utique nunc laborarem: amiſſo Carolo poſt illas lachrymas, non vidiſſes etiam jacturam nominis mei, non prenſares hos atque illos, non rogares pro miſero, quem in tua patria ornatum & florentem eſſe voluiſti. Hem, quid tu quoque uxor huc ingreſſa es cum matronis honeſtiſſimis & ſanctiſſimis, ut te ad Senatorum pedes abjiceres cum liberis mutata veſte? hem mea lux, mea vita, anime mi: abi domum, liberos educa: nunquam iis ſponſore CHRISTO deerit pater. excipe iſtam, age ſocrus, præ dolore miſerè exanimatam, reduc ſi potes, amove cauſam lachrymarum. ſinite obſecro me gratias agere optimis viris, qui in extrema fortuna non deſeruerunt. Nam quid cum manu lectiſſimorum hominum, & fortiſſimo fratre adſtas, ornatiſſime eques Camille Chiſi? ut opera adverſariorum inclinatum & labentem, tua virtute fulcias & ſuſtineas? magnam mihi ſpem facit ſplendor iſte dignitatis equeſtris, & robora iſta populi Senenſis. Quid Egidi pater, cum Auguſtinis theologis, hiſce magiſtris ſanctitatis, pudoris & modeſtiæ? jure ego vos ſemper colui, & obſervavi. Quid tanto numero juvenes eruditi & eloquentes in Senatum veniſtis? veluti accuſaturi eos, quorum opera jam annum intermiſſa à vobis ſunt ſtudia literarum. Agnoſco ego pietatem & obſervantiam ſtudioſorum: deprecantur hi vos P. C. & obteſtantur per fortunas, per liberos veſtros, ut cujus monitis & præceptis ſeptem annos ſecuti ſunt ſtudia liberalium artium, ejus vos exiſtimationem & dignitatem à diſciplinarum hoſtibus defendatis. Nam quòd altera ex parte nocturnis concurſibus ſimulata religione in ſpecus factioſi homines conveniant, vulgò conjurationes fiant, credo vos conſulturos Reipublicæ. Hic, hic dies P. C. declarabit, qui ſint ſenſus animorum veſtrorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ORATIO IV.

DE

LAUDIBUS ELOQUENTIÆ.

Ad Lucenſes.

Etſi me pudor, quem mihi natura tribuit, ſatis commónere poterat, ne in hunc locum, qui eloquentiſſimis & eruditiſſimis viris ſemper patuit, omnino deſcenderem: fecit tamen beneficii veſtri magnitudo, & proximo delectu declaratio animorum veſtrorum, ne obſcurè aut tacitè à me ipſo repoſcerem rationem officii mei. Nam cùm mihi non amicitia, non conſuetudo, non uſus intercederet cum homine Lucenſi, non hoſpitium aliquod eſſet in civitate veſtra: & ea fuerit humanitas, ut neque privato, neque obſcuro, ſed clariſſimo lectiſſimorum civium conſenſu, ſumma cum dignitate munus mihi delatum aſſignatumque ſit, quantum ego virium mearum tenuitate ſuſtinere vix poſſum: ſic agendum eſſet, ut ſi non diſertum & eloquentem, præſtarem tamen me & memorem & gratum virum: teſtatumque apud animos veſtros relinquerem, & quantum vobis debeam, & qualem de benignitate veſtra animo conceperim opinionem. Quò enim minus ea in me eſſe video, quibus tam honorificè invitari potui in civitatem: eo magis in vobis eſſe intelligo, quæ præclarè quidem apud omnes de laudibus veſtris dicuntur: quibus ego adductus, multos jam annos colui & obſervavi Rempublicam veſtram. itaque antequàm ego vos vidiſſem, amabam, habebamque animo comprehenſas imagines fortiſſimorum & graviſſimorum hominum: cumque ſuperioribus proximis literis acceptis venire ad vos conſtituiſſem, exiſtimabam me ad Brutos, Decios, Catones eſſe iturum: in eam deni-

denique civitatem, in qua cùm cæterarum artium liberalium, tum eloquentiæ ſtudia pulcherrimè cólerentur. Eſt enim vetus opinio hominum, eam dicendi vim, quæ eloquentia dicitur, apud vos maximè vigere: quòd ea certè nuſquam melius verſetur, quàm in libera civitate: nuſquam omnibus ornamentis incedat, niſi in bene conſtituta Republica. Etenim ſi ejus ſive artis, ſive ſcientiæ, ſive facultatis principia veſtigemus, ſi incrementa, ſi ſummum locum, in quo viſa eſt aliquando conſiſtere: reperiemus in optima Athenienſium civitate ortam, educatam & perfectam: unde leges & Reipublicæ imaginem aliquam accepit, qui rerum potitus eſt populus Romanus, apud quem floruit eloquentia, dum Reſpublica floruit: quam ob rem libertatis comes atque alumna, à ſapientiſſimis viris eſt appellata, quòd inclinata Rep. & libertate adempta, ipſa quoque ſtare noluerit. Neque verò hoſtibus Reipublicæ, & vexatoribus civium aliud telum eſt infenſius oratoria facultate. Ecquæ Dii immortales ſunt fulmina illa in Philippum Græciam jam occupantem? quæ putamus fuiſſe L. Bruti in Tarquinios? quæ ſunt illa principis eloquentiæ in L. Catilinam? quæ in Antonium, everſorem jam Romanæ libertatis? & contrà nullum Reipublicæ præſidium eſt paratius & expeditius, quàm dicendi facultas pro retinenda libertate: quam cum fortunis, liberis & vita ipſa chariorem eſſe vobis intelligam, præclarè à me factum iri puto, ſi dum gratiæ aguntur pro accepto munere, pluſculum in eloquentiæ laudibus immorer: horterque hos adoleſcentes, quibus nihil eſt ornatius, ad ea ſtudia, quæ vobis potiſſima eſſe debent ad præſidium, ad ornamentum libertatis. Omnium præclararum rerum parens & conſervatrix eſt Eloquentia: omnis ætatis, omnium ſeculorum princeps & regina; magna ejus munera & officia fuerunt ſemper. Primis illis temporibus, quibus conditæ urbes & civitates conſtitutæ ſunt, quid ſine hac fieri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

potuit? abducti ab agris & ſylvis homines, fera agreſtisque vita mutata, muris ſeptæ urbes, leges rogatæ, jura, judiciaque deſcripta ſunt ſapientis hominis eloquentia: unde in caligine, & rerum omnium perturbatione rudes illi civilem cultum, & urbanam lucem primùm aſpicere cœperunt, firmiſſimas ſocietates inire, ſanctiſſimas amicitias colere, omnia ad communem uſum excogitare, qua ratione artes quoque ipſæ inventæ dicuntur. ex quibus quæ & quantæ ſint utilitates, poſſem ego commemorare, niſi eas quotidie vivendo magnas & multas experiremur At parum fuiſſet artes invenire, niſi ſplendor orationis acceſſiſſet, ut res cognitione digniſſimæ à majoribus noſtris notitia comprehenſæ, non modò conſervatæ, ſed indies auctæ & excultæ magis ad nos perveniſſent. Etenim cùm ita natura conſtitutum ſit, ut omnia temporibus orta, mobilia, caduca, incerta temporibus occidant: nihil Dii immortales hominibus eloquentia melius dederunt, quæ una à ſitu & ſqualore vindicaret, incredibiles utilitates afferret, maxima adjumenta compararet. Hujus facultatis vim non intelligit, qui non cogitat, quanta ſine hac una hominum fuiſſent incommoda. Quæ vita? vel potius mors? ſi quæ animo comprehendimus, eloqui non potuiſſemus? Nam quòd ratione uteremur, non fuiſſent infinita incommoda cum hoc commodo compenſanda. Quod verò commodum? ſi, quo plura in animum incidiſſent, quòd enunciare non potuiſſemus, eo magis erat dolendum. An non videmus, eos, qui lingua ſunt impedita & hærenti, incredibiliter angi, quòd loqui non poſſint: & pedibus manibusque obnixè omnia facere, ut quid velint, nobis ſignificent. Eſt enim colenda vita mutuis officiis & neceſſitudinibus: & docendo, monendo, orando, accuſando agendum eſt in communi hominum ſocietate: in quam ſuas cogitationes non poſſe afferre, gravius quiddam eſt, quàm fortè aliquis putat. Sicuti enim cùm rectè valemus, eorum moleſtias qui infir-

infirma ſunt valetudine, tantas eſſe non credimus: ſic qui perbellè, cùm volumus, loquimur, mutorum & elinguium magnos eſſe angores non ſuſpicamur. Quæ præterea in cogitando voluptas percipitur, ea major eſt in dicendo: quòd dicentes ſenſa noſtra in alios transfundere geſtiamus, & ipſi interea verſemur in eadem rerum cogitatione. Quid eſt, quòd remotiſſimis locis ab inanimis etiam voces excipiuntur? quid quòd aves quædam nobis loquentibus diligenter operam dant, ut tanquam à magiſtris diſcant, ea ſolicitudine, ut ſi aſſequi non poſſint, mœrore & deſiderio moriantur? Quanta ergo re homines caruiſſent, ſi ſermone caruiſſent, pro quo imitando beſtiæ mentis quaſi viribus excitantur, ſaxa & ſolitudines reſpondent? In eo unum aliquem excellere, quale tandem eſt? ut in quo homines cæteris animantibus præſtant, ipſe cæteris antecellat hominibus: in quibus ſi, ut vi regnum occuparent, magni imperatores omnia pericula ſubierunt: quanti facienda facultas eſt, per quam libentiſſimis animis id ipſum obtinere poſſint, etiam cum gratia? An fluctuantem populum concione advocata lenire, animos temperare, adducere ad miſericordiam, lachrymas excitare, cùm libet mentes odio incendere, perturbare, permiſcere, agere in furorem ſi poſſis, non eſt imperium habere in homines? Quòd ſi permagni refert, utrum ii quibus imperatur, ſponte quid, an inviti faciant; majorem ego poteſtatem eſſe oratorum video, quàm ſummorum Regum. Qui verò pietatis fructus? ſi triſtiſſimis amicorum temporibus adeſſe poſſis, miſeros & calamitoſos ſublevare, innocentes defendere, conſolari, erigere: inimicis repugnare, improbos deterrere, eorum conſilia aperire, ſpiritus frangere, furorem exagitare, ulciſci ſcelera? Verè hoc mihi videor dicere, ex omnibus, qui privatis & publicis rebus interſint, nullius officia vel plura, vel majora eſſe in civitate, quàm hominis eloquentis. Sed quoniam magni ſunt conventus ſtudioſorum, qui ut

aliquid de eorum diſciplinis dicatur, avidiſſimè expectant, converto ad vos orationem meam adoleſcentes, quos & ardor animi, & virtus ipſa rapit ad ſpem quandam immortalitatis: ſeu liberales doctrinæ & artes ingenuæ, per quas videntur ad cœlum homines poſſe aſcendere, vobis cordi ſunt: ſeu bene de Republica mereri, & id veram & ſolidam gloriam eſſe ducitis, nulla res tanti à vobis facienda eſt, quanti eloquentia. Nam ut à Philoſophorum diſciplinis incipiamus, quæ à Diis inventæ, & datæ hominibus dicuntur, quæ Philoſophiæ partes optimo dicendi genere non deſiderant illuſtrari? Hujus prima pars dicitur, quæ naturæ obſcuritatem continet: ſecunda, quæ diſſerendi acumen: tertia, quæ mores & vitam. Primam pulcherrimè proſecuti ſunt, qui Phyſici dicebantur, ſpeculatores, ventilatoresque naturæ: in qua illi quidem excellere viſi ſunt, qui diſtinctè, qui dilucidè, qui enucleatè dixerunt. Quid enim in tenebricoſis, naturaque involutis quæſtionibus optatius eſſe poteſt, quàm lux quædam orationis? eam ſi tollas, nihilo plus agas, quàm ſi tenebras tenebris offundas. Quòd ſi rem ipſam per ſe difficultatem habentem, & laborem, difficultate impediveris: hoc eſt juvenes à philoſophia avocare potius, quàm de natura docere: in quo errore diu verſati ſunt, & verſantur his temporibus Sophiſtæ, qui Latinitatis ſplendore, veluti noctuæ luce oblata, ingemiſcunt: quique ut eos qui audiunt in admirationem trahant, in jejuna novorum verborum volutatione, barbariſque ineptiis, meriſque nugis philoſophantur, oſtentationis & quæſtus gratia. Fuit, fuit tempus, (jam enim acutius vident homines) in quo præclarum ducebatur, non poſſe intelligi: ſapientes habebantur, qui minus Latinè dicerent: ſapientiſſimi, qui inventa quædam & excogitata, nuſquam niſi in verbis exiſtentia, obvolverent magnis voluminibus quæſtionum. De ſecunda verò Philoſophiæ parte, quæ Dialectice dicitur, quid putatis?

Per-

Perturbàverunt omnia: nonnulla quæ de genere diffinitionum, & diviſionum, de ſedibus argumentorum, non modò Latinè, ſed ornatiſſimè ab antiquis, dicta ſunt, vel non legerunt, vel contempſerunt. iſtis ipſis veluti ſuperſtitioſis non ſatis fuit unus Ariſtoteles, admirabili quadam ſcientia princeps philoſophorum, & in dialecticis, ut in cæteris diſputator acutus & eloquens: quod ne à me temerè dici putetis, petam firmum & grave teſtimonium à doctiſſimo viro, qui à veteribus eloquentiæ Deus eſt appellatus. Nam quid illud eſt? ARISTOTELES AUREUM ORATIONIS FLUMEN FUNDENS. Quamobrem ſi quis philoſophiæ ſtudiis ſe dedere voluerit, eloquentia illi in primis comparanda eſt, ut quemadmodum Græci philoſophi luculenter ſcribunt, ita ipſe faciat, Latinè & diſtinctè, & ornatè omnia explicans. Quid enim turpius, quàm cùm excellentium philoſophorum laudator & imitator quis eſſe velit, earum laudum rationem non habere, quibus illi laudem ampliſſimam ſunt conſecuti? Ea ratione majores noſtri ſapientiſſimi viri, dum philoſophiæ partem, quæ à moribus nomen accepit, pertractarent, ſummam in dicendo curam & diligentiam adhibuerunt. Quemadmodum enim ille optimus orator eſt, qui non temerè & impudenter, ſed ex arte dicit, & in dicenda cauſa argumentis aptiſſimè ductis texit orationem, & Philoſophiæ ſtudiis adjutus quocunque vult animos trahit: ita & philoſophus ille probatiſſimus eſt, qui res magnas & obſcuras inventas aperit atque illuſtrat, & ab oratore inſtructus puris & electis verbis veſtit res ipſas, ne obſcurè dicendo offendat eorum animos, qui in cogitando & quærendo ſunt defatigati. Sunt præterea & artes aliæ, & facultates quædam propoſitæ ingeniis: philoſophiæ tamen partes, ut Medicinæ & Juris civilis ſcientia, altera ſub ea philoſophiæ parte eſt, quæ de Natura dicitur: altera ſub ea, quæ de Moribus. At medicinæ ars à Græcis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

autoribus diſertè & eleganter tractata eſt: & cùm rebus Latinis fuit melius, mihi quidem non eſt dubium, apud noſtros huic quoque facultati non defuiſſe ſplendorem orationis. Sed quid ego antiqua repeto? quaſi verò deſint, quos magno numero proferre poſſim, ſcriptores ejus artis vel eloquentes, ita ut medicina noſtris temporibus non modò Latinè loquatur, ſed ornatè & doctè. nam cum ad eam facultatem manus etiam accedere videretur, & non deeſſent obtrectatores, ejus ſtudioſi, quo eſſet cumulata omni laude, exornaverunt optimis diſciplinis, dialectica, philoſophia, mathematicis, & ea præſertim ſcientia quæ ſtellarum errantium curſum docet: ita ut medicina non una quædam ars, ſed plures quodammodo in unum coactæ, & concretæ eſſe videantur. Quòd verò miſeris perditisque temporibus offuſæ eſſent tenebræ à barbaris, in eam curam incubuerunt peritiſſimi viri, ut illuſtraretur, & niteſceret oratione. De Juris civilis ſcientia, quæ Philoſophiæ, ut dicebam, pars eſt, quid dicam? eſt illa quidem omni laude digniſſima, ſine qua non regna, non urbes, non vita denique hominum ſtare poteſt. At ea inſignem multis jam ſeculis injuriam accepit, qua in re quid primùm querar? quò me vertam? Appello ego vos præclara Juriſconſultorum monimenta, legumque ſanctiſſimarum reliquiæ, quæ vix ſalvæ ad noſtrum uſque tempus perveniſtis: vos eo candore, ea luce in tantas tenebras fuiſſe conjectas? Dii immortales, quàm non poſſum non vehementer commoveri? Per illa ipſa vos ego juvenes dicta prudentum, & ſapientum reſponſa, quæ ſumma obſervatione colitis, per ingenium, per fortunas veſtras oro atque obteſtor, ne pulcherrimam facultatem, vobisque gratiſſimam diutius in commentariorum quorundam ſordibus jacere ſinatis. Advocate eloquentiam, quæ lucem rebus affert: adhibete caſtitatem ſermonis, quæ illi conjunctiſſima ſolebat eſſe: inſiſtite veſtigiis ipſis jureconſultorum veſtrorum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

rum, qui optimis temporibus floruerunt: hos vobis proponite imitandos. Cœpta eſt ea facultas proximis annis illuſtrari à doctiſſimo viro, qui cornicum oculos confixit, Andrea Alciato: mox à Germanis, à Gallis. ſi in eam curam incubueritis, nunquam pœnitebit. Neque verò ſum neſcius, hic adeſſe præſtantiſſimos ingenio & doctrina homines juriſperitos, qui à pueritia hoc conſilium ſecuti, cum juris civilis ſcientia ſemper eloquentiam conjunxerunt: à quibus quoniam meam ſententiam probari non dubito, referam ego jam me ad eos, quos amor, quos charitas, quos pietas accendit, atque inflammat, ut ea cogitent, ea curent, ea moliantur, quæ ſint ad Reipublicæ gloriam. Quæ verò eſt Reipublicæ gloria? niſi civium vera & cumulata laus? Quæ facultas imperatorum geſta monimentis conſecravit? eloquentia. quæ præclarè non modò facta, ſed dicta ſapientum ad cœlum extulit? eloquentia. quæ poſteritati propagavit memoriam virorum illuſtrium? eloquentia. hæc niſi fuiſſet, nulla extaret gloria Thebanæ, nulla Lacedæmoniæ, nulla Athenienſis, nulla Romanæ Reipublicæ. Permagna quidem res eſt, celebrari ſcriptis eloquentiſſimorum hominum: hæc ſpes excitavit Brutos, ſuſtentavit Decios, aluit Scipiones. Quanta verò commoda illa ſunt? ut ex civibus delecti ad patriæ defenſionem, & libertatis, difficillimo Reipublicæ tempore magni oratores mittantur ad Reges & Cæſares. Nam etſi Thuſcum dicendi genus per ſe eſt dulce, & ornatiſſimum: niſi tamen ex Græcis & Latinis literis quaſi nervos & vires accipiat, in re gravi & ſeria futile eſt, atque inane. Huc accedit, quòd ubi magna regna & imperia apud exteras gentes ſunt, quæ Latinam eloquentiam colunt & obſervant, turpe eſt legatos noſtros neſcire Latinè: turpiſſimum eſt, ab exteris vinci in ea re, quæ noſtra cum eſſet, ignavia & ſocordia propè facta eſt aliena. Quamobrem ſi gloria civium, ſi commoda Reipublicæ, ſi laus denique Italiæ noſtræ commonet, aut commovet, ſumma ope

juvenes eſt enitendum, ne vobis defuiſſe videamini. Nam quòd patres ſapientiſſimi, & clariſſimi viri, id non poſtulent, ſed flagitent, quis non intelligit? quò enim ſpectant hæ curæ? quò ſolicitudines? quò hic proximus delectus? quibus quoniam is ego non ſum, qui poſſim ſatisfacere: tamen ut aliqua ex parte deſiderium leniam, propoſui mihi hoc anno explicandas M. Tullii orationes, in quibus ille curam & mentem omnem fixit, ut in eloquentia Græcis eſſemus vel pares, vel ſuperiores. In his nolite quærere, quæ induſtria, qui labor, quæ diligentia: nam dicendi genus nullum eſt caſtius, numeri nuſquam major ratio, ars verò in his omni ex parte ſe oſtendit. nam ſive ornamenta oratoria, ſeu locos communes, & argumentorum formas aptiſſimè ductas ſpectes, nihil eſt artificioſius, & admirabilius. In iis explicandis & rhetorum præcepta, & figuras omnes evolvemus: & quoties ex inductione Socratica colligit, vel ex ratione Peripatetica diſponit enthymemata, oſtendemus magnum oratoris ingenium, ſummam peritiam, infinitum laborem. Ex hac explicatione quid imitari debeant, intelligent juvenes: & quæ res, quæ ſpes, quod conſilium in ſtudiis, ſecum ipſi conſtituent. At verò quoniam rhetoricæ facultas ex altera parte reſpondet, affinisque eſt dialecticæ, quòd nullis regionibus continetur, & in eo utraque verſatur, quod probatur opinione hominum, & tam orator quàm dialecticus agit argumentis: ille mihi ridiculus videtur, qui ſperat præclarum aliquid ſe poſſe conſequi vel in ſcribendis, vel in explicandis orationibus, qui dialectica non ſit imbutus. In hac re ut juvemus adoleſcentes, & ſtudioſis linguæ Græcæ ſatisfaciamus, propoſuimus hoc, vel altero anno, ſi mihi per vos liceat, interpretari dialecticæ libros Græcè ab Ariſtotele ſcriptos: ut non ex rivulis quorundam, ſed ex fonte ipſo Peripateticorum habeant juvenes, quod hauriant: & ut Latina cum Græcis conjungant, & ad linguæ Græcæ peri-
tiam,
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tiam, & ad diſciplinæ tam neceſſariæ perceptionem. Erit hic noſter labor omnibus, ut puto, accommodatus. qui enim plurimi faciunt oratoriam facultatem, quid magis expetere poſſint non video? qui ad eam philoſophiæ partem ſe conferre voluerint, quæ Ethice dicta eſt, ita ſecum ſtatuere debent, niſi artem diſſerendi norint, quæ ſcripta ſunt ab Ariſtotele de Moribus nunquam verè percepturos. nam quæ Phyſica appellantur, ut quis intelligat, nemo dubitat quin opus ſit adjumento dialecticorum. Quòd ſi quem præſtanti ingenio excellentique judicio juvenem divina quædam virtus trahit ad perſcrutationem rerum æternarum, quid putatis, ubi in magnas diſſenſiones theologorum inciderit, non capturum mirificos fructus ex hac diſciplina? In qua tamen nos non multum inſiſtemus, ſed veluti ex decurſu, qui ſit neceſſarius oratori in colligenda ratiocinatione, & enthymematibus dignoſcendis, perquirendisque locis & ſedibus argumentorum. Quòd ſi quis eſt, qui tam gravibus ſtudiis hoc anno juventutem non putet implicandam, & Ariſtotelem, & Demoſthenem, quem ego poſt hunc proximè volebam, cenſet in alium annum rejiciendum: nihil opus eſt contentione, cedam atque obſequar Gymnaſii præfectis, ſapientiſſimis viris. quos ſi conjuncta cum philoſophiæ moralis inſtitutis Græca facundia delectat: referam ego me, quoniam ita illis placet, cum Græcarum literarum ſtudioſis ad eloquentiæ parentem Iſocratem, in cujus ſepulcro poſita erat Siren illa, quæ ſignificaret ſuavem & dulcem ejus orationem: quæ quoniam pura eſt, & culta, & numerorum menſura & figurarum artificio elaborata, plurimum conferet ad perceptionem veræ, ſolidæ, & germanæ eloquentiæ: ad quam cohortor ego hos juvenes, expenſor potius, ac æſtimator beneficiorum veſtrorum, quàm virium mearum. Nam quòd primus novo delectu publicè ſum vocatus, ſummo hono-

honore prædítus, auctus, atque ornatus à vobis, viri Lucenſes, non licet mihi jam me continere intra cancellos modeſtiæ, & pudoris mei. audendum eſt, & enitendum noctes & dies, & non quid ego poſſim, ſed quid debeam cogitandum: ut ſi non par, aliqua ſaltem gratia referatur, fructumque aliquando ex beneficio veſtro capiant hi juvenes, ſpes, flos, robur Reipublicæ Lucenſis: qui mihi & ob ingenii ſuavitates, & communionem ſtudiorum, & quòd vobis parentibus nati ſunt, chariſſimi eſſe debent.

ORATIO V.

DE REPUBLICA.

Ad Senatum Populumque Lucenſem.

EST hoc in more civitatis poſitum, Viri Lucenſes, ut in illuſtri ac frequenti civium conſpectu, delectu hoc tribunorum verba facturus, vel laudando, vel docendo aliquid afferat, quod vobis, Reipublicæque veſtræ ſit felix, & ſalutare. Eam ob rem, quæ veſtra eſt humanitas, me in locum ornatiſſimum, atque ampliſſimum, in quem ego mea tenuitate aſpirare non poteram, invitaſtis ad dicendum. Quod etſi mihi jucundiſſimum fuit, ut pro ſummis in me beneficiis in gratiarum actione ſæpius verſarer: tamen quòd juſſu veſtro ad juventutem inſtituendam bonis artibus omne meum tempus mihi ſit transmittendum: & vobis incumbentibus ad majora quædam, in gerenda Republica ſit otii minimum, minus libenter hoc munus ſuſcipiendum putabam. Neque enim virtus veſtra vulgaribus laudibus contenta eſſe poteſt: neque Orator brevi tempore, cui multum negotii ſit, in alia re occupato: præſertim cum magna expectatio

tio ſit eorum qui in hunc locum ad dicendum deſcendunt, non modò apud cives, ſed etiam apud finitimos veſtros, apud quos omnium diſciplinarum ſtudia pulcherrimè florent: quorum mihi ratio eò habenda eſt magis, quòd illi magnis præmiis propoſitis, Eloquentiam & Philoſophiam in finibus veſtris alunt, & in dicendo ſeſe quaſi Athenis quotidie exercent: ad quos ſi noſtra ſcripta pervenerint, non lita luminibus ingenii, & induſtriæ laboribus adjuta, parum dignitati veſtræ, viri Lucenſes, honori meo minimum conſuluiſſe videbor. Quid autem, per Deos immortales, à me, qui exercitatione parum, ingenio nihil poſſum, afferri poteſt? cui vix ſemihora aſſignata eſt ad dicendum: de re ubere, & copioſa, quæ ab ipſis initiis oratione eſſet illuſtranda? Magna enim video, viri Lucenſes, & multa à majoribus veſtris: at à vobis propè cœleſtia & divina quædam fuiſſe proximis annis adminiſtrata. neque mihi ſatis liquet, utrum illos magis laudandos putem, qui in propaganda ditione armis exercitatiſſimi fuerunt: an vos, qui ea quæ à patribus accepiſtis ſine bello, ſine armis, prudentia & conſiliis veſtris defenditis, & conſervatis, tanta civium concordia, tanta animi continentia ut omnes principes, omnes Italiæ populi. omnes barbaræ & exteræ nationes admirentur. Quam ob rem, etſi civitatem veſtram celebratam memoria eloquentiſſimorum ſcriptorum ſciunt, nihilque deeſſe ad generis nobilitatem: nihil tamen virtute veſtra, nihil æquitate, nihil excellenti iſto bono putant eſſe antiquius. Quare quod in primis mihi dicendum putabam, prætereo: quòd ex iis civitatibus, quæ in Hetruria habent imperium, & ditionem, nulla eſt præter veſtram, quæ Romanæ Reipublicæ tempore certa firmorum ſcriptorum memoria celebrata ſit. Prætereo adventum Cæſaris & Pompeji in hanc ipſam urbem, quam ſumma cum gloria hodie incolitis: quæ eò aucta

eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

eſt ſapientia veſtra, Viri Lucenſes, ut urbs Roma amiſſo imperio, & libertate, admiretur: Romani cives colant, & obſervent. Neque enim fieri poteſt, ubi ad nobiliſſimos homines rumor ipſe, & multorum ſermo multa perfert de integritate veſtra, de æquitate magiſtratuum, de Senatus & Reipublicæ ſtatu, quin cogitent cum animi ſenſu, ac dolore, quibus rebus eorum majores floruerint, qualem ipſi civium cupiditate Rempublicam amiſerint: cujus quoniam apud vos formam atque imaginem vident, nolite dubitare id illis in primis charum eſſe, atque jucundum. Sicuti enim, cum liberos, aut aliquid rerum nobis chariſſimarum amiſimus, ex quo dolorem ſuſceptum longinquitas temporis mollire poteſt, memoriam delere non poteſt, ſi qua ejus rei quæ deſiderium reliquit, effigies occurrat, magni motus animorum fiunt: ita non modò Romani homines, ſed Itali omnes, cum ex hiſtoriarum lectione incidunt in cogitationem illius quæ rerum potita eſt, Reipublicæ, mirum in modum commoventur: & quoniam de ea reſtituenda ne ſpes ulla quidem reliqua eſt, vobis bene precantur, qui in omnium rerum perturbatione, & diuturnis laboribus, Italiæ dignitatem & amplitudinem retinetis, & in parva ditione ingentem ſplendorem & lucem iſtam Reipublicæ in qua ut una civium eſſet æqualitas, ſummam populi voluiſtis eſſe autoritatem, qualis Athenis aliquando fuiſſe dicitur. Cum enim duo ſint corpora civitatis, alterum potentiorum, alterum tenuiorum: legibus cives coërcuiſtis, uſu confirmaſtis, conſuetudine devinxiſtis, ut in unum populum civitas coaleſceret: ita ut nihil putent tenues à Diis ſibi melius datum, quàm potentes: quorum cum ampla & magna negotia ſint, ex iis illi non modò in dies, ſed in diem vivunt. Opulenti quoque in mercatura facienda operas habent paratas artificum, ſcribarum, inſtitorum: ea re magnæ inter vos neceſſi-

ceſſitudines intercedunt Qui excellenti ingenio ad ſtudia liberalium artium ſe contulerunt, habent ipſi quoque honeſtos quæſtus, & copioſos: horum in judiciis, in Senatu, in concionibus magna eſt autoritas. Unius rei militaris minora ſunt ſtudia, quòd civitatem veſtram non tam finitimis formidoloſam, quàm omnibus gentibus amandam & colendam eſſe voluiſtis. Si qua in ea re ſtudia ſunt, ea ſunt omnia ad defenſionem libertatis, in quam curam & cogitationem omnium mentes converſæ ſunt. Optima, ita me Dii ament, Reſpublica eſt: quam tamen novis inſtitutis confirmare, & quaſi ſeneſcentem curare, & ſuſtinere debetis. ſunt enim Rerumpublicarum viciſſitudines, & morbi, in quos illæ ſicuti humana corpora ſæpe incidunt: & tanquam parietinæ, niſi crebrò reparentur, vetuſtate ipſa collabuntur. Quòd ſi iis muris, quibus cinctam urbem à majoribus accepiſtis, contenti non eſtis: an in legibus hærebitis, quas illi pro tempore tulerunt? Perlatum ad vos fuit, cis Apenninum firmiores eſſe muralium ædificiorum formas: mox fabros, & redemptores ex Gallia uſque arceſſiſtis. Perfertur ad vos, ab oratoribus quotidie florentiſſimas fuiſſe Reſpublicas Athenienſem & Romanam: cur non Græci & Latini architecti adhibentur vel ad exædificandam, vel ad muniendam Rempublicam? Vivunt Veneti in luce illa libertatis ſumma cùm gloria pluſquam noningentis annis: vereor ne quis gravius ferat, ſi dixerim, mittendos legatos ad eorum inſtituta, juraque cognoſcenda. at Senatus populusque Romanus Sp. Poſthumium Album, M. Manilium, P. Sulpitium Camerinum Athenas miſit, juſſitque, ut inclytas Solonis leges deſcriberent. Optimates, inquiet aliquis, in illa Republica ſunt: popularis noſtra eſt. Quaſi verò Athenis imperium non fuerit populare; quod tamen propterea Romani patres non contempſerunt. Eſt enim, ſi doctiſſimis viris credimus, ea in primis firma Reſpublica, quæ in duas

duas, vel ſummum treis diviſa partes, diſſimili hominum genere conſtat, qui legum æquabilitate ſe temperent. Quam ob rem popularis diuturnior eſt, ſi non imperio adminiſtretur plebeculæ, ſed conſilio eorum qui optimi ſunt in civitate: in qua propterea civium à populo, cujus ſumma eſt auctoritas, delectus eſt habendus, ut virtuti primus ſit locus, ſecundus nobilitati, tertius divitiis. Nam virtus omnibus rebus eſt præferenda: & qui bene meriti ſunt de Republica, digni ſunt ut amentur, non modò ipſi, ſed & liberi, poſterique eorum, præſertim ſi ſuſtineant expectationem. Et quoniam magna ſunt adjumenta ſæpe ab opulentis & locupletibus, eorum quoque ratio habenda eſt, maximè in republica veſtra: quæ cum exiguis ſit vectigalibus, eo eſt firmior, quòd nemo de regno cogitat, nemo inhiat ærario, nullæ ſunt hyrudines, nulli depeculatores, nullæ propoſita præda diſcordiæ. Sunt tamen magiſtratus veſtri magnifici, legationes lautæ & ſumptuoſæ, ædificationes ingentes. Unde pecunia eſt? omnes omnium fortunæ, privata patrimonia, vectigalia ſunt Reipublicæ Lucenſis. Quis me arguet? aut quis unquam criminabitur, ſi hoc loco appellarim ego vos divinos & cœleſtes viros? Nam quid hoc eſt? quantum alii ad res ſuas obeundas, quantum ad augendum patrimonium incumbunt, tantum vos ad Rempublicam cogitationem, mentem, animumque convertitis. Cæteros pudeat: qui aut exteris nationibus patriam produnt, aut ipſi diripiunt, aut libertati inſidiantur: vos patriæ laudem, vos commoda civium, vos ſalutem publicam ſemper plurimi feciſtis. Quòd ſi quæ à vobis, quæ à majoribus veſtris geſta ſunt, oratione fuiſſent illuſtrata, nolite quærere quo loco eſſet gloria hominum Lucenſium. Una in re fuiſtis minus diligentes: quæſo à vobis, quoniam in hunc ſermonem incidi, ut mihi detis hanc veniam, huic loco & tempori accommodatam, &

vobis

vobis, quemadmodum ſpero, non inutilem, ut de Republica dicentem, frequenti & jucundiſſimo conſpectu veſtro, his animis, hac attentione, patiamini me ad hiſtoriæ deſiderium vos cohortari. quid enim eſt, Dii boni, quod majorem lucem afferre poſſit Reipublicæ? quid quod gloriam nominis magis augere? quid quod tam accendere atque inflammare cives poſſit ad fortiter aliquid gerendum? Habuerunt majores veſtri excuſationem, quòd eorum ætate, ſi voluiſſent, nihil potuiſſet ſcriptis illuſtrari: idem evenit Senenſibus, idem Liguribus, idem cæteris finitimis veſtris: idem Venetis, qui terra marique, præclara & multa geſſerunt: quorum nihil memoriæ proditum eſt, dignum ut iterum legatur. Quid? an neſcitis ab eloquentiſſimo & ornatiſſimo Viro Petro Bembo, qui ſuperioribus diebus triſte ſui bonis omnibus deſiderium reliquit, quem mortuum etiam honoris cauſa nomino, hiſtoriam eſſe ſcriptam de rebus Venetis: cujus tanta expectatio eſt, ut putent homines nihil poſſe accedere jam ad gloriam illius Reipublicæ? Quid? Paulus Iovius hiſtoriæ pater, rerum geſtarum non modò explicator, ſed illuſtrator, ſeverus, gravis, & copioſus: ita gnarus ac prudens, ut non unam aliquam urbem ac regionem deſcribat, ſed univerſum propè orbem terrarum: non unius populi ingenium aperiat, ſed naturam omnium ferè gentium & nationum: nullo ne vos deſiderio afficit, ut res veſtræ ſcribantur? Quantam verò arbitramini capere voluptatem ſenes, qui rebus aut interfuerunt, aut præfuerunt, ſi eas videant celebrari ſcriptis, & verſari in ore doctiſſimorum hominum, & magnorum Regum? Qua ſpe putatis erigi juvenes? ut dignum majoribus ſuis aliquid poſteris relinquant, ubi ſperent facta, dicta excipi à ſcriptoribus publicis, & conſecrari memoriæ hominum ſempiternæ? Hæc ſpes ſi deſtituat, neque præſtans miles, neque fortis civis, neque bonus imperator, neque

præclara Reſpublica eſſe poteſt. An aliud, obſecro, cauſæ fuit, ut pro patria vitam profuderint ſæpe fortiſſimi viri? Clamabat M. Attilius Regulus, cum vigiliis, fame, & cruciatibus necaretur, ſe in ſuppliciis illis beatiorem eſſe Thorio potanti in roſa: clamabat Epaminundas, cum Lacedæmonios apud Mantinæam viciſſet, ſimulque ipſe ſe gravi vulnere animam efflare ſentiret, Clypeus ne ſalvus eſt? ſalvus eſt. Evelle ſpiculum: ut eo evulſo felix, beatuſque, ut ipſe ajebat, moreretur. Hinc præclaræ & admirabiles fuerunt ſæpe mortes imperatoriæ, nempe igniculo hoc deſiderii, ut eſſent aliqui, qui ab eis res geſtas memoriæ proderent. quamobrem magno in honore apud Græcos, ſummo apud Latinos hiſtoria ſemper fuit: quod ea excitari homines, atque accendi viderentur ad facinus præclarum aliquod obeundum. Eam ob rem L. Sylla, & C. Cæſar, maximi Imperatores, non ſunt veriti ipſi commentarios ſcribere de rebus à ſe geſtis: ex quibus eloquentes homines, qui hiſtoriam ſcribere vellent, haberent paratam unde ſumerent: & ſimul, ut deſiderio hiſtoriæ incenderentur militum animi. Quanti enim illud erat, laudari ab Imperatore militem lectiſſimis verbis? celebrari ſcriptis ab Imperatore? Quem ea gloria non allexiſſet? qui tam iners atque ignavus eſſe potuiſſet miles, qui ubi reſciſſet, re fortiter geſta, tantam gloriam ſe aſſequi poſſe, qui non vitam libenter profunderet pro Imperatore ſuo? Quamobrem deſino ego jam mirari, quid ſit, quod cum magnis ſæpe copiis Reges & Cæſares noſtris temporibus confligere conſuerint, non illæ ſequantur pugnæ, non cædes ingentes, quales olim, cum, ut poëta inquit, HÆREBAT PEDE PES, DENSUSQUE VIRO VIR. Deſino jam mirari, cur cives ſæpe multi privatæ rei fuerint ſtudioſiſſimi, publicæ perdiu pauci. Laus enim & gloria, quæ eſt quaſi merces bene geſtæ Reipublicæ, cujus fructus ex hiſtoria erat uberrimus, nulla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

nulla patrum noſtrorum memoria fuit: Eloquentia, quæ quid actum eſſet, illuſtrare poterat, multis jam ſeculis jacuit in ſitu & ſqualore. Quamobrem ſatis ſibi fore putabant homines illi, ſi quem vitæ curſum natura dederat, ſine laudis aut ignominiæ cura otioſe traduxiſſent. Qua cogitatione nihil eſt perniecioſius, nihil quod imminuat magis majeſtatem Reipublicæ. Huic malo unum illud remedium eſt, ſi eloquentiæ ſuus honos reſtituatur, unde aptiſſimè hiſtoria ſcribi poſſit, lingua non aliqua inopi atque anguſta, quæ intra Italiæ regiones ſe contineat: ſed quæ dives atque auguſta, apud exteras nationes verſetur in magnorum virorum conſpectu, à quibus perpendantur dicta & facta præclarorum civium: quorum fortunæ, ita me Dii ament, ut miſeret. quid eſt enim, quod, ſi qua ab antiquis illis dicta fuerunt, ſcripta ſunt illico, quæ Græco vocabulo Apomnemoneumata, Latino Memoratu digna appellarentur? à noſtris cum lepidiſſimè & ingenioſe nonnulla dicantur, parum hoc eſt, cum fortiſſimè dico à noſtris quotidie multa gerantur, vel ſilentio prætereuntur, vel intra patriæ fines conſeneſcunt. Quæ res vos magis quàm cæteros, commovere debet, viri Lucenſes, quòd res veſtræ maximè dignæ ſint ſcriptione, & memorabiles: quæ è libris & annalibus quibuſdam, ut audio, rudibus & obſcuris erui, atque in lucem proferri deſiderant. Quas ut antiquas prætereaṁ, ſunt enim magnæ & ingentes: an labores, quos proximis annis ſuſtinuiſtis in tuenda & firmanda Republica, non commemorabo? Hos ut prætereaṁ: num quæ audio, quæ verſantur ob os atque oculos, & video quotidie, poſſum præterire? quæ nox fuit, qua ego ſurrexerim ad lucubrationem, qua non audierim ex arce proclamare cuſtodem? vigiliis præfectos reſpondere? excurrere oppidanos per pomœrium? qui dies fuit, quo non viderim dare vos operam Reipublicæ, &

conſilio providere, ne quid deſit civitati? Habet Curia præſidium fortiſſimorum militum, habent propugnacula ſtationes, habent judicia juriſperitos, ornatiſſimos & integerrimos viros: quid hic conſpectus lectiſſimorum hominum, qui ad gubernacula reipublicæ ſedent? nonne gravitatem? nonne ſapientiam? nonne majeſtatem fronte & vultu, qui eſt animi index, præ ſe ferunt? quid iſto ſplendore populi ſignifer? quid Tribuni plebis fortiſſimi viri? quid cæteri magiſtratus? quo ſtudio, quo ardore, qua pietate adſunt ad bene gerendam Rempublicam? quid populus univerſus Lucenſis tanta multitudine confluxit in Curiam? Eſt, eſt hæc Romæ veteris divina illa effigies. Habet anguſtos fines Lucenſis Reſpublica: habuit anguſtiſſimos aliquando Romana. Quòd ſi civitas non ſunt, ut vulgus hominum exiſtimat, mœnia, ſed cives ipſi: non eſt anguſta civitas veſtra, viri Lucenſes. nulla Europæ urbs eſt nobilis, ac potens, in qua magno numero cives veſtri non habeant magnas familias, & ampla negocia. Itaque non in regionibus Italiæ ſolum, ſed in Galliis, Hiſpaniis, Germania, multæ vobis coloniæ ſunt à civibus veſtris deductæ. Quòd ſi non, quod terræ corpore occupamus atque obtegimus (parvum enim id eſt) ſed quod animo poſſidemus, verè poſſeſſio eſt: magnam is vobis facit injuriam, qui iſta robora, iſtos egregios animos anguſtis finibus circumſcribit. Sed ne ego eò ingrediar, unde difficilem habitura eſſet exitum Oratio (aſſignati enim temporis curriculum elabitur) digna ſunt omnia quæ à majoribus, quæ à vobis geſta ſunt, & geruntur, ſcriptis illuſtrari: dignus eſt hic populi conſpectus celebrari laudibus ampliſſimis: dignus eſt populi ſignifer pro charitate in patriam, digni ſunt Tribuni pro fortitudine ſua, digni qui magiſtratibus præſunt, præ æquitate & ſapientia, tabulis, ſtatuis, & omni genere ornamentorum. Quamobrem niſi vos conſuletis, excitabo

tabo ego juvenes veſtros, qui liberalibus artibus ſe dediderunt, commonebo ſedulò, orabo, obſecrabo, ne patiantur conſervatores libertatis, & otii publici, ſilentio præteriri. etſi aliquando in hanc curam vobis eſt incumbendum, Viri Lucenſes, ne qui rebus omnibus Rempublicam pulcherrimè exornaſtis, hac una defuiſſe videamini: quam rem ſi à juvenibus, ſi à vobis ipſis negligi intellexero, pro veſtris ſummis in me beneficiis, ſi veſtra voluntas feret, breviſſimo hoc dicendi ſpacio, quod mihi bis in anno aſſignaſtis, non unis, ſed pluribus orationibus proſequar. Quæ ſi ad gloriam veſtram celebrandam non erunt ſatis (quod certè ſcio, qui meas vires probè norim, & ingentem cumulum laudum veſtrarum) erunt nihilo ſecius illæ erga vos & Rempublicam veſtram veluti teſtes animi, amoris & obſervantiæ meæ.

ORATIO VI.

DE
CONCORDIA CIVIUM,

Ad Senatum Populumque Lucenſem.

QUòd ego ſemper optabam, Viri Lucenſes, verſari aliquando in civitate, in qua ſanctum libertatis nomen, neque vanum, neque falſum eſſet: id Deorum immortalium munere, & liberalitate veſtra videor aſſecutus. Nam etſi ex diſciplinis liberalibus, & ſapientum præceptis didiceram, tantum cuique libertatis eſſe, quantum quiſque ſe à vitiis vindicaſſet: tamen quòd non in ſolitudine vita, ſed in actione & uſu quotidiano poſita eſt, ad Reipublicæ ſtatum maximè hoc nomen ſpectare intelligebam. Neque enim elucere poteſt animi con-

tinentia, ubi nulla ſit adverſaria conſtituta cupiditas: neque juſtitia, ubi nihil ſit quod poſſit occupari. Quamobrem quæ à ſummis Philoſophis divinitus ſcripta ſunt, in quibus percipiendis omne meum ſtudium à pueritia fuit, nunquam à me intelligi potuiſſe confiteor, niſi mihi Reſpublica Lucenſis occurriſſet, in qua una ſunt omnia quæ ſapientiſſimi viri undique collegerunt. Quare ſi poſtea quàm in hanc urbem, veluti in Deorum concilium ſum admiſſus, & fructu jucundiſſimæ conſuetudinis veſtræ, & vos ipſos contemplando, tantum ſum conſecutus, ut de Republica auſus ſim dicere: concedite mihi quæſo, quoniam humanitate veſtra cætera conceſſiſtis, ut virtutes, quæ in Rep. veſtra ſunt conjunctiſſimæ dividam, & ſingulas temporibus iis quæ mihi ad dicendum aſſignaſtis, ſingulis orationibus proſequar. erit id puto vobis jucundius, & mihi facilius atque expeditius ad celebrandam gloriam civitatis: quæ una copioſe mihi, non vereor dicere, ſuppeditabit exempla earum rerum omnium, quæ à doctiſſimis viris celebrantur. Quòd ſi mihi liceret nominatim proferre cives veſtros, continentiæ, fidei, juſtitiæ, & cæterarum virtutum civilium obſervantiſſimos, ô qui mihi campus eſſet, in quo excurrere & exultare poſſem, & cum antiquis Græcis, & cum Latinis multa conferre. Nunc quoniam quaſi inſtituto prohibeor aliquid proloqui, quod ad privatam laudem converti poſſit: vos oro atque obſecro, quæ à me dicuntur, ne ſic dici putetis, quaſi in Republica aliqua Platonis efficta, in qua potius quales ille cives deſideraret, quàm quos haberet, oſtendit. Ego id inprimis lætor, quòd de rebus civilibus apud eos mihi eſt dicendum, quorum cum variæ ſint facultates & artes, omnibus tamen optima mens, unum atque idem eſt ſtudium Reipublicæ bene gerendæ: quæ cum à vobis placidè tantum ac tranquillè adminiſtretur, quantum non una aliqua domus à Germanis fratribus: de civium concordia mihi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

mihi dicendum propoſui, qua civitatem Lucenſem non modò novis ædificiis & mœnibus, ſed populo, opulentia, & nominis gloria quotidie video fieri auctiorem. Libertatis publicæ procreatrix, & quaſi parens, concordia ſemper fuit. Nam ſive primis illis temporibus, cùm in ſylvis homines diſperſi vagabantur, ſive conſtitutis jam oppidis, nata eſt ulla Reſpublica, neceſſe eſt eam vel ab uno, vel à pluribus fuiſſe profectam. ſi tantam rem unus potuit præſtare, quî vir exiſtimandus? qui non præceptis alienis, ſed ſuis ipſe primus ſapiens per ſe juſtitiam & fortitudinem coleret, ſibi conſtans, concors, & ſecum conſentiens: ut nihil mirum videri debeat, ſi quis, cum ſe tam præclarè temperaret, ita ſit meritus, ut uni infinita hominum multitudo obtemperaret. Quòd ſi à pluribus id boni allatum eſt, qui ab aliquo metuerent, à quo injuria infertur: eos concordes & ſapientes omnino fuiſſe, & ſemina quædam ſapientiæ jeciſſe ad concordiam civium, eſt credendum. Nam ſi autoribus Reipublicæ prius de legibus, quàm de mœnibus fuit cogitandum: quî rogari leges potuerunt ſine civium conſenſu, popularique approbatione? quàm ex iisdem fontibus emanaſſe neceſſe eſt, è quibus legum latores hauſerunt. quî enim tam multi libenter æquitatis jugum ſubiiſſent, niſi rationis lux præpotens, ab eorum animis inſcitiæ & cupiditatis tenebras abegiſſet, ut prius liberi eſſent, quàm juraſſent in leges: iis principiis natæ Reſpublicæ ſempiternæ eſſent, niſi cum temporibus mores & ingenia hominum mutarentur. Etenim ſi tempeſtatum viciſſitudines, & cœli converſiones tantam varietatem afferunt, ut orbis, qui eadem ſemper & æterna mente regitur, non idem videatur in hyeme, qui fuit in vere: quantam rerum fieri commutationem putatis, decedentibus è vita illis, atque his accedentibus ad Reipublicæ temperationem? quid verò eſt aliud commutatio, quàm diſſidii principium & origo?

quod malum quoniam evitari non poteſt, ſemper prudentiſſimorum civium fuit, evellere initia civilium diſſenſionum, ſpargere ſemina concordiæ. Menenius ille Agrippa, cùm plebs Romana à patribus ſeceſſiſſet in Aventinum, conqueſtus appoſita fabella, membra in corpus conſpiraſſe: oſtendit, in una concordia poſitam fortunam civitatis. L. Valerius, & M. Horatius, cùm ex Aventino in Sacrum montem eſſet concurſum, Decemviros cauſam diſcordiæ imperium deponere juſſerunt, & plebem animos rerum novarum ſtudioſos. Ardebant Athenæ odiis & invidia, eorum maximè cauſa qui æs alienum conflarant. ſapientiſſimus Solon fuiſſe dicitur, qui auream æquabilitatem ad controverſias ſedandas putaverit adhibendam. Ariſtides, cui juſto cognomen fuit, ſæpe hanc in patria peſtem gliſcentem compreſſit. Lacedæmonii veluti ſementem diſcordiæ aurum è civitate expulerunt: & ne quid lex agraria perturbationis poſſet afferre, ſic eorum agros dividi paſſi ſunt, ut cùm Lycurgus per regionem iter faceret, & riſiſſe, & dixiſſe feratur, fratres videri Lacedæmonios, qui ex æquo ſcripti hæredes tum primùm paternum agellum viritim diviſiſſent. Hujuſcemodi homines ubi in Republica non fuerunt, urbem qui poſſent colere, quàm repentè altis defixa radicibus infelix diſcordia omnia occupavit, enecavit, diſperdidit. Quid Græcas Reſpublicas quæ pluribus ſapientibus, quàm ſideribus cœlum, fuerunt exornatæ, quid evertit? niſi diſcordia civilis. Quid libertatem, & ornamentum illud humani generis Imperium populi Romani, quid delevit? niſi hæc eadem: ubi conjuncta cum temeraria animi dominatrice cupiditate, eos qui armis vincebant, cum maximè ſe putarent vincere, in turpiſſimam redigebat ſervitutem: qui ſi quantum armis, tantum ſapientia valuiſſent, non conjeciſſent liberos, poſteroſque eorum in calamitates, in quarum cogitationem illi quidem nun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

quam inciderunt. Mitto amiſſionem provinciarum, regnorum, ditionis, quæ ad Orientem & Occidentem ſolem ſpectabat: mitto amiſſionem libertatis. Urbs illa Roma, hoſpitium omnium gentium, conciliatrix populorum, lux orbis terrarum, ſæpe capta, direpta, incenſa, multis diebus caruit habitatore. Quàm vellem illis ipſis temporibus ab inferis rediiſſes C. Cæſar, rediiſſes Cn. Pompei: quibus vos oculis vidiſſetis ſpectaculum occidentis patriæ? quo animo tuliſſetis caſum civium veſtrorum? ubi inter cædes exaudiendæ fuiſſent voces exprobrantium hoſtium barbaræ, mulierum puerorumque ploratus, ſonitus flammarum, fragores ruentium tectorum. Illo ipſo die quo civilis diſcordiæ ſemina ſparſa inter vos, illo ipſo die jacta ſunt fundamenta omnium malorum. Sed quoniam antiquæ res, vel quòd eas ſæpe audiverimus, vel quòd additum à ſcriptoribus dubitemus, minus afficiunt, putabit quiſpiam ex noſtris temporibus aliquid petendum. Utinam Viri Lucenſes, non eam mihi copiam ſuppeditarent provinciæ Chriſtianæ. nam quòd Aſia & Africa inteſtinis odiis ſic in poteſtate ſunt crudeliſſimorum hoſtium nominis noſtri, ut in tam magnis regionibus, in quo ponamus pedem non habeamus: minus quererer, niſi ex Græcis urbibus, quæ fideliſſima & munitiſſima erat Rhodos, arx, propugnaculum, præſidium Chriſtianæ Reipublicæ, unde mare tueri, impedire curſum, cohibere hoſtium claſſem poteramus, ſuperioribus annis turpiter amiſſa fuiſſet, cùm interea noſtri Reges magnis exercitibus inter ſe contenderent. Pannonia, in quam & natura loci, & incolarum virtute nullus erat aditus hoſtibus, diſcordia tandem patefacta eſt legionibus inimicis. Arſit toto hoc anno Germania bello tetro & periculoſo: ex diſſenſionibus civilibus, quæ armis Romanis debellari non potuit, ſuis ipſa viribus ruit. Sed ne ego longinqua proſequar, cùm latiſſimum atque ampliſſimum

Italia una omnibus ſcriptoribus det argumentum, Gallia Ciſalpina, quam altiſſimis montibus natura muniverat, in Regum clientelas diviſa, quaſi Jani templum ſemper apertum, vocat ad arma barbaras nationes: quæ ſæpe ad Brutios uſque excurrentes, vaſtatis agris, vicis incenſis, quæ caſtella non expugnarunt? quas urbes non diripuerunt? Atque ut cætera taceam, redeo in Hetruriam, & ad unos vicinos Senenſes, qui vobis chariſſimi ſunt: quibus miſeri homines in laboribus per hoſce annos non ſunt verſati? nihil unquam eorum civitati defuit, niſi concordia civilis: urbs ſitu, natura, & ædificiorum deſcriptione, & ingeniis nobilis, inter amœnos colles concluſa, fertilis & copioſa omnium rerum, proximo anno non modò peregrinis, ſed civibus ipſis vix fuit hoſpitalis. Vos vidiſtis in hanc urbem relegatos, quo patriæ deſiderio tenerentur. ego nobiliſſimos homines turmatim cum liberis & uxoribus vidi, exeuntes in alienum ſolum, oculis lachrymantibus querentes diſcordiam civitatis. Nolite quærere, quamvis omnes à finitimis humaniſſimè excepti ſunt, quantum ſæpe acceperint incommodorum. Quæ omnia ea cauſa à me dicuntur, viri Lucenſes, ut confirmetis vos, & fruamini iſto veſtro excellenti bono. Non eſt vulgaris res otium, & tranquillitas publica: munus eſt Deorum immortalium, qui ſoli largiri poſſunt quod optimum eſt ut velimus, & ut aſſequamur. Quid enim hoc eſt? urbem, quæ magna ex parte è mercatoribus quidem honeſtiſſimis conſtat, uſque adeò avidam eſſe bonarum literarum, colere philoſophos, obſervare juriſperitos, inſtituere veluti officinas liberalium artium. Laudata eſt à quibuſdam Reſpublica Lacedæmoniorum, quæ latè quondam imperaſſe dicitur: quòd has artes veluti inanes & inutiles excluſiſſet è civitate, in qua non verbis, ſed armis imperium eſſet propagandum. Quanto Viri Lucenſes ſapientius, qui cùm viderent

derent cupiditate hominum Græcas Reſpublicas & libertatem Romanam concidiſſe, judicarunt optimum fore, ſi liberales artes honeſtiſſimè eſſent in civitate, quibus inſtituti & exculti civium animi regionibus temperantiæ & juſtitiæ continerentur. Eam ob rem, etſi magnus uſus, & infinita commoda vobis ſunt ex mercatura, primas tamen iis omnes defertis, qui vel ſanctiſſimarum legum, vel philoſophiæ ſtudiis ſe dediderunt. Quæ de Lacedæmoniis dicuntur, mihi quidem non ſatis eſt compertum, an odio quodam in Athenienſes, qui in illis artibus excellebant, adducti fecerint: vel potius, quod ſuſpicor, ut eam philoſophiæ partem, quæ de natura difficillima eſt, & ſæpe falſa, excluderent: at eam quæ de moribus, non voculis & concertationibus, ſed totis animis complecterentur. Ego quidem, ut quod ſentio dicam, cùm à Lacedæmoniorum Ducibus res geſtas lego, nihil aliud videre videor, quàm fortes viros, parentes præceptis inſtitutiſque philoſophorum: eorum dicta, & facta omnia, uno ex ludo ſunt continentiæ & fortitudinis. Nulla gens, nulla civitas unquam laudem habuit, quæ philoſophiam ducem non ſit ſecuta. Res bellica, quæ longiſſimè abeſſe ab hac facultate videtur, ſine hujuſce ſtudiis ſtare non poteſt: quam ob rem de ordine, de fortitudine, de continentia militum, de Imperatoris officio, & denique de militari diſciplina multi ſcripſerunt. Eſt enim ad conſervationem omnium rerum neceſſe adhiberi moderationem: quæ ſi tollatur, omnia corruant neceſſe eſt. Hæc moderatio quæ eſſet, quibusve ex partibus conſtaret, qui primi obſervarunt, ſapientes homines à noſtris, à Græcis Philoſophi dicti ſunt: etſi quidam Deorum potius quàm hominum putant fuiſſe donum, & inventum ejus diſciplinæ quæ cupiditates frenaret, quod fas, jus, & æquum eſſet oſtenderet, & vocaret non modò ad corporis, ſed ad animi libertatem, legibus pa-

rendum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

rendum doceret, raperet ad patriæ charitatem, & ſenſum communem bonorum. His radicibus, viri Lucenſes, ſi ſtet, labefactari nullo modo poteſt concordia civilis. Nam lucrum & quæſtus, aut aliud commodum hujuſmodi, parit aliquando concordiam, ſed non poteſt diu conſervare: quod conciliavit Cæſarem Pompejo, Antonium Auguſto, tale aliquid fuit: ſed id quandiu? ubi commodum fit incommodum, concordiæ jura diſſolvuntur. ea re majores veſtri, ſapientiſſimi viri, omnium artium periſſimi, quæ incommodi nihil poſſent afferre, leges ſtatuerunt æquiſſimas, & mores ſanctiſſimos civitatis, quibus à Philoſophia acceptis veluti vinculis aſtricti omnes concordiam aleretis, ne ea voce abuteremini, quam mala acceptam à doctiſſimis quibuſdam viris non poſſum non mirari. Libertatis proprium eſt, ſic vivere ut velis: eam ſi ſic illi interpretentur, ut ſolent, quæ iſta vox eſt? quæ peſtis? quæ pernicies? quod exitium veræ libertatis? quanto gravius & ſapientius, Decemvir Reipublicæ Lucenſis peregrino audaci & temerario, qui ad ſenſum & voluntatem eſſe vivendum jactabat in libera civitate, reſpondit: Si in libera civitate es, liber eſto, modò ſic vivas ut debes. Nam cum diverſæ ſint hominum naturæ & voluntates, non dici poteſt, quæ diſſidia, quæ damna, quæ mala ſint, ubi cuivis quodvis licet: vix crediderim in ſylvis, cum more ferarum vitam ſibi homines propagabant, iſtam vocem iſtis interpretibus ferri potuiſſe. Nam cum in bene inſtituta Republica eæ leges ſint, quæ boni cujuſquam animum non poſſunt offendere, malis quidem præciditur licentia vivendi, latores legum voluerunt omnes eſſe bonos, neminem niſi ſapientem eſſe liberum: & profectò, quantum in ipſis fuit, exulat improbitas, pulſa legibus, ac fugata: diverſa & contraria ſtudia diſſident inter ſe. nec poſſunt cohærere. an ſunt ulla magis pugnantia, quàm bonum & malum, diverſæ cupiditates ſunt in homi-

ne? eas convincit ratio, quæ in corpus habet imperium, & dominatum: philoſophus ſapientum præceptis ſe temperat, & cohibet; bonus civis iiſdem ſeminibus natas leges accepit, has amplectitur ut cum cæteris civibus conſentiat: ex iis delecti viri ad gubernacula Reipublicæ diſcrepare non poſſunt, aut diſſidere inter ſe, quòd in ipſis eſt veluti ſenſus bonorum omnium, quæ Concordia appellatur. Variæ ſunt facultates & artes civium, diverſa ergo ſtudia: nihil refert. idem ager non unius generis multas habet arbores fructuoſas, quas terreſtris humor nutrit: non ne corporis multa ac diſtincta ſunt membra? quæ idem potus & cibus alit. ſic in civitate variis artibus, non iiſdem ſtudiis prædita ſunt ingenia civium: quæ unus tamen atque idem patriæ amor educat, atque educit. quam ob rem civibus omnibus veluti commune bonum propoſita eſt una Reſpub. in quam omnium ora, oculi & mentes convertantur: cujus vis & autoritas quoniam omnis eſt ex conſilio publico, C. Caſſius prudentiſſimus cenſor, & patriæ amantiſſimus, Concordiæ ſignum in Curia poſuit, Curiam ipſam Concordiæ dedicavit: ut omnes ſententiam dicturi admonerentur, ſimultates, inimicitias, injurias, diſſenſiones, in Curia non habere locum, ſed ante fores & ſacrata limina deponendas: ut adventu Senatorum concordia ſanctè atque auguſtè culta, apertis Curiæ foribus emittat ſecuritatem, tranquillitatem, otium: ex quibus annona, opulentia, ubertas, ſunt in tectis atque agris: unde publica hilaritas, pax rebus, læta conjugia, procreationes liberorum, mercaturæ amplæ & copioſæ, ſtudia literarum inflammata atque ardentia. Quæ bona tanta, & tam præclara, quoniam neque in obſcuro eſſe, neque ſilentio præteriri poſſunt, non modò finitimos, ſed eos qui longiſſimè abſunt, trahunt in admirationem ſui. Hinc peregrinorum conventus, & frequentia: multi cum liberis, uxoribus, fortunis ad habitandum, multi ad recreandum ſe conferunt

runt in liberam & tranquillam civitatem. Quotus quiſque eſt, qui porta hac iter faciat, qua pulcherrima mœnia cum propugnaculis & aggere exædificantur, qui vos non fortunatos appellet? qui ſuſpirium altè petens non optet, non modò mœnibus, ſed legibus & animis veſtris ſtare patriam ſuam? Quot putatis, ubi in urbem hoſpites diverterunt, conſpicientes plenum civibus forum, plenas rerum omnium officinas, plenam concordiæ civitatem, lachrymas tenere non potuiſſe? non invidia, aut odio in vos: ſed quòd doleant, hanc ſapientiam civium non eſſe in reliquis Italiæ urbibus & regionibus. Atque ego, ut ex meo ſenſu cæteros judicem, quoties in plateam & forum animi cauſa deſcendo, deſcendo autem ferè quotidie, mea ſumma cum voluptate contemplor ex hac concordia fortunas veſtras: & licet cum hominibus optimis, & honeſtiſſimis civibus, & mihi amiciſſimis, ſermonem (ut fit) de variis rebus habeam, convertor tamen nonnunquam ad cogitationem: & totus interea pendeo, atque hæreo in iis virtutibus, quas jam à natura video in vobis eſſe, ex quibus indies cuivis ſuppetere poſſunt ampliſſima argumenta ad ſcribendum, & dicendum: ita ut earum rerum omnium quæ à ſapientiſſimis viris celebrantur, exempla ex hac civitate colligi poſſint: quæ quoniam optimis principiis orta, alta, & perfecta ſtudiis, ſic tradita ſunt ad poſteros, ſic coluntur à vobis, ut tanquam in unam aliquam arborem omnia bona inſita videantur in civitatem. Ex iis ego, quod ratum firmumque ſit, viri Lucenſes, certiſſimis ſignis auguror perpetuam fore libertatem, tranquillitatem, lucem Reipublicæ veſtræ.

ORA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ORATIO VII.

DE PRUDENTIA,

Ad Patres Conſcriptos Reipublicæ Lucenſis.

QUod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque ſit mihi, Senatui, Populoque Lucenſi, cupio Patres conſcripti, inſtituto potius meo, quàm more eorum qui ante me in hunc locum ad dicendum venerunt, ex domeſtica & umbratili ludorum exercitatione in Curiam, & conſpectum veſtrum jucundiſſimum educere eam philoſophiæ partem, quæ ad mores & vitam ſpectat: donum & inventum Deorum. Nam cum ſuperiore anno recepiſſem aliquando me de virtutibus, quæ in Republica veſtra ſunt conjunctiſſimæ, dicturum: ſatis mihi viſus ſum cognoviſſe ſenſum animorum veſtrorum. Humaniſſimè enim mihi vos adfuiſtis, & populus Lucenſis ea frequentia convenit, quanta antea nunquam: neque poſt illud tempus amici mei, ornatiſſimi viri, deſtiterunt hortari, orare, monere, ne putarem mihi eſſe integrum divertere in aliud genus orationis. Videbant illi magnam propoſitam difficultatem, quòd rem ſuſcepiſſem ab oratoria imitatione remotam: pertractatam quidem ab antiquis, ſed alio quodam dicendi genere. Quòd ſi quis fortè objiciat, in magna Græcorum & Latinorum hominum copia vix unum aut alterum fuiſſe, qui in conventibus publicis eam attigerit: quid dicam? Negem ne illos ſumma fuiſſe eruditione & eloquentia, qui diligenter, qui ornatè, qui divinitùs tam multa ſcripſerunt? Negem hanc facultatem gravem, aptiſſimam naturæ, neceſſariam communitati & ſocietati hominum, meritam aliquando in civilem lucem proferri? Dicam ab optimis viris aliquid prætermiſſum, qui otium, & negotium, & vitæ commoda ad noſtram utilitatem contulerunt? quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

quorum doctrinam non admirari improbi eſt, ingrati benignitatem negligere, inhumani diligentiam ignorare. Nihil mihi tanti ſit P. C. quod pietatem meam, qua illos à pueritia colui & obſervavi, imminuat, aut immutet: nihil tanti ſit, quo de illorum laude detraham: quos qui imitantur, uni mihi ſunt laudatiſſimi. Quid ergo eſt? Difficile eſt dicere, quàm in Republica fuerint occupati, quàm defenſionum laboribus impediti, quàm illorum vaga ſemper & volubilis fortuna fuerit. Quòd niſi in perturbatione omnium rerum non exigua pars temporis objicienda fuiſſet vel fortunæ fluctibus, vel periculis amicorum: haberemus illorum orationes graves, de iis ipſis rebus quæ præceptis quibuſdam continentur. Quòd verò ex Græcis aliqui ſunt, quibus plus otii omnino fuit, qui commonendo, & laudando, ad amicos & Reges luculenter ſcripſerunt: id mihi ſatis eſt P. C. Quis impediat, quo minus ego hoc exemplo agam apud vos, non dico Reges, ſed fortiſſimos & ſapientiſſimos viros, cuſtodes legum, & conſervatores libertatis? An concurſu hoc doctiſſimorum hominum, qui vel in philoſophiæ ſtudiis, vel ſcientia juris civilis ſumma cum laude verſantur, verear de virtutibus agere, quibus bene animatus populus Lucenſis ex omnibus regionibus urbis confluit in Curiam? Qua in re P. C. illud videre videor, quod celebrarunt veteres ſapientes: Omnes homines moveri deſiderio percipiendi, & cognoſcendi. Nulla eſt ars, nullum ſtudium, nulla diſciplina, cui non ſit propoſitum aliquod optabile ac bonum. Eſt enim in homine innata, inſitaque vis continua ac perennis, quæ excitat ac jubet ſemper cogitare, quid ſit faciendum, quo ſit feliciſſimus: quod quoniam aſſequi non poteſt, niſi ſine triſtitia ſit, & affluat omnibus rebus, mirum profectò eſt, quàm diverſi & varii fines excogitati fuerint, ad quos omnia referrentur. Facta hinc erat via ad libidinem, ad avaritiam, ad ambitionem: niſi ratio ipſa reclamaſſet, non voluptatem,

tem, non divitias, non honores eſſe verum & ſummum bonum. Nam ſi quòd homines beat, id non poteſt eſſe commune cum belluis: excluſa certè eſt voluptas, in quam proclives feruntur, qui à belluis nihil differunt, niſi forma & effigie. Opes verò ſæpe turpiſſimo quæſtu comparatæ retinentur vi, pernicioſo ſatellite: quæ ſi honeſtiſſimè partæ ſint, pendent tamen à fortuna, ſicuti & honores, facileque auferri poſſunt: & in iis ſunt interdum, qui longiſſimè abſunt à beata vita. Neque verò hic ego vos in immenſam illam rerum omnium perceptionem rejecerim, quæ ſapientia à noſtris dicitur, veſtigandam omnibus ſcientiis: quæ ſi in hominibus unquam fuit, non ſat ſcio. Sed hoc ipſum bonum quæro, quod in vobis eſt, viri Lucenſes: de quo cum mihi dicendum ſtatuiſſem, putabam ego me de laudibus veſtris eſſe dicturum. Eſt enim non aliquod unum aut ſimplex quod quæritur, ſed concretum & coactum ex multis virtutibus: quod facilè oſtenderem, ſi ſine invidia mihi liceret nominatim proferre cives veſtros. In quibuſdam ego prudentiam ſingularem, in aliis juſtitiam, fortitudinem in multis, modeſtiam in omnibus eſſe video. Eas jam univerſas animo colligite vos, ac putate eſſe in aliquo qui omnibus bonis abundet, omnibus his virtutibus excellat, quæ in omni actione eluceant. Qualis, quantus, qui vir vel qui potius Deus erit exiſtimandus is, in quo uno beato ac felici, tot tantaque cohæreant bona? Quòd etſi difficile factu eſt, immo verò omnium difficillimum: tamen ita conari & eniti debemus, tanquam nobis ſingulis propoſitum ſit, quòd facilè aſſequamur. Sicuti enim ſagittariis non fruſtra proponitur quod petant, & vix eſt qui totum diem jaculans aliquando non collineet: ita nobis P. C. non hoc temerè propoſitum eſt à natura, ad quod nos tam honeſtè invitat atque accendit. Sunt nimirum ſemina quædam in nobis virtutum, veluti è divinis mentibus accepta. quæ paſſim ſparſa, ſi colantur diligenter, homines jam non homines, ſed propè Dii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſunt immortales. Harum princeps & regina Prudentia eſt: de qua, ut reliquas in aliud tempus differam, breviſſimo hoc dicam ſpacio, quod mihi aſſignatum eſt ad dicendum. Ejus ea lux, is ſplendor eſt, ut ille ipſe, cujus nutu cœlum, terra, mariaque reguntur, optimus & maximus Deus, nihil habeat, quo magis omnes trahat in admirationem ſui. Quicquid hoc eſt, quod oculis videmus magnum, atque immenſum, quàm multa continet? quibus non ſolum univerſis, ſed ſingulis providet mens una, rerum omnium moderatrix & gubernatrix. Anni tempeſtas admonet: quid hoc eſt? Vix ſuperioribus diebus frigoris vim, & hyemem tectis ferre poteramus: terra inculta erat, atque horrida, montes nive obducti, valles pruina rigentes: nihil jam feris reliqui erat ad victum. Nunc cœli ſpiritus iſte jucundior eſt: virent agri, florent prata, frondeſcunt ſylvæ: ſpeciem quandam videre videor reviviſcentis mundi. Sol moderatis caloribus alit ſegetes, mox vehementioribus educet fruges, firmabit fructus, qui temperatis poſtea miteſcent. At ubi ſatis erit conſultum vitæ animantium, & quaſi annonæ copia facta, ad reparandas terræ effœtæ vires, quaſi anus ſolicita incumbet providentia. Hinc obrigere terram gelu, & magnis frigoribus coget quieſcere, ut ad cultus & labores ferendos aptior ſit, cum primùm per anni tempus licebit. Age, jam videamus exempla, & imagines Deorum immortalium, providos & prudentes homines, quorum conſilio coacti populi, exædificatæ urbes, jus æquale conſtitutum, leges ſcriptæ, artes inventæ ſunt. Qua prudentia opus fuit, ut à ferinis moribus agreſtes illi, quid agreſtes? feræ ad humanitatem traducerentur? præſertim cum aſſueti eſſent cupiditatibus parêre, viribus pugnare, rapto vivere. Nondum oratione poterant commoveri, qui ratione vix uterentur: nemo commune noverat bonum, delectabat inveterata conſuetudo. Prudentiæ proprium fuit, uti opportunitate temporis ido-

idonei ad agendum: Prudentiæ fuit, ponere ante oculos, quantum utilitatis haberet ſocietas, quantum periculi ſolitudo. Sed ut è ſylvis & agris ad urbes veniamus, quæ quot ſunt quis enumeret? Prætereo caſtella, & minora oppida, quibus terra exornatur, veluti ſtellulis cœlum. magnas & præclaras urbes dico: earum uſu quid utilius, ut ferarum truculentia, & vis hoſtium arceatur, & ut tutò ſimus, interque nos, & eos quos metuimus murus interſit? Earum deſcriptione quid pulchrius? ex qua regiones, viæ, plateæ, curia, forum, baſilicæ ſunt, & privata ædificia, quibus nihil commodius, ut & frigoris & malevolorum vim repellamus, & ineptorum hominum & caloris vitemus moleſtias. Eſt Senatus, ſunt magiſtratus, ſunt judicia ſacroſancta, ſunt leges, ſunt conſuetudines, & præclara inſtituta civitatum. Quàm multæ ſunt gentes, & nationes, quas una Prudentia moderatur, & regit, acuens hominum ingenia? Unde agricultura, unde frugum & fructuum conſervatio, unde mercatura, navigatio, emporia, nundinæ, ut rebus abundaremus: quæ ſi anguſtius proveniſſent, uteremur importatis. Eſt enim hæc virtus, quæ maximè proſpicit in poſterum: quam ob rem aptiſſima ſemper habita eſt ad conſulendum, quòd non ut ars & ſcientia in rebus neceſſariis, quæ in unum exitum ſpectant, verſatur: ſed in iis quæ natura dubia ſunt, obſcura & incerta. Etenim quæ aliter ſe habere nequeunt, in conſultationem non veniunt: quæ latent, & prehendi & dimitti poſſunt, ea omnibus veſtigiis Prudentia aſſequitur: quòd una acutiſſimè & celerrimè videat, una habeat rationem expetendarum & fugiendarum rerum. Et propterea, ſicuti qui medicinæ artem tenet, experientia multa novit, quibus infirmam valetudinem curet, integram conſervet: ita vir prudens rerum uſum habet, quibus proſpicit omni tempore quid ſit agendum. Quis rem familiarem tuetur? quis leges ſcribit? quis judiciis præeſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

& conſiliis publicis ; qui exercitatus non ſit aptior ad hæc omnia gerenda ? Multa dies affert, & plura quàm quis putat diſcimus quotidie : quo fit, ut maximè prudentes ſint grandes natu, qui privatis & publicis rebus interfuerunt. Neſtor ille apud Homerum quàm multa commemorat, quàm multa docet & monet confidenter. cujus ſimiles decem ſi obtigerint, non dubitat Agamemnon facilè captum iri Trojam. Quid apud noſtros Cato ille Cenſorius ignorat ? quorum mirifica fuit rerum cognitio ſanè longiore vita : cujus quoniam perbreve curriculum nobis natura circumſcripſit, ab eorum vita, qui ante nos fuerunt, omnia petere deberemus. Quis non miretur quorundam indiligentiam & ſtoliditatem ? Dii immortales, quæ ſocordia eſt ? ut cum tam multa homines noſſe poſſint, tam paucis omnino ſint contenti ? Vix dici poteſt, quæ adjumenta afferat hiſtoria, quæ nunquam eſſet deponenda de manibus : quòd cum lectione percurrimus omnem antiquitatem, & quæ geſta ſunt animo luſtramus, rebus non modo intereſſe, ſed præeſſe videmur. Et ex eventis facile intelligimus, quid ſapienter ſit, quid ſtultè factum : quid conſilio geſtum, quid temerè adminiſtratum : quibus dijudicationibus magna prudentiæ fit acceſſio. Ecquæ nobis antiquiſſimi poetæ ſcripta reliquerunt, ut in alienis perſonis expreſſam vitæ noſtræ imaginem videremus, eſſentque ad intuendum multa, & aliqua poſteris relinqueremus ad imitandum ? Hoc conſilio excuſa numiſmata, fuſæ fictæque imagines, poſitæ ſtatuæ, erecti coloſſi, benemeritis de Republica : ut eſſent illis ſua ornamenta, & poſteris ſpes gloriæ ex Prudentia, ſine qua viri boni eſſe non poſſunt. Sæpe quæritur in Senatu, quid ſit agendum : ſæpe aliquid utile videtur, quod ſi fiat, oberit plurimum. Quis diſcernet ? quis reclamabit ? niſi vir accuratus, & prudens ? Appius Claudius, cum Senatus Populuſque Romanus ad pacem cum Pyrrho inclinaſſet, & fœdus facien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ciendum, quantum profuit captus oculis? quòd animum tanquam arcum intentum haberet, quo verum longiſſimè attingeret? Quis primùm cognovit quæ domi gerebat, parum dico, quam ſpem regni animo concepiſſet Sp. Melius? an non prudentia L. Minutii? Quis P.C. turbulentiſſimis temporibus Reipublicæ veſtræ, cum turpiſſima erat facies civitatis, ſumma trepidatione bonorum, cum formidoloſus ille pugnantium concurſus eſſet in curiam, quis vidit in quos labores, in quas calamitates neceſſe erat cives incidere? quis civilibus malis occurrit primùm? non ne virtus una Prudentiæ? qua freti divini & propè cœleſtes homines Lucenſes, dignitatem Reipublicæ, majeſtatem Senatui, tranquillitatem civibus reddiderunt. Qua freti, præter leges, mores & conſuetudines, quas cum cæteris Hetruriæ populis habent communes, primi in Italia Lucenſes homines majorum inſtituta intermiſſa temporibus renovarunt: primi cœperunt militem proprium alere, obligare militiæ ſacramento, habere delectum ex agris & municipiis ruſticanis: conventus agere, deligere qui noctu per pomæria excurrant, qui interdiu ſuccedant portis: cum interea ex peregrinis militibus Italicis, præſidium ſit in curia, ita diſpoſitis ſtationibus, ut ſemper aliqui ſint in armis? Quid dicam de armamentariis publicis, ingenti impenſa ſumptuque comparatis? incredibili multitudine armorum, telorum, igniumque miſſilium, machinarum bellicarum, tormentorumque muralium? Quid dicam de piſtrinis intra muros, de officinis exædificatis? quid de molitis cibariis non in annum, ſed in annos? an hæc P. C. parva argumenta ſunt Prudentiæ hominum Lucenſium? quæ ea eſt, ut cum de ejus vi & commodis eſſet agendum, & propterea ex philoſophorum ſcriptis præcepta, ex antiquitate exempla colligerem: illud vobis verè dicere poſſum, & ſanctiſſimè jurare, ſemper mihi fuiſſe viſam, & verſatam ob os atque oculos, veſtræ imaginem civitatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ORATIO VIII.

DE

OPTIMIS STUDIIS DEFENSIS,

Ad Senatum Populumque Lucenſem.

DEos primùm quæſo, Viri Lucenſes, ut qui amor meus in vos omnes, & Rempublicam veſtram ſemper fuit, ſi veris, ſi juſtis, ſi optimis de cauſis ortus eſt, is nunc mihi conciliet animos, & ſenſus civium veſtrorum. Deinde quod ad vos, exiſtimationemque veſtram maximè pertinet, ut illi ipſi in quorum fide civitas eſt, eam mentem vobis dent, quæ optima ſit: qua ſtudiis liberalium artium ita conſulatis, ut ea res vobis liberisque veſtris, poſterisque eorum bene & feliciter eveniat. Quòd ſi quid præterea eſt optandum, illud quoque deprecor, quod in vobis eſt ſitum, ut me bona cum venia audiatis: neque eorum ſermone abducamini, qui me à vobis liberiſque veſtris abalienare cupiverunt. De qua re ſi qui mirentur fuiſſe ſilentium, iis, antequàm de optimis ſtudiis dicam, exponam breviter, cur in hunc diem diſtulerim expectatam ab omnibus defenſionem. Nam mihi quidem nihil fuiſſet optatius, quàm illis ipſis diebus, quibus de ſtudiis actum eſt in Senatu, mos conſuetudoque veſtra tuliſſet, ut qui à vobis præfecti ſunt inſtituendæ juventuti adeſſe, & ſententiam liberè dicere poſſent. Egiſſem ego profectò cauſam bonorum non majore eloquentiâ, quàm egerunt diſertiſſimi viri cives veſtri, qui graviter, qui ornatè, qui copioſe dixerunt: ſed majore dolore, qui ſpes, qui ſpiritus, qui deſideria norim adoleſcentium veſtrorum, qui labores, qui vigilias viderim eorum

quos juris civilis ſcientiæ & dialecticæ facultati præfeciſtis. Sed ego, Viri Lucenſes, cùm ſuperioribus annis publicis literis humaniſſimè à vobis fuiſſem accerſitus, illud inprimis mecum ſtatueram, quantæcunque mihi contigiſſent in hac urbe offenſiones, ſic ferre, ut nullæ futuræ eſſent ſimultates, nulla interceſſura odia cum civibus veſtris. Cujus propoſiti memor, fateor me remiſſius, ne dicam ignavius, tuliſſe non injuriam meam, ſed oppugnationem bonarum literarum. Huc accedebant conſtitutiones ſuperioris anni, quas ſi memoria deponere voluiſſem, non poteram: etenim locus ipſe admonebat, quòd vobis frequentibus hoc ipſo in loco, cum de Prudentia dixiſſem, receperam me de cæteris virtutibus eſſe dicturum. Quod cùm primùm mihi otium dabitur, faciam omnino: neque committam, ut ejus obliviſcar, quod ſentio omnibus eſſe gratiſſimum. Id ſi nunc feciſſem, offendiſſem bonorum animos, qui turpe putant me tandiu de optimis ſtudiis tacere, quem de aliis rebus toties apud vos audiverunt dicentem. Etenim ſi quæ in illuſtri civium conſpectu habent defenſores paratos, cenſentur, hoc potiſſimum die de bonis literis agendum fuit. Obſecro vos, quæ veſtra eſt humanitas, ut hoc concurſu doctiſſimorum hominum, hac frequentia, conſpectuque veſtro jucundiſſimo, quantum hoc ſpatium patitur, quod mihi aſſignatum eſt ad dicendum, mihi detis hanc veniam, accommodatam huic tempori, ut patiamini me de optimis ſtudiis dicere, & conqueri liberius, & meo quodam jure deplorare temporum acerbitatem, & fortunam ejus quem vos inſtituendæ confirmandæque juventuti delectu judicioque veſtro præfeciſtis. Quæ duæ ſunt opiniones eorum, à quibus bonæ literæ oppugnantur, hæ ſunt ambæ hodie à nobis ex animis hominum evellendæ. Altera eorum eſt, qui vel nulla, vel exigua putant eſſe à literis adjumenta. Altera eorum, qui nullo delectu verborum, nulla dijudicatione numeri ac ſtyli

cenſent literis incumbendum. Prima opinio, etſi locum ferè non habet, in quo poſſit conſiſtere: vix credibile tamen eſt, quàm non modò vulgi, ſed magnorum Regum ac Principum animos occupavit. Secunda, etſi communi quodam judicio damnatur, ſuſtinetur tamen ab infinita multitudine ſtudioſorum. Enimverò magni ſunt ardores cupiditatum, altæ ſtirpes ſtultitiæ. Omnia cum mortales vel vi occupare, vel pecunia poſſidere ſe poſſe putent, quis miretur eorum omnem in armis & lucro ſpem eſſe poſitam? At antiqui Reges, quorum nomen ſanctum atque auguſtum ſemper fuit, & erit, apud omnes gentes & nationes, conſtituti confirmandæ ſocietatis humanæ cauſa, auctores fuerunt omnium commodorum. Qui quoniam gloriæ cupiditate incendebantur, & juvandi deſiderio ardebant, non cruore hominum aſperſi, non belli crudelitate horribiles & formidoloſi, cùm à cæde & injuria longiſſimè abeſſe vellent, & memoriam nominis quàm maximè longam efficere, omnibus gentibus & nationibus boni ac ſalutares, liberalitate & diligentia incredibiles utilitates attulerunt. Nam inventoribus rerum cognitione dignarum magna præmia proponebant, quas cùm memoriæ proderent, propagabant poſteritati: in quibus & ipſi minimè rarò labores excipiebant, & ferebant pulcherrimè: quorum antiquiſſimi fuerunt, qui ſignorum ortus & obitus, acceſſus & receſſus ſiderum, conjunctiones, propinquitates & intervalla aſtrorum obſervarunt: & tanquam cum Diis immortalibus continenter habitaſſent, hominibus oſtenderunt ſempiternos errantium ſtellarum curſus, & cœli motum contrarium: quæ ſidera proſpera eſſent humano generi, quæ adverſa: quæ lunæ, quæ ſolis viæ, ex quibus potiſſimum ſunt anni varietates, & tempeſtatum viciſſitudines. Quibus inventis, certas vivendi regulas potuerunt conſtituere homines, quæ tempora eſſent ſementis faciendæ, quæ colligendæ meſſis, quæ ſervandarum frugum, quæ cædendæ materiæ, quæ corporis curan-

di.

di. Sine quibus rebus & officiis vita hominum ſtare non poſſet: tot tantaque adjumenta attulerunt nobis Reges Ægyptii, inventores artium, & magiſtri ſcientiarum. Quæ grata memoria, quæ magnitudo obſervantiæ tot tantiſque beneficiis reſpondeant? Quæ ubertas ingenii, quæ dicendi copia ſatis laudare optimos maximos Reges, quod divinum & admirabile genus orationis eorum labores complecti poſſit? Nam eadem ratione qua cœlum, terram quoque dimenſi ſunt. Hinc illi ordines, hinc illæ deſcriptiones, hinc enarrationes illæ, qui montes, quæ flumina, qui lacus, quæ maria, qui portus ubique eſſent: quarum rerum obſervatione pulcherrimæ ſcientiæ natæ ſunt: ut cùm cœli ac terræ magnitudinem metirentur, oppidorum ſitus, regionum, gentiumque naturam cognoſcerent. Cum verò orbium illorum, qui divinis animati mentibus circumferuntur, impulſus, concitationeſque obſervaſſent, tantos motus ſilentio incitari non poſſe putarunt: ſed cùm imparibus intervallis & motibus diſtinguerentur, majus quiddam quàm fortaſſe eſt, ſuſpicati ſunt variis reddi ſonis: quâ cogitatione acuta & gravia temperarunt. Quod cùm docti homines vocibus & nervis, an fieri poſſet experirentur, Muſicen invenere, & Numerandi artem: quarum altera tam neceſſaria eſt, quàm quæ maximè: altera jucundiſſima, ad orationem accommodata, complet aures hominum, & incredibili voluptate animos perfundit. Quæ ſcientiæ cùm ad Græcos fuiſſent allatæ, nolite quærere quàm ab acuto ingenio hominibus, ſtudio & diligentia ſint excultæ. Veluti novellæ arbores, ſterili loco natæ, ſi in ſolum fœcundius transferantur, fructus ferunt uberiores: ſic in Græcia liberales artes felicitate linguæ, quæ non modò aptè, ſed ornatè & diſtinctè loqui poſſet, factæ ſunt fructuoſæ. Quæ mirum in modum auctæ, cùm quaſi cognatione, & communi quodam vinculo tenerentur, coaluere in unum corpus Philoſophiæ: quæ divinarum & humanarum rerum indagatrix, veri

inventrix, magiſtra vitæ, beare homines poſſet, & in concilium Deorum admittere. Illuſtrata eſt Græcia diſciplinis, & ornata ſapientibus, veluti ſideribus cœlum. Quos interea principes civitatum, quos Reges illa provincia tulit, unius ope Philoſophiæ? quæ ea moderatione Græcos homines temperavit, ut cæteri barbari dicerentur. Quam infamiam & ignominiam ut fugerent Romani, omnium gentium, omnium populorum victores, dum Reſp. magis floruit, quotidie magis literarum ſtudia coluerunt, & Humanitatis nomine appellarunt, quòd è fera agreſtique vita, ad humanum cultum civilemque deducerent: ſine quibus qui eſſent, monſtra eſſent humana ſpecie & figura. Nam per Deos, ecquid illud eſt? quòd beſtiæ quædam inſtitutione cicures fiunt, & à diſciplina non abhorrent? Id ſi eſt, quod judicium ſit eorum, qui qui ſint, vel Reges, vel Principes civitatum, vel moderatores Reipublicæ, qui liberales artes & diſciplinas contemnunt, ſi hæc ætas veretur dicere, omnes gentes & nationes, omnis poſteritas aliquando intelliget. Ergo feræ ad diſciplinam adhæreſcent, & fient mitiores: rationis participes homines ſtudia rejicient, quibus meliores fieri poſſunt? Quæret hic aliquis, Num ſit omnium Principum idem ſenſus? Non ita Dii irati ſunt bonis artibus, ut nullos eſſe velint, qui ſuſtineant Rempublicam ſtudioſorum. ſunt tamen pauci, quorum nomini nulla caliginem ætas offundet, nulla gloriam tempora minuent, nulla memoriam delebit oblivio. Sunt Reſpublicæ & liberæ civitates, quæ alunt Philoſophos, educant Oratores, Poetis delectantur: at in his ſæpe nonnihil incommodi eſt, quòd diverſo hominum genere conſtent: quare non una eſt ſemper Senatus ſententia, non idem ſemper populi judicium. Quis perſuadeat multitudini imperitorum, diſciplinas magnis præferendas eſſe pecuniis? Quis ſtudioſioribus rei militaris, juſtitiæ non eſſe, bello vexare finitimos? non licere imperium habe-

habere in exteras nationes. Quòd ſi juri divino credimus, nefas eſſe concupiſcere: verè mihi illud dicere videor, Beatas eſſe Reſpublicas, quas docti & ſapientes homines regant: Beatas eſſe civitates, in quibus earum principes omne ſuum ſtudium in doctrina & ſapientia collocent. Dii certè appellandi ſunt, qui civibus, qui finitimis, qui externis proſunt vel inventione, vel reſtitutione diſciplinarum. Quæ gloria poteſt eſſe major? quæ illuſtrior? quæ firmior ſempiternis ſeculorum ætatibus, quàm amari ab omni hominum genere fama meritorum? Hæc quæ ex armis gloria eſt, odioſa eſt, periculoſa eſt: & crudelitate prius, & ſanguine imbuta, quàm honeſtata victoria: multis exitio fuit, multis erit calamitoſa. Quamobrem Viri Lucenſes, aut nulla Reſpublica futura unquam bona eſt, aut veſtra eſt optima: quæ exiguis contenta finibus, nemini formidoloſa, diſciplinarum amantiſſima eſt. Dii faciant, ut qua ſuperioribus annis ire via cœpit, ea pergat. Aditum ex S. C. liberalibus artibus patefeciſtis, Oratoriam, Dialecticam, & Juris civilis facultatem mandaſtis illuſtrari interpretationibus Latinis. Qui dies fuit, quo non magni fuerint concurſus adoleſcentium veſtrorum, quibus illi animis incedebant, quo deſiderio flagrabant, quà ſpe ferebantur? Tantum ne hominis unius apud liberos veſtros oratio potuit de laudibus eloquentiæ? itáne tandem commovit, ut non modò ſordes illas dictionis ſemilatinæ abjicerent, ſed ab earum autoribus capitali odio diſſiderent? O probitatem mirificam, ô ſuaviſſimos mores, ô humaniſſima ingenia adoleſcentium: num diu vobiſcum agendum fuit, ut ab inveterata quorundam opinione & ſententia diſcederetis? Nihil vos importunæ magiſtrorum voces, nihil convicia propinquorum, nihil parentum minæ deterruerunt, quin ad nos quotidie veniretis? Multa mea cauſa ſuſtinuiſtis ab iis, à quibus minimè erat expectandum. Incredibilis enim, Viri Lucenſes, conjuratio fuit in bonas literas, eorum qui dicen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

dicendi genus ſequuntur ſordidum & vitioſum. Quod ab Imperii Romani inclinatione ortum, veluti indicium ſervitutis & calamitatis noſtræ, eo ſtudio, ea diligentia propagatum eſt à barbaris hominibus, ut non modò Philoſophiam & Jus civile fœdarit, ſed ſtudia ipſa Poetarum & Oratorum. Dies me deficiet, ſi ſcriptorum volumina enumerare velim reſperſa, quid dico reſperſa? immò verò cumulata barbarie: in quibus quoniam neſcio quæ commentationes continentur, non dici poteſt, quàm ad ea ſe contulerit infinita multitudo hominum ſtudioſorum: quibus niſi occurriſſent, & reclamaſſent eloquentiſſimi & ſapientiſſimi viri, ſempiterna bonis literis nox fuiſſet offuſa. Tantus fuit Romæ literatorum clamor, ut qui in Galliis & Germania eſſent, expergiſcerentur. Præclarè quidem à Tranſalpinis nationibus barbaries rejecta & expulſa eſt, at in Italia adhuc regnat: & ita regnat, ut non villis, aut vicis ſe contineat, ſed in claris urbibus, & Italiæ luce verſetur. Magna enim fuit, & eſt ubique, copia ſtudioſorum, qui quæſtum ſibi proponunt: quem ut citò conſequantur, aut curſim arripiunt, aut omnino prætereunt adjumenta & ornamenta ad omnem vitam, ad omnes artes, ad omnia officia accommodata: quæ in adoleſcentia honeſtiſſima, in juventute optima, jucundiſſima in ſenectute, Dialecticen juvant, Jus civile exornant, illuſtrant Philoſophiam: cùm legimus, delectant: cùm ſcribimus, ſunt neceſſaria. Quibus vel noſtra, vel aliena reddimus melius, explicamus, interpretamur. Qui verò quæſtui inhiant, ambitione quoque titillantur, & oſtentatione doctrinæ. Quare cùm ſcribunt, aut diſſerunt, inopes ac jejuni, Latinis verbis non poſſunt, vulgaribus uti pudet: neceſſe eſt tandem aliquid monſtri pariant, quod non modò alunt, ſed laudant, ut quaſi belliſſimum obtrudant iis, qui nullo uſu, nullo ſunt ingenio. Placuit commentum deſidioſis, ut ſincera linguarum caſtitate veluti religione ſe exolverent. Quid mirum, ſi quibus libido

libido pro labore, ſocordia eſſet pro diligentia, optimum factu eſſe contenderent, ſi nullis legibus aſtringerentur? Ea licentia pro bene ſonantibus verbis horrida, pro uſitatis nova, pro exquiſitis vulgaria attulit. Nullus ſcriptorum delectus erat, nulla numeri, nulla ſtyli ratio habebatur: ſuo regno pulſa aliquando eloquentia jacuit in ſitu & ſqualore: ea caligo præſtrinxerat mentes hominum, ut qui pejus dicerent, melius loqui putarentur: qui obſcurius, literatius quàm cæteri. Quæ peſtis cùm latè eſſet graſſata, ut reliquas Italiæ urbes, veſtram quoque invaſerat. Quare vos, quæ prudentia eſt hominum Lucenſium, quæ cœleſtis & divina animi virtus, nihil cunctandum putaſtis, nihil ſuperſedendum, nulla in re ſumptui parcendum eſſe, quo bonis ſtudiis florentem haberetis juventutem. Hoc ego credo fuiſſe judicium S. P. Q. Lucenſis, cum ſuperioribus annis ſtudiorum tota ratione mutata, S. C. illud factum eſt, quo ego vocatus conſilio, hortatu, monitu civium veſtrorum, primus in hac urbe barbarorum clauſtra fregi, obſeſſos, circumvallatoſque adoleſcentes eduxi, & veluti è teterrimo carcere liberavi: declamavi totos dies domi, in ludo, ante curiam, utinam licuiſſet in Senatu. Putabam id vobis omnibus fore gratiſſimum: quo uno ſenſi non ſine dolore bonorum, me in odia & voculas quorundam incurriſſe. Nam cùm minimè expectarem, minimeque munus interpretationis mihi prorogari peterem: ſed ii qui non tam mei, quàm Juris civilis, quàm Dialecticæ, quàm Oratoriæ facultatis rationem haberent, me invito peterent, ipſi obtrectari bonis artibus audiverunt, ego repulſam tuli. Quo tempore quòd frequentes Senatores veſtri, graviſſimi & ampliſſimi Viri, ſumma contentione, incredibili ſtudio, ardentiſſimis animis egerunt cauſam meam, cum commendatione etiam inſtituti, vitæ, morumque meorum, immortales ago gratias, agamque dum vivam. At ea res levat fortaſſe, non ſanat dolorem

meum.

meum. Quos putatis per illos dies rumores de me apud finitimos veſtros fuiſſe? quos apud eos qui longè abſunt? quibus ego placere magnopere cupio, præſertim cum pro me reſtituendo vehementer laboratum ſit in Senatu: quid feceram? quid commerueram? quid peccaram? liceat mihi pro pietate veſtra conqueri liberius, liceat audacter dicere. Si adverſus vos, patriam, liberosque veſtros arma tuliſſem, nihil magis fuiſſem oppugnatus. Hac ergo ſpe, Viri Lucenſes, jubetis eſſe ſtudioſos bonarum artium? hæc ſunt præmia vigiliarum? hi ſunt fructus laborum noſtrorum? ut vobis præſentibus conſternamur à civibus veſtris, appetamur conviciis, cadamus animis: & ſi quid exiſtimationis nobiſcum attulimus, amittamus turpiter in civitate, quam nos oratione & ſcriptis, ſi non quibus volumus & debemus, at certè quibus poſſumus, honeſtamus.

ORATIO IX.

DE JUSTITIA.

Ad Patres Conſcriptos Reipublicæ Lucenſis.

SÆpe mihi cogitanti, Patres Conſcripti, cùm Regum afflictas fortunas, inclinationes imperii, interitus rerum publicarum memoria repeto, illud veriſſimum videri ſolet, ſi quæ diligentia hominum ſemper fuit in aliis rebus, ea fuiſſet in excolendis animis optimis diſciplinis: antiquiſſima nos regna, juſtiſſima imperia, beatiſſimas & ſempiternas Reſpublicas fuiſſe habituros. Quòd ſi quis miretur, tantas ſæpe fuiſſe rerum omnium commutationes: illud potius mirari debet, neque ſanctiſſimorum Regum, neque prudentiſſimorum civium, qui Reſpublicas inſtituerunt, apud ullas gentes & na-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tiones diu retineri potuiſſe veterem diſciplinam. Nam barbarorum Regum res geſtæ, amplæ magnificæque fuerunt: & Athenienſium & Lacedæmoniorum majores, quàm memoriæ ac literis ſit proditum: Romanorum verò tantæ, quantas neque Græci neque Latini, eloquentiſſimi homines, ſcriptis unquam complecti potuerunt. Horum omnium mores prius corrupti ſunt, & depravata ingenia, quàm regnorum & rerum publicarum orbes illi converſi. Quo loco imperiti fortunam ſtatuerunt reginam rerum humanarum: quaſi verò non ſit neceſſe, imperium quibus partum ſit, iis moribus atque artibus retineri & conſervari. Quæ artes ſi in viro bono fuerunt, qui vel ut architectus ſit vocatus ad ædificandam, vel ut moderator ad temperandam Rempublicam ex rebus geſtis intelligi poteſt, fortunam ſemper veluti pediſſequam ſecutam eſſe ſapientiam & ſplendorem virtutis. Quam ob rem eſt profectò mirandum, homines, qui neque fabro imperito credant veteres parietinas, neque ſortitò operas conduci velint ad agrum colendum; non videre quantum in maximis rebus delectus haberet momenti, ſi diligentia adhiberetur. Non latuit hoc P. C. Majores veſtros, ſapientiſſimos viros, quorum morem & inſtitutum antiquiſſimum retinetis, ut in conſpectu Senatus populique Lucenſis laudentur virtutes, quibus cives veſtri meliores fieri poſſint: ut qui ſapientia præſtant, pulcherrimè ſedeant ad gubernacula civitatis. Sunt enim artes regendæ Reipublicæ, quæ ſi rectiſſimis & honeſtiſſimis civium ſtudiis colantur, lætos & uberes fructus ferunt: ſi cum moribus corruptis conjungantur, ſunt pernicies & interitus civitatum. Quare quis tandem aut me reprehendat, aut quis vobis jure ſuccenſeat, ſi quantum aliis ad fabulas recitandas, aut ad inanes ſermones audiendos conceditur temporis, tantum ego ad cohortandum cives veſtros ad egregios animi habitus mihi ſumpſero: vos ad veſtigandum converſi, quibus è fonti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

fontibus hauriamus, operam dederitis non inviti. Omnium virtutum conciliatrix, & quaſi domina juſtitia eſt, de qua mihi hodie dicendum propoſui bona cum venia veſtra. Etenim cum omnes virtutes, quæ ſpectant ad bene & beatè vivendum, habeant quoddam commune vinculum, & quaſi cognationem inter ſe, nulla eſt tamen quæ æquè univerſas colligat, & conjungat, atque Juſtitia. Hæc prudentem civem jubet de patria eſſe ſolicitum, & de Republica noctes & dies cogitare: hæc forti viro imperat, ne in acie à ſignis diſcedat, ne perturbet ordinem, ne ſcutum abjiciat: hæc metum incutit modeſto adoleſcenti, ut pudoris & verecundiæ meminerit. eſt enim una quædam in animis hominum non lata, ſed nata lex, jubens honeſta, prohibens contraria: hæc partes cuique tribuit, officia diſtinguit, deſcribit munera, mater æqui & boni: cujus commoda nemo intelligit melius, quàm qui injuſtitiæ experitur incommoda. Multum auri, argenti multum, plurimum Melitenſis ſtragulæque veſtis apud Lucenſes eſſe dicitur: ingentes omnino ſunt divitiæ terra marique partæ: eas vobis Dii fortunent. Si injuſtitiæ vitium invaſerit civitatem, quid ſunt pecuniæ, niſi magnum malum? quid domus, quid prædia, niſi impedimentum? quid uxor, quid liberi, niſi lachrymæ & mœror? Quod non eò dico, P. C. quòd metuam hoc conſilio, hoc Senatu, iis præſidiis, teterrimæ huic peſti eſſe aditum in civitatem: ſed ut audiat populus Lucenſis, audiant peregrini, quæ gratia vobis habenda eſt, per quos omnibus frui licet tanto ac tam excellenti bono. Namque id eſt juſtitiæ proprium, non tam ſibi quàm aliis prodeſſe. Atque ut injuſtus eſt, qui dolo malo in alterius perniciem ingenii aciem intendit, ut ſibi ſit emolumento: ſic vir juſtus non habet rationem privati commodi, ſed recto animi ſenſu fertur, ut nemini noceat, & bonis proſit quàm plurimis. Quid hi Tribuni plebis? quid populi Signifer? quid Prætor? quid Judices?

dices? num ſuas res agunt? vel potius civium? Senatores patres ſunt patriæ, judices cuſtodes legum, magiſtratus conſervatores fortunarum veſtrarum. Ea vis eſt hujus virtutis, ut non modò animos afficiat ut cæteræ, ſed erumpat, & ſe ipſam prodat, accenſam atque inflammatam deſiderio communis boni: qua una ratione longiſſimè abſumus à natura ferarum, quæ vel privatam utilitatem, vel voluptatem ſequuntur. At nos juſtitiæ vi nos ipſos contemnimus, & incredibili charitate complectimur omne hominum genus. Neque res ulla eſt, qua ad ſimilitudinem Deo propius accedamus. etenim ille optimus eſt, quòd lenibus aliquando ventis, aliquando vehementioribus, ſæpe frigore & calore, nonnunquam pluviis & tempeſtatibus conſulit vitæ animantium, & ſpacium hoc humidum & caliginoſum ita temperat atque illuſtrat, ut lucem qua omnes fruimur, & ſpiritum quem omnes ducimus, ſuaviſſimè hauriamus: qua cogitatione veriſſimè admonemur, ut Deum ſequamur ducem, & vel optimis inſtitutis, vel legibus ſeverioribus, nonnunquam diſciplinis & artibus liberalibus, ſæpe cohortatione conſilioque fideli juvemus hominum cœtus, ut vitæ curſum per ſe difficilem & laborioſum melius tenere poſſint. Et quoniam bonus ille tam multa largè ac liberaliter in dies ad uſum hominum creat, & convertit, curandum eſt, ut amemus nos inter nos, & veluti Dii quidam aliis prodeſſe velimus: & cum gratuitò omnia acceperimus, gratuitò largiamur. Nam quæ hæc eſt injuſtitia, ut qui nudus naſcendo in lucem prodieris, tam multa occupes ſolus? An verò non occupas? unde igitur in poſſeſſionem tantarum rerum veniſti? Amplum patrimonium relictum eſt. Credo. Quod verò patrimonium? ſi natura omnia ſunt communia. Hæreditas aliqua obvenit? non poteſt dici. Emit pater? de quo tandem? Fac eſſe de avo meo. Quis, me nondum nato, mihi potuit præſcribere? cum jura omnia gentium, & civiles

les etiam leges iis caveant, qui nondum ſunt nati, ut cum in communem hominum ſocietatem venerint, nihil eis non ſit integrum. Si me jam nato vendidit pater meus, fecit injuriam: quod mihi dare non potuit, voluit adimere? ſibi fortaſſe, non mihi præſcripſit: dare non potuit? non ademit. Sed quid ego tam multis? quaſi verò quivis non intelligat, nullam ſanctam ſocietatem cum iis eſſe, qui ita ſe ipſos amant, ut naturæ jus violent: quo jure non nobis nati ſumus, non patriæ, non parentibus ſolum, ſed toti hominum generi, quod ita eſt unum atque conjunctum, ut ſi uſu veniat, pro viliſſimo quoque ſublevando magnis miſeriis non dubitarit vir juſtus mortem oppetere. Sed hæc majora ſunt, quàm hoc loco quæramus miſeris perditisque temporibus: quibus mirum videri debet, ſi aut veteri occupatione, aut victoria, aut lege & pactione omnibus rebus compoſitis & adjudicatis conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuat, ne quis ſibi plus æquo appetat, ne quis afferat injuriam, ne quis alteri afferri ſinat. Sit Sabinus Sabinorum ager, ſit Romanus Romanorum, ſit Lucenſis Lucenſium. Temeraria dominatrix animi cupiditas, nullis terminis & cancellis contineri poteſt, inimica Juſtitiæ. Hæc jura divina & humana ſæpe pervertit, tenuioribus admovet ſtimulos, potentioribus miniſtrat faces, & fallit opinione virtutis. Quis tam terræ filius eſt, qui nolit in cœlum tolli? quis tam beatus Rex, qui non cupiat aliquando propagare fines imperii? Hæc turbas facit, hæc diſcordias alit, hæc ſeditiones excitat in Republica, hæc ſæpe fratres juſſit armis decernere, hæc ſervos in dominos armavit, hæc animavit ſæpe in Senatum furentem plebeculam. Cui malo remedium nullum ſatis idoneum inveniri poterat, niſi Juſtitia occurriſſet: quæ compoſitis aliquando rebus, æternam nobis pacem & tranquillitatem allatura videbatur, ſi per nos licuiſſet. Sunt leges, ſunt Senatuſconſulta, ſunt plebiſcita, edicta, decre-

decreta, judicia. Hæc ſunt arma communia civium. Eſt aliquis de poſſeſſione dejectus? Bono ſit animo: eſt Prætor, qui in poſſeſſionem reſtituat. Eſt injuriis, eſt lapidibus, eſt ferro appetitus? Sunt leges vindices, ſunt pœnæ conſtitutæ, eſt judex quaſi libripens, qui vel damnum damno exæquat, vel emolumento reſarcit, vel malum malo ulciſcitur, & condemnatione compenſat. Ferarum eſt, vim vi repellere, & injuria propulſare injuriam: nam ſi id eſt hominum, quid eſt ferarum? In bene inſtitutis civitatibus turpius eſt inferre plagam, quàm accipere: ſicuti, quàm accipere, honeſtius beneficium dare. Monſtri ſimile eſt, vultu & effigie hominem præ ſe ferre, & animo feræ crudelitatem. Quæ (malùm) res homines in iſtam inſaniam adegit? ne quis jurget, ne quis ſæviat, ne quis conſerat manum, eſt effigies quaſi juris, eſt vis legum judex non muta, eſt quaſi vocem intendens Juſtitia: per quam ſi ita omnia tranſigi poſſunt, ut pax ſit animis, nullæ iræ, nulla odia, nullæ ſint inimicitiæ civium. Eſt virtus iſta nobis colenda, quæ non modò gratiam reconciliat, ſed cives civibus, ſocios ſociis, urbes urbibus, juris legumque ſocietate devincit. Hæc emolumenta, eadem honores, eadem magiſtratus diſtribuet, pro dignitate perſonarum. Civitatis unum eſt corpus, membra plura. Quid eſt? multa ſunt membra corporis, itidem civitatis. Alia honeſtamus purpura, alia nuda eſſe patimur: neque tamen membris ullis, quæ nobis chariſſima ſunt, facimus injuriam. Quid pedes, qui totum corpus ſuſtinent, quàm ſunt neceſſarii? neque tamen queruntur, primas capiti deferri. Diverſa ſunt ingenia civium, diverſa munera: diverſi, & alii aliis præſtantiores, labores: & propterea non ſunt eædem omnium dignitates. Injuſtus eſt Ajax, ut Græco exemplo utar, licet à claſſe ignes abegerit, licet cum Hectore fortiter manum & ferrum contulerit, ſi de Achillis cum Ulyſſe armis contendat: cujus conſilio bellum geſtum eſt ipſum decennium, qui in co-

hortandis ducibus oratoris officium præſtitit, in pugna militis. Graviores ſunt labores fabri tignarii, quàm architecti: quid eſt quòd architecto ſtipendia perhonorifica decernuntur, fabro pauci teruncii? Vitam agit miles duriſſimè ſub pellibus, mollius fortaſſe imperator in tabernaculo: neque tamen propterea præſtat miles imperatori. Nullam expeditiorem habent viam rerum novarum ſtudioſi ad ſeditionem excitandam, quàm quæ confundit diſtributionem juſtitiæ. Multæ ſunt leges, multa inſtituta, quibus facilè obtrectet imperitus. Boni civis eſt, putare ſanctiſſimum eſſe jus civile, firmiſſimas eſſe leges quæ à majoribus latæ ſunt: nihil in mentem imperiti cadere poſſe, quod non viderint ſapientes, contulerint, examinarint. Neque verò eſt res altera, quæ clariores fecerit Locros, quàm illud inſtitutum, ut ſi quis novam legem proponeret, cogeretur prius collum in laqueum inſerere, deinde dicere pro lege. Si lex placuiſſet, cum eſſet lata, relaxabatur reſtis: ſin minus, laqueo frangebatur gula. Videbitur alicui genus hoc inſtituti acre atque acerbum: ſed illi duobus monſtris immaniſſimis, Imperitiæ & Arrogantiæ, quibus jura divina & humana pervertuntur, hac ſeveritate occurrebant. Vix credibile eſt, quæ ſit temeritas imperitorum, quanta ſuperbia vulgi. Quis Magios, quis Bloſios, quis Jubellios neſciat, flabella illa Romanæ ſeditionis? Quis ignoret, quæ mala rerum novandarum cauſa ob inſcitiam & audaciam ſemper ſecuta ſint? Græcis & Latinis hiſtoriis teſtata ſunt omnia, nemo eſt qui jam legendo non ſit defeſſus. Recordamini per Deos P. C. cum ſuperioribus annis in Senatum veſtrum imperiti quidam, & audaciſſimi homines erecto vultu, ſupercilio illo, ardentibus oculis ferebantur, ſcelere & furore inflammati, quòd omnibus rebus non modò intereſſe, ſed etiam præeſſe volebant: quo tempore, quæ res à vobis geſtæ ſunt pro ſalute patriæ, niſi juſtis de cauſis fuiſſent geſtæ, nunquam profectò illæ teſtimonio orbis terrarum, & ju-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

& judicio magnorum Regum & Imperatorum fuiſſent comprobatæ. Quæ verò ſatis juſtæ cauſæ fuerunt? niſi ut retunderetis audaciam imperitorum, qui hanc virtutis partem confundebant, ne haberetur ratio dignitatis perſonarum. Quæ confuſio tantum abeſt à juſtitia, ut juſtitiæ nihil magis poſſit eſſe contrarium. Perpaucorum igitur hominum eſt leges ferre, non multorum emendare. Infinita ſunt, quæ legum latores comprehendere non potuerunt: infinita, quæ cum temporibus mutantur. De iis ſi aget mediocriter eruditus, & qui non calleat uſum rerum, Hydræ, ut in proverbio eſt, capita abſcinduntur. Non ſunt illa credenda oſtentatoribus doctrinæ, non vulgi opinione corrigenda: lectiſſimorum hominum prudentia & ſagacitate opus eſt, quæ Æquitas appellatur: cujus vis, quoniam natura cietur ipſa, æterna & immobilis eſt apud omnes gentes. Quod enim à natura eſt, eandem ubique ſemper habet vim: ut ignis, qui apud nos itidem, & apud Perſas urit. Quamobrem, quæ legum fuit inventrix, eadem poteſt eſſe moderatrix, una æquitas: pro qua ſæpe prudentes & eloquentes homines contra jus ſcriptum dixerunt. Ea quoniam detractis animi vitiis eſt invenienda, boni quidam viri quærendi ſunt, quales apud veteres Solon, Lycurgus, Numa fuiſſe dicuntur: quales apud patres veſtros ii, qui Oſtraciſmum, quem appellant Athenienſes, aptiſſimum viderunt ad ſuſtinendam Rempublicam popularem. illi ſeditionem, illi molliciem, illi aleam excluſerunt, oblectamenta amentium, & otioſorum: illi inceſta, ſtupra, adulteria coercuerunt, magnis pœnis conſtitutis: iidem providerunt, ne cædes in civitate fierent: ne agri, ne ſaltus latroniciis infeſtarentur. Horum ſanctiſſima ſunt inſtituta. Deum piè, caſte, auguſteque colendum eſſe, amandam communem hominum ſocietatem, finitimis honeſtiſſimè cupiendum, exteris bene precandum, pro patria moriendum; parentes alendos eſſe, uxorem diligendam,

liberos benè & pudicè educandos : cognationes, affinitates, neceſſitudines, clientelas habendas in loco rerum chariſſimarum : defunctos non eſſe injuria afficiendos, non dimovenda ſepulcra, teſtamenta non violanda : ſuæ rei ita jus eſſe debere, uti quiſque legarit : ſupplicum miſereri oportere, tueri bonos & innocentes : benemerentibus gratiam referri convenire, animadverti in malos & nocentes : promiſſa, pacta, conventa ſervanda eſſe : fidei ſummam rationem habendam, ſuis quenque contentum rebus eſſe debere : virtute animos ita confirmandos, ut ne quis precio, ne quis metu, ne quis gratia à bono & æquo deducatur. Si Juſtitia loqui poſſit, quid aliud roget, aut jubeat? Antiquiſſima hæc eſt diſciplina, pleni ſunt omnes monitorum libri, plena exemplorum vetuſtas. Una vox eſt ſapientum, una Regum, una Imperatorum, principumque orbis terrarum : firmiſſimum eſſe ſtatum civitatis, cujus juſtitia eſt fundamentum.

ORATIO X.

DE FORTITUDINE.

Ad Patres Conſcriptos Reipublicæ Lucenſis.

SI quid otii mihi eſſet, P. C. libenter id ego pro mea in vos omnes, & Rempublicam veſtram obſervantia ponerem in laudandis fortiſſimis viris Tribunis plebis, quorum cauſa pulcherrimè hic nobis illuxit dies, qui cùm ſua virtute, tum ſplendore iſto tribunitio digniſſimi ſunt, ut ampliſſimis laudibus commendentur memoriæ hominum ſempiternæ. Sed mihi ut cætera adeſſent, quæ longiſſimè abſunt, temporis quidem certè non eſt ſatis : ſunt occupationes meæ majores, quàm vulgus hominum putat ; nullum mihi tempus liberum à labore eſt, nul-

nullum vacuum à munere publico. Erudita nobis, quod vobis gratulor, eſt juventus: digniſſima eſt, quoniam vos ita voluiſtis, ut in eam erudiendam conferam omnes curas & cogitationes meas: avidiſſima liberalium artium expectat quotidie, quid à nobis afferatur, non ex cella noſtra egentiſſima omnium rerum, ſed è penu locupletiſſimo oratorum & philoſophorum. cui ego ut ſatisfaciam, non ſunt mihi totæ noctes dormiendæ, cum multum etiam vigilanti non deſint obtrectatores ſuffuſi malevolentia, criminoſi, pleniſſimi omnium ineptiarum: à quibus ego non metuo, qui vos habeo defenſores, teſtem florem juventutis, judicem populum Lucenſem. Quæ P. C. non à me dicuntur oſtentationis alicujus gratia, cujus ego ſum planè hoſtis: ſed ut vos excuſationem meam accipiatis, ſi breviſſimo hoc ſpacio, quod mihi aſſignatum eſt ad dicendum res tantas, quantæ ſunt Tribunorum veſtrorum, oratione proſequi non poſſum: præſertim cum ſint illæ obvolutæ antiquitate, & mutatæ ſæpe cum temporibus ipſis. Quid? egóne Tribunos firmamentum Reipublicæ præſidium, arcem libertatis veſtræ, tanta hominum frequentia, conventu hoc ornatiſſimo præteribo? Non faciam. Quid ergo eſt? Meminiſſe debetis P. C. quid in hoc loco præſente Senatu populoque Lucenſi ſuperiore anno receperim. Promiſſi memor, hodie bona cum venia veſtra de Fortitudine dicam. Ejus virtutis iſti autores & magiſtri quidam ſunt Tribuni. Quod enim putatis fuiſſe conſilium majorum veſtrorum, cum in tribus diviſo populo vexilla iſta erexerunt? quæ ex edicto mota loco, quiſque civis ſequeretur: niſi ut domi haberetis fortiſſimos duces, qui, cum uſu veniſſet, collatis ſignis pro communi bono pugnare, & vobiſcum unà pro libertate patriæ mori poſſint? Quotieſcunque de hac virtutis parte verbum faciam, toties mihi in mentem veniet Tribunorum veſtrorum. Nam & altera virtutis hujus pars eſt P. C. quæ ad liberos veſtros

maximè attinet, in qua ſtudium diligenter eſt adhibendum: quod ſapientiſſimi viri, qui Reſpublicas inſtituerunt, putarunt in hoc poſita eſſe omnia, ſi juventus eſſet patientiſſima laborum. Nulla enim capitalior peſtis eſt liberis civitatibus, nulla major contagio, nihil tam exitioſum, quàm libido voluptatis: ad quam quoniam omnium hominum ingenia ſunt propenſa, à pueris eſt enitendum, ut eam veluti monſtrum immane, & multo fœdiſſimum, aut fugiamus, aut fortiter aſſueſcamus vincere. Eſt fortitudo virtus animi egregii atque excellentis, quæ niſi quod honeſtum ſit, nihil rectum putat. Ea veluti ſingulare munus à Diis immortalibus hominum generi eſt data: ob id Græci, qui multa ſignificantius dicunt quàm Latini, à viro fortitudinem appellari voluerunt: quòd hujus virtutis qui, ubi primùm ſapere cœpit, non eſt ſtudioſus, vultu & effigie fortaſſe aliquando virili erit, animo certè nunquam niſi molli & effœminato. Ob idipſum Hercules, qui vel Jove natus eſt, ut Poëtæ ferunt, vel (ſi plures dicti ſunt hoc nomine) fortiſſimus aliquis, ad quem unum non ab uno res geſtæ referuntur: cum infans adhuc eſſet, utraque manu comprehenſos angues eliſiſſe dicitur: hoc eſt, primo quoque tempore egregiè ſuperaſſe fallacem iſtam animi dominatricem voluptatem. Cretenſes pueri, dum Reſpublica Cretenſium ſtetit, duri ac laborioſi, cœnantes nunquam cubare viſi ſunt. Lacedæmonii adoleſcentes, ubi multis verberibus accepti eſurire didiciſſent, nihil in cœna præter panem adhibebant: ubi ſiti prope eſſent enecti, nihil præter aquam, quam ex Eurotæ altera ripa natando in humeros cado impoſito tranſportaſſent. Romani veteres inediæ, ſitis, vigiliæ, algoris, æſtus patientiſſimi, in caſtris per laborem uſu militiam diſcebant: & ſi magnis itineribus erat eundum, præter arma, quæ neque noctu, neque interdiu deponere licebat, ferre

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

molita cibaria in menſem, ferre utrem cum aqua conſuêrant: non minus ad pugnandum parati, quàm ſi eſſent expeditiſſimi. Qui ſenſus fuit P. C. tantarum gèntium & nationum? quid hæc inſtituta volebant? Cretum leges Minos ſanxerat, juſtiſſimus omnium Rex: Lacedæmoniorum Lycurgus, optimus & ſapientiſſimus: Romanorum Dii quidam potius quàm homines appellandi, autores ſummi imperii, & domini orbis terrarum. Horum conſilia non ſunt contemnenda. Intelligebant iſti, fortitudinem virtutem eſſe divinam, & ſanè cœleſtem, ad quam unus eſſet aditus juventuti, ſi laboribus eſſet exercitata: Rempublicam diu ſtare non poſſe, in qua ſit otioſa & delicata juventus. Et nos canere & ſaltare jubemus adoleſcentes, bibere permittimus meracius, capere jentaculum, prandere, meridiari, cœnare. Sunt iſta obſequia parentum. Si parentum obſequia nervos virtutis elidunt, non ſunt ferendi patres, qui obſequioſe filios alunt. Excludendi ſunt è civitate, qui educant luxurioſe. Ab iis ſic eductis & educatis prodita ſæpe patria eſt: ab iis ſæpiſſimè conjurationes factæ: ab iis ſemper ſunt excitatæ tyrannides. Nam ubi Venere, gula, & talo patrimonium abſumptum eſt, & familiares opes defecerunt, neceſſe eſt audacem juventutem, quæ neque famem, neque ſitim, neque frigus ferre poteſt, incendi pravis cupiditatibus. Laudanda inprimis igitur fortitudo eſt, ob tolerantiam egregiam rerum difficilium, quæ neque egeſtatem, neque exilium, neque mortem timet: nihil denique, præter turpitudinem. M. Curius, homo non locuples, ad focum rapas coquebat in cœnam. ad quem cùm legati Samnitum magno cum auri pondere veniſſent, ut eo munere gratiam ſuis conciliarent: is & donum repudiaſſe, & dixiſſe fertur: Auro non egent, quibus hæc cœna eſt ſatis. P. Rutilius exemplum fortitudinis, cùm à Syllanis in èxilium miſſus eſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

& Sylla, qui in libera civitate regnum jam obtinebat, quibuſdam, in quibus erat Rutilius, redeundi poteſtatem feciſſet: in exilio eſſe maluit, quàm tyranni vultum aſpicere. L. Æmilius fortiſſimus conſul, cùm in clade Cannenſi expers culpæ, & cruore oppletus in ſaxo moribundus ſederet, & Cn. Lentulum tribunum militum equo prætervectum intueretur, num lamentabili voce, & tremula obligari vulnus, aut in equum tolli ſe precatus eſt? Immo verò, cùm eum vellet protegere Tribunus, reclamavit: Abi Lentule, quid tempus teris? ſine me bene mori, ubi collega meus non paſſus eſt honeſtè vivere. Quibus profectò intelligere licet, non egeſtate, non exilio, non morte deterreri viros fortes: & mori malle, quàm de dignitatis gradu dimoveri. Quid? inquiet aliquis, non omnes ad virtutem iſtam apti ſunt. Id eſt dicere, homines non eſſe homines. Fatemur natura ineſſe in omnibus molle, demiſſum, humile, quiddam denique humanum: ſed illud quoque dicimus, ineſſe rationem, ut divinum aliquod veluti corporis præfectum, & adminiſtrum conſiliorum, cui parêre debet animi pars illa mollis & enervata, veluti ſapientiſſimo Imperatori miles imperitus. Quis noſtrûm eſt, qui ſi virum, cui pes condoleat, aut dens, ingemere, ejulare & flere videat, riſum tenere poſſit? Quis, ubi audiverit ignavos milites, ſimulac viderunt hoſtem clamaſſe, abjecto ſcuto fugiſſe, qui ira non excandeſcat? Id certè non fieret, niſi in omnibus eſſet æquè ſenſus quidam interior, qui conteſtatur, quod abjectè, quod timidè, quod muliebriter factum ſit, turpiſſimum eſſe. Quî verò turpiſſimum eſt? niſi æquè ad omnes ſpectet fortitudo, quæ appetentiſſima eſt honeſtatis, quam ignorant animantia quæ ratione carent. Hinc belluæ quædam, quæ certant acrius, & inſultant liberius in omnes, non fortes dicuntur, ſed immanes ac feræ. Inſani cùm periculum adeunt, ri-

dentur potius, quàm laudantur. Qui temerè aliquid aggrediuntur, audaces appellare conſueverunt. Virtus enim à recta animi ratione proficiſcitur: quam ob rem vir fortis mentis conſtantia pulcherrimè fert ſecundam & adverſam fortunam, quicquid contingat, modò vacet culpa: neque dolet, ut cæteri, neque lætatur. O rem incredibilem P. C. tantamne eſſe vim hujus virtutis, ut eo homines impertiat, quod eſt præpotentis Dei? Quid tam mirabile, quàm unam mentem, omnia quæ ſunt, quæ fuerunt, quæ futura ſunt, videre, intueri, intelligere ut præſentia: neque tamen lætitia affici unquam, neque capere dolorem? Nam ſive ſalubritas ſit; ſive peſtilentia, ſive ſterilitas agrorum, ſive fertilitas, ſive eluviones, ſive exuſtiones terrarum, Deus nihil commovetur, nihil afficitur: in quem ſi lætitia & dolor cadere poſſet, non eſſet beatus, non liber, non ſincerus, non ſimplex. Et vir fortis mente firma ac ſtabili, & paupertatis morſus, & ſtimulos doloris, & fortunæ fulmina contemnit: non minis, non tormentis movetur: cui vultus eſt ſemper idem, eadem ſemper oratio, idem ſemper animus, quòd in re anguſta, in ſuppliciis, in morte inveniat vitam beatam. ſi ægrotabit, feret patienter: ſi ſecabitur, ſi uretur, non emittet vocem viro indignam. Amicus meus fortiſſimus vir, quem vos omnes probè noſtis, quotannis ex pedibus laborat. hunc ego, cum podagræ doloribus ardet, convenio ſemper: liquet mihi dejerare, nunquam me illum non modò audiſſe clamantem, ſed ne lamentantem quidem. Quid illud fuit? cùm ſuperioribus menſibus nobiliſſimus puer, parentibus dulcis & optatus, ex altiſſima feneſtra cecidiſſet in impluvium: appoſita erat ſecunda menſa, diſcumbebat pater, vidit cadentem filium, & unà propè expirantem: teſtes ſunt magno numero familiares, qui adhuc obſtupeſcunt, non modò vocem turpem non emiſit vir fortiſſimus, ſed neque

que mutavit vultum. Sed quoniam mors extremum eſt rerum omnium, putant quidam ea deterreri viros fortes: id eſt falſum. Vidiſtis vos aliquando civem veſtrum (nolo nominare, ne dum de fortitudine dico, faciam dolorem) is cùm ad mortem mitteretur, hac virtute præditus, ibat fronte ac vultu belliſſimis, quaſi è carcere evolaſſet. ponè uxor erat, lectiſſima fœmina, & graviſſima: ea dolore credo oppreſſa, neque vocem, neque oculos tollebat: liberi conclamantes ſequebantur. Tum ille limis oculis intuens: Tacete, inquit, quid hoc clamoris eſt? quibus nec pater, nec mater flet, infirma ætate adhuc eſtis, auferte iſtam mollitiem. Quid ſi à me millies non audiſſetis pueri, mortem non eſſe malum, nihil eſſe timendum præter turpitudinem? Videtis P. C. quæ ſemina virtutis hujus ſint in animis civium veſtrorum? qui ſi diligentiſſimè colantur, quid obſecro, quid eſt futurum? Habent enim animi ortum ac originem cœleſtem, unde inſita eſt viris fortibus deſpicientia quædam rerum humanarum. Hinc Anaxagoras, qui mens à veteribus eſt appellatus, cum patrimonium amplum & copioſum accepiſſet, quod neque augeret, neque conſervaret, accuſabatur à ſuis. à quibus cum aliquando premeretur, quòd non modò agelli aviti & paternæ domus, ſed & patriæ curam abjeciſſet: ille manus ad cœlum tollens, Hem, inquit, patria, hem domicilium, hem fundе noſter, quàm tui deſiderio ardeo. quem ſecuti nobiliſſimi Philoſophi, tantum profecerunt, ut comperеrint, & docuerint Deos eſse nos: quòd non id ſimus quod forma iſta declarat, ſed mens cujuſque, id eſt quiſque: non ea forma, quæ digito demonſtrari poteſt. Ea re Anaxarchus, cum in crudeliſſimi & inimici Regis manus incidiſſet, juſſiſſetque eum Rex ferreis malleis contundi: Tunde, inquit, tunde Rex Anaxarchi utrem, nam Anaxarchum non potes tundere. Quam ob rem excellenti animo homines

mines, deſpicientes res humanas, à negociis publicis remoti, contulerunt ſe ad cogitationem, contemplationemque rerum æternarum: qui quoniam tranquillitati ſervire, & labores publicos fugere viſi ſunt, non plena manu laudantur: etenim non ſatis eſt ſcriptis agere, & concertatione verborum adjumento eſſe hominibus, ſed re fortiter geſta, corpus & animum conferre debemus ad communem hominum utilitatem. Quid? cùm Romæ fortiſſimi viri Tribuni plebis Senatusconſultis intercedebant, cùm ſtipati populo omnium gentium victore legem ferebant, cùm in concionibus graviſſimè accuſabant, cùm Senatorem, cùm conſulem, cùm dictatorem prehendi jubebant, quibus parêre omnes, aſſurgere, & loco cedere neceſſe erat, non præbebant ſpecimen roboris & magnitudinis animorum? præſertim cùm in foro erecta ſtaret plebs Romana, quam ferocem faciebat belli gloria: & Tribuni ſacroſancti jurarent, ſe millies morituros potius, quàm paterentur dedecus aliquod admiſſum iri? Quid magni Imperatores, cùm fortiter bellum gerunt, quos labores corporis, quas animi anguſtias ſubeunt? ut exploratores maturè in omnes partes dimittant: ut quò intendunt cum impedimentis, cum exercitu incolumi perveniant: ut locum pugnæ aptum capiant: ut deligant idoneum caſtris: ut commeatu hoſtes intercludant, ipſi abundent: ut calones & lixas hoſtium lignari, aquari, pabulari prohibeant: ut quid melius ſtatuant, an hoſtibus occurrendum ſit, an in finibus pugnandum, an extra fines. ſi acies inſtruenda eſt, vel legionibus in longitudinem explicatis, vel quadrata forma: ut videant ne pedes, ne eques perturbet ordinem: ſuo loco manipulares, ſuo centuriones, ſuo tribuni ſint militum: ne quid denique timidè, ne quid temerè geratur: eſt enim hæc virtus media inter timorem & audaciam. Non decet terreri virum fortem: ſed neque decet efferri temeritate. Audaces ſine conſilio præcipites aguntur, & ante ſignum datum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tum volunt concurrere, ante adire pericula quàm ſit neceſſe: cùm difficili loco res eſt, tum verò perturbantur, tum turpiſſimè trepidant. ſicuti qui natura timidi ſunt, ignavi, imbelles, vel leviſſimis rebus moventur, inaniſſima quæque circumſpiciunt: væcordes ſemper, relicti ſemper, ac deſperati. Contrà vir fortis cogitat quæ poſſunt accidere, ne in ipſo negotio cogatur conſilium capere: leni primùm tractu, curſuque temperato incedit, veluti ſedatus amnis: ubi aut vincendum eſt, aut moriendum, incitatiſſimus fertur: non quòd magnis laboribus non ſudet, non quòd plagarum dolorem non ſentiat (nam id hominis non eſt, ſed lapidis aut trunci) ſed quòd omnibus rebus præferat honeſtatem: quæ quoniam in patria veluti in parente ſuſtinenda & conſervanda maximè poſita eſt, quæ armis oppugnari & defendi poteſt, permagni æſtimari debet ab omnibus civibus, omnium ordinum, omnium ætatum militaris peritia, & uſus armorum, ſi cum hac virtute conjungantur. nam etſi conſilio geritur Reſpublica, indiget tamen ſæpe præſidio armorum. Si leges, ſi plebiſcita ferenda ſunt, invitis etiam malis: ſi ſeditio ab improbis excitata, ubi oratione ſedari non poteſt, armis reprimenda eſt: quanti erit habere cohortes bene animatas, veluti portum, arcem, aram, præſidium bonorum? Dii faciant, ut pace totius Italiæ ubique parta, omnia vobis læta & tranquilla ſint. Si tamen vel avaritia hominum, vel injuria in hanc Hetruriæ partem belli periculum & terror ingruat, quanti erit habere milites admirabili virtute, ſummo ſtudio, optimoque in Rempublicam ſenſu, qui muros, domicilia, focos populi Lucenſis, templa, ſedes, ſepulcra majorum veſtrorum, cognatos, propinquos, conjuges liberoſque veſtros defendant? Quanti erit, habere fortiſſimos viros, qui Reipublicæ boni ac ſalutares cum ſignis iſtis, quæ mota loco omnes cives ſequi debent, pulcherrimè prodeant

deant in hoſtes: ut victis, fugatis fuſisque omnibus, qui lucem hanc civitatis ferre non poterunt, præclara atque egregia ſit opera Tribunorum veſtrorum.

ORATIO XI.

DE TEMPERANTIA,

Ad Patres Conſcriptos Reipublicæ Lucenſis.

ANimadverti P. C. omnes gentes & nationes, quæ vel in ſuos, vel in alienos imperium tenuerunt, virtute aliqua plurimum præſtitiſſe, qua veluti gubernaculo uterentur ad temperandas moderandaſque civitates. Etenim cum res humanæ ſua natura ſint mobiles, incertæ ac fluxæ, vel comprehendi non poſſunt, vel comprehenſæ citò elabuntur, niſi in aliquo hæreant, quod firmum ac validum non fallat opinionem. Virtutis autem natura cùm ſtabilis ſit, fixa, & conſtans, aptiſſima ſemper fuit ad ea ſuſtinenda, quæ per ſe leviſſimis motibus moventur. Quam ob rem Aſſyriorum, Medorum & Perſarum antiquiſſima regna, & Romana Reſpublica, Græcorumque liberæ civitates tum maximè floruerunt, cùm iis induſtria virtutem, virtus gloriam, gloria imperium comparavit: quod bene & legitimè partum, una virtus propagare poteſt in ſempiternas ſeculorum ætates. Quæ ea eſt? Credo P. C. ſi omnia vobis proponantur, quæ opinione hominum ſunt ampliſſima, pluris vos facturos virtutem, quæ perpetuò ditionem veſtram & libertatem tueri poſſit. Quæ ea eſt? num longiſſimè petenda? num aliena & peregrina? Minimè: domeſtica virtus veſtra eſt, quæ continenter habitat in tectis & domiciliis populi Lucenſis: Temperantia, Moderatio, Continentia, Modeſtia. his enim ferè nominibus à Latinis una vir-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

virtus eſt appellata, cuſtos Regum, conſervatrix populorum, regina Rerumpublicarum. De qua cùm hodie mihi ſit dicendum, obſecro vos, ut me bona cum venia audiatis. agitur enim de virtute omnium maxima, quæ & homines & Reſpublicas retinet, & confirmat cum dignitate. Nam quòd homines ſæpe non ſunt homines, & Reſpublicæ non Reſpublicæ: fit ab hujus inimica Intemperantia. Quòd ſi defectio à tota mente & ratione, diſſolutioque rerum communem utilitatem continentium, tam turpes ſunt, ut nullæ res ſint turpiores: magnopere profectò contendere debemus, ut quæ longiſſimè hoc monſtrum arcet ac fugat, Temperantiam amplectamur: quæ veluti viaticum ſenectutis, & præſidium omnium ætatum, comes ſociaque omnium temporum & locorum à pueritia concilianda eſt. Quemadmodum enim, qui lapidem jecerit, etſi mittendi poteſtatem habuerit, non habet tamen poſtea retinendi: ita quiſque ubi hanc virtutem miſſam fecerit, nunquam aſſequetur, ut eadem poſſit veluti poſtliminio redire. Quamobrem pro amore ego meo in Rempublicam Lucenſem vos oro atque obteſtor adoleſcentes, qui me jam quadriennium ſecuti, aut in eloquentiæ campis vagamini, aut retuliſtis vos ad ſeveriorem vitæ ducem & magiſtram Philoſophiam, ut ſi ullam mihi unquam operam dediſtis, hodie plurimam detis ad audiendum. Nam etſi breviſſimo hoc ſpacio, quod mihi ſemihora eſt circumſcriptum, ea maximè oratione proſequi ſit in animo, quæ ab iis maximè expectantur, qui ſedent ad gubernacula civitatis: cùm tamen peropportunè cadat, ut & vobis aliqua ex parte, qui tanto concurſu libentiſſimis animis adeſtis, poſſim ſatisfacere, non deponam memoria deſiderium veſtrum, adoleſcentes. Temperantia virtus eſt animi moderatrix, & actionum in omni vita. ea in duas partes diſtribuitur, quarum altera ad privatam rem ſpectat, altera ad communem: ambæ tamen iiſdem inſtitutis ac præ-

ceptis

ceptis continentur. Neque enim aliud eſt, quo bonus Rex, & bonus eſt civis: quamvis hic civitatem regat, ille familiam. Uterque modum, & veluti artem adhibet & obſervat, quæ ſunt tradita à prudentibus viris. Quòd ſi fieri potuiſſet, ut in ſingulis hominibus omnes virtutes eſſent, nihil opus fuiſſet monitis ſapientum, & conſtitutione Rerumpublicarum. Cùm mortales proclives ſint ad eas partes, quæ ſunt extremæ, neceſſe fuit iis commonſtrari viam, qua medium quiddam tenere poſſent: quam ſi recuſarent inire, poſſent etiam cogi. Incredibile eſt, qui motus animorum in viſceribus hæreant, qui à tranquilla & beata vita abducunt. Quis mare ventorum vi agitatum & perturbatum vidit: & putet aliquem ſic avaritia ferri, ut maxima hyeme naviget? Quis cum uxore optima, & dulciſſimis liberis vivit: & credat aliquem ſic incendi cupiditate pecuniæ, ut patriæ amorem abjiciens deſerat ſuos? & humanitatem provinciæ contemnens, libentius cum feris habitet, & barbaris nationibus? Quid eſt, quòd cum omnibus animantibus ſit à natura tributum, ut ſe, vitam, corpuſque tueantur: & infiniti ſint locupletes, qui illiberaliter corpus curant, & in magnis opibus parcè ac duriter vitam agunt? Quid eſt, quòd cùm in omnibus hominibus vis præpotens quædam ſit, quæ Deorum immortalium metum incutit, & tam multi ſemper fuerint, qui aras ſpoliarunt, fana diripuerunt? Nihil tam integrum, nihil tam ſanctum, nihil tam religioſum eſt, quod non violet avaritia: cui contraria eſt luxuries, & profuſio paternorum bonorum. Sinite hoc loco P. C. me ridere ſolicitudines, & inaniſſimas cogitationes parentum. Dii immortales, quæ eorum ſunt curæ? qui labores, ut liberis patrimonium ſit amplum & copioſum? M. Brutus, is qui de jure civili plures libros ſcripſit, in Privernati fundum reliquerat filio, in Albano villam, in Tyburti rus peramœnum, balneas etiam cum domo & ſervis:

at hæres helluo ac gurges, omnia ſic abſumpſerat, ut de tanto patrimonio ne iter quidem ad ſepulcrum patrium ſibi reliquiſſet. Sed quid ego te Brute ex tanta antiquitate repeto? quaſi verò nobis magno numero non ſint in omnibus provinciis nepotes, qui aleatores, qui ſcurras alunt, qui domum habent refertam aſſentatoribus: qui curant diligenter, ut quemadmodum apud veteres poſt cœnam perſonabant ædes laudibus virorum illuſtrium, ita nunc ad multam noctem perſtrepant aulæ obſcœnis cantibus ocioſorum? Quid de ira dicam? quam poeta bonus & ſanctus inſaniæ principium eſſe dixit: quos credendum eſt in animo cieri motus, cum in corpore tantas fieri mutationes videmus? Sunt oculi iratorum ardentes, ſunt ſupercilia contracta, frons rugoſa, capilli erecti, genæ pallidæ, & conſperſæ maculis, ex buccis anhelitus creber, toto denique ex ore crudelitas emanat. Mediocriterne putatis ab hoc monſtro eſſe cavendum? Deus Philoſophorum Plato, quam moderationem adhibuit? is cùm ſervo aliquando ſuccenſuiſſet: Vapulares, inquit, niſi eſſem iratus. Adhuc cùm indignitatem & moleſtiam ſervuli ferre non poſſet, ſororis filium Speuſippum ad ſe vocans: Obſecro, inquit, tu iſtum cædito: nam mihi irato non licet. Timuit ſibi Plato, ſumma continentia & cæteris virtutibus præditus, quòd videret homines immutari ab ira, & de ratione dejici: & nos homunculi tam multa quotidie dicimus & facimus irati? Quid de Circe illa dicam, corruptrice animorum libidine? quæ cum procreandi cauſa à natura animantibus data eſſet, hanc unam ob cauſam erat retinenda: hujus illecebra capti homines miſeri, afflicti, ærumnoſi, quantas ſibi & ſuis & alienis calamitates attulerunt? quas tragœdias excitarunt? Hac una ſæpe ſunt amicitiæ reſciſſæ, ſocietates diremptæ, diſtractæ affinitates: hac una ſunt ſæpe conventa, pacta, fœdera ſoluta, fracta, violata per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

perjurio : hac una ſunt familiæ deletæ, urbes exhauſtæ, Reſpublicæ proditæ, regna everſa, collapſa imperia. Quæ (malùm) labes? quæ peſtis? quæ intemperies homines agitat furiarum tædis ardentibus? Filios eſſe auſos parentibus manus afferre? parentes liberorum ſanguine manus fœdare? fratres mucrone latus & jugulum petere Germanorum? Nolite obſecro P. C. me hoc loco adulteria, ſtupra, inceſta, parricidia proſequi oratione. Qui poetæ ſunt? qui ſcriptores hiſtoriæ, qui horribile aliquid, atque atrox hujuſmodi non memoriæ prodiderint? nulla in re magis peccant homines, nulla pecudibus ſunt ſimiliores. Et auſus eſt Rex aliquis præmium proponere iis, qui inveniſſent novam voluptatem? dignior multo ut beſtiis, quàm hominibus imperaret. Quid mirum, ſi tot jam ſint commenta libidinis? Feras, feras vicimus obſcœnitate & turpitudine. Prætereo cæteros animi motus, qui ſanè multi ſunt : ſingulos nihil opus eſt enumerare, quòd omnium perturbationum quæ reprimi ac ſedari poſſunt, una conciliatrix & moderatrix eſt Temperantia. Quæ longo uſu confirmatæ dimoveri non poſſunt, quòd omnes regiones egreſſæ velut hoſti ſe dediderunt : de his quidem nulla ſpes eſt : eæ improbantur potius à nobis, quàm pertractantur. Etenim cum omnis virtus mediocritas quædam ſit, ii à nobis colligendi ſunt motus, qui ad eam revocari poſſunt. Ubi navem fregeris, nihil opus eſt gubernatore. quamobrem pueritiæ, adoleſcentiæ, juventutis bene & ſapienter inſtituendæ, ſic habenda ratio eſt, quaſi faciundæ ſementis, quam Reſpublica poſſit metere. Vides tu adoleſcentem propenſum ad luxuriam urbanam? contine ruri. vides infici ſorde ac avaritia ruſticana? ale ſplendidius in urbe. Si audacior juvenis eſt, deterre oratione, commone propoſitis periculis, doce legibus eſſe parendum : ſi eſt timidior, erige ſpe, excita gloria, incende æmulatione

æqualium. Breviſſimo hoc tempore non poſſum omnia. Si neſcis, vitia vitiis quaſi ex altera parte reſpondent: horum neceſſe eſt ut tu ſis moderator, & quaſi temperator. Quemadmodum in balneis domeſticis, cum ex altera parte frigida ſit, ex altera fervens, neutra commodè utimur: ſi qua neque fervens, neque frigida ſit, ea jucunda eſt, ea ſalubris. Sic in concitationibus animi mediocritas quædam tenenda, quæ eſt inter nimium & parum, ut neque huc neque illuc declinemus. Dicet aliquis, id fieri non poteſt. Homo barbarus quidam ſuperioribus menſibus, ſpectante populo Lucenſi, à Curiæ periſtylio per funem ad altiſſimam turrim religatum expeditiſſimus incedebat: cumque eſſet deſcenſurus, omnes ne corrueret timebamus: is brachiis examinantibus ita ſe ſuſtinebat, ut non modò præceps non ferretur, ſed neque dependeret, neque propenderet: cumque aliquando ſtudioſe loco ſe dejeciſſet, pede altero ſe ſuſpendens, tanquam paribus libratus ponderibus, exurgebat mirandum in modum. Ergo funambulus poterit corpori moderationem adhibere, & vir ſapiens animo non poterit? Quid igitur inflati inani gloria ferimur? quid colimus ſtudia liberalium artium? quid appellamus uſum patrem ſapientiæ? ſi ad regendos animi motus nihil ingenium, nihil doctrina, nihil valet exercitatio? Quæ certe ſingula ſi per ſe multum valent, & conjuncta plurimum, quis dubitet poſſe fieri, ut frenatis cupiditatibus homines modeſti ſint, continentes & temperati? An verò terræ bonitate, & ruſticorum cultu arbores & poma miteſcent, & ponent aſperitatem: & animal providum & ſagax, plenum conſilii & rationis, tot artibus, à tot ſapientibus excultum, ſi quid vitii habet, non queat deponere, ut fiat optimum? Eſto, inquiet, talis vir ſit unus aut alter: ſed ut civitas tota virtutem aliquam habere poſſit, non eſt concedendum. Peragravi ego Patres Conſcripti multas provincias & regio-

regiones: obſervavi vultum & inceſſum hominum, corporis habitum, & veſtium uſum: illud certiſſimum comperi, ut ſunt quædam publica ſtudia & inſtituta civitatis, omnes omnia moderari. Quid eſt? agnoſcebam propè in ſingulis hominibus ſenſum univerſæ nationis. Quod ne quis à me ambitioſius dici exiſtimet, quis veſtrûm eſt, qui aſpectu ipſo ad corporis motum, ad conformationem vultus, Gallum ab Hiſpano, Senenſem à Florentino, Ligurem à Lucenſi non dignoſcat? Quòd ſi vitium & virtus habitus quidam eſt: quem ſibi quiſque delegerit: facilè omnes intelligimus, tam vitio quàm virtute imbui poſſe univerſam civitatem: præſertim cum ad hoc peragendum paucis quibuſdam ſit elaborandum: ſi quales ſunt in Republica principes, tales ſunt reliqui cives. Ecquid hoc ſpectaculum tanto apparatu bis ante Curiæ fores quotannis conſtituitur, in quo Decemvirûm perſonæ quaſi imagines Deorum immortalium proponuntur? an non, ut habeat populus Lucenſis omnium virtutum domeſticum exemplum ad imitandum? Qui præfecti ſunt aliis regendis, eos in primis omni vitio carere oportet: nihil in his avaritia, nihil luxuria, nihil ira, nihil libido habeat loci, in quibus velut in ſpeculo vitam noſtram intueri debemus. Quid ſibi vult iſte ornatus? quid purpura iſta? quid uſque ad talos demiſſa toga, latus clavus? quid pallium? quid cætera inſignia dignitatis? niſi cum in hos ora oculoſque converterint cives, videant eos auguſtiore forma eſſe quàm humana: à quibus diſcant prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam? quibus virtutibus quantum à cæterorum animantium natura recedimus, tantum accedimus ad divinam. Quid? hac ipſa virtute de qua hodie agimus, nonne ſimilitudinem quandam gerimus immortalis Dei? Pura ille mens eſt, ſoluta ac libera, ſegregata ab omni concretione: & vir temperatus mente integra &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

vegeta, in primis continens eſt, ut non modò re, ſed cogitatione etiam abſit à turpitudine. Ille corpora prima inter ſe contraria, quæ elementa appellantur, ſic temperat, ut ex iis omnia naſcantur: hic extrema extremis conferens, & vitia vitiis exæquans, revocat omnia ad mediocritatem. Deus Optimus Maximus ad cœli temperationem ſedens, contorquet incredibili celeritate univerſam hanc mundi molem: in qua licet ſint globi infixi, qui divinis animati mentibus retrò contrario motu verſantur, & ejus vis ſit infinita: nihil tamen violenter facit, nihil ſuperbè, nihil potentia non ferenda: movet ut finita vis, ſinit quenque ſuos curſus conficere & ſervare ordinem, & ut Dei bonitatem poſſis agnoſcere, ſingulis vires ſufficit, curatque ut omnes univerſo cœlo ſint proſperi & ſalutares. Et vir temperatus, qui ad gubernacula civitatis ſedet, licet ſit potentiſſimus, non periculoſe contendit cum iis qui in eadem ſunt navi: ſi cæteris contrà pandentibus vela, Reſpublica non eum portum quem ipſe maximè probat, ſed alium petit, non repugnat, non inhibet, quo minus curſum tenere poſſit, obſervatione nimirum iſta motuum cœleſtium. Audite, audite P. C. hæc una ratio eſt, ut ſempiternæ poſſint eſſe Reſpublicæ, qua ſcilicet cœlum ipſum temperatis animis æternum eſt. Starent nunc Athenæ, ſtaret Sparta, floreret imperium populi Romani, ſi hanc moderationem tenuiſſent. Etenim cum tam varia ſint ingenia hominum, tam diverſæ de omnibus rebus ſententiæ, quantum periculi fore putatis, ſi nulla ratione habita rerum, temporum & perſonarum dicantur ſententiæ ſeveræ & graves? Quantum perniciei, ſi temerè quædam gerantur? In omnibus rebus modeſtia eſt adhibenda. Non ſunt omnia liberè dicenda ſemper: non facienda omnia. Et propterea diſſimulare aliquando non eſt vitium, cedere etiam virtus. Ambitioſior eſt aliquis? eſt ferendus. ſu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

perbus eſt Senator? deliniendus eſt oratione. dictum eſt aliquid iniquius? non eſt ad omnia reſpondendum. Multa toleranda facit patriæ charitas, & commune bonum. Omnia ſunt in Republica ſuaviſſimè tractanda, arte quæ leniat, non exaſperet: ſanet, non ulceret: moveat, non perturbet animos civium.

ORATIO XII.

DE FELICITATE.

Ad Patres Conſcriptos Reipublicæ Lucenſis.

ACceſſit P. C. quintus annus muneri meo, in quo dies hic mihi apud vos finem dicendi affert: idemque, iis abſolutis quæ reſtabant, initium quieſcendi. Etenim cum de virtutibus quibus hominum mentes, animique componuntur, dicere incœpiſſem, meminiſſe debetis formam à me quandam fuiſſe propoſitam, & quaſi effigiem adumbratam ejus rei, quæ hodie in medium eſt proferenda: in qua illuſtranda libenter ego, ſi poſſem, adhiberem faces orationis, non tam civium veſtrorum cauſa, qui optimis legibus & moribus inſtituti ſua ſponte feruntur ad bene & beatè vivendum: quàm multarum gentium & nationum, quarum ſummus eſt labor, incredibilis miſeria, infinita calamitas: ut commemoratione rerum veſtrarum poſito ante oculos excellenti bono, excitarem deſiderium prudenter, juſtè, fortiter & temperatè vivendi: in quo tanta eſt voluptas, ut ea ſedati animi, ac delibuti, ſentiant propè nihil humanorum incommodorum, nihil perturbentur inconſtantia & temeritate fortunæ, nihil cupiditatibus, nihil doloribus afficiantur. Quæ ſi ſupra mortalitatem noſtram contingere videntur, nolite obſecro memo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ria deponere, quod principiò dicebam, eſſe Philoſophiam donum & inventum Deorum: cujus eſt proprium facere ex ſervis Reges, ex miſeris beatos, ex homunculis heroas divinos & cœleſtes. Quam ob rem cum ſingillatim de virtutibus ageremus, antiquiſſimum nobis fuit exemplar illud intueri æternum præpotentis Dei, quod in iis virtutibus uſque adeò elucet, ut facilè intelligamus, poſſe ita conformari animos, ut mira in nobis ſit quies, ſolidum gaudium, & germana felicitas. de qua cum mihi hodie ſit dicendum, obſecro vos, ut me veſtra bona cum venia audiatis. Duo ſunt in nobis P. C. quorum alterum fragile, caducum, mortale, commune eſt cum belluis: alterum cum Diis immortalibus firmum, ſtabile, æternum. Horum naturam ſequuntur omnes humanæ voluptates & actiones, ut tales ſint, quales ab his proficiſcuntur. A corpore nihil eſt, quod non cadat ſub ſenſum, quod non ſit concretum, quod alterius ope non egeat. A mente ſunt quæ ſenſibus attingi non poſſunt, cogitationes & contemplationes, ſimplicesque motus animi vi ipſius mentis excitati. Quæ duo cum arctiſſimè conjuncta ſint, quandiu vivimus neceſſe eſt multa ſic perfici, ac prodire in medium, ut illa ipſa vel ſua cauſa, vel aliena ſe habent. Hinc nata eſt in nobis felicitas, non ex corporis unius, non ex animi unius bonis. Non poſſum non mirari P. C. eos homines, qui ſapientiſſimi ſunt appellati & habiti, tam liberè pronunciaſſe, omnia in ſola virtute eſſe poſita. In re quidem illi aperta turpiſſimè lapſi ſunt. Quis non videat nos eſſe homines? & propterea animantia, & iccirco ali cibo ac potu, refici ſomno & quiete, egere veſtitu ac tectis, in quibus calorem melius, & frigus aliquando feramus? Quis veſtrûm eſt, qui liberos ſuos velit eſſe ſapientes, qui non multa putet opus eſſe pecunia, ad libros coemendos, ad pædagogum parandum, ad conducendum doctorem? Si ad percipiendas liberali dignas homine diſciplinas pere-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

peregrè ſit proficiſcendum, ſine viatico Græcus non viſet Ægyptum, non Germanus Italiam, non Italus exteras regiones. Sed hoc omitto, illud dico: Quis domi foriſque ſtudia virtutis colet diligenter? Quis contemplabitur? qui melius id non faciat optimo corporis temperamento, quàm diſſoluto? acuto melius ingenio, quàm hebeti? Quæ cum ita certa ſint, ut tam ſtolidus ſit nemo, quin ſentiat eſſe veriſſima: & tam multi ſemper fuerint indagatores felicitatis, quam in contemplatione poſitam eſſe rectè intelligerent: quid eſt quòd quidam, quos ſicuti boves armenta ſecuta eſt infinita hominum multitudo, ſeſe & alios oleribus & craſſiore cibo paſcere inſtituerunt? quod genus vitæ fecit homines minimè aptos ad meditandum. Unde primùm juri naturali & civili bono incredibiles tenebræ ſunt offuſæ. Unde illa nata ſunt monſtra, ut alii cum feris libenter habitarent, alii in ſordibus & ſitu jacerent, alii ſibi plagas infligerent & afferrent crudeliter vulnera; quaſi morbis affecti melius contemplarentur, & propterea corpus non eſſet curandum. Horum ſimillimi fuerunt philoſophi non ignobiles, quibus cum pecunia ampla & copioſa hæreditate obveniſſet, ad ſcopulos declamantes, multa argenti, multa auri talenta in mare conjecerunt: quaſi liberalitas non eſſet virtus, quaſi miſeri non eſſent ſublevandi, quaſi numus lege conſtitutus non eſſet conſilio prudentiſſimorum hominum ad uſum neceſſarium communis vitæ. Quos ſecuti ſunt, qui à regendis populis, à Republica, à privata adminiſtranda, à procreandis liberis, à lectiſſimæ fœminæ ſocietate abhorruerunt: quique parentes, cognatos, propinquos, amicos non bono eſſe nobis putarunt ad beatè vivendum. Inventi ſunt, qui ab omnibus refugerent hominibus, cum tamen ipſi eſſent humana ſpecie & figura. Quanto illi noſtri melius, qui duce magiſtra vitæ Philoſophia, bonam valetudinem, formam, ac robur, agri copiam, terræ ubertatem, pecuniæ uſum, fidelitatem uxoris, liberorum, co-

gnatorum, propinquorum affluentiam, hominum denique neceſſitudines & ſocietates bona eſſe intellexerunt? Quid ergo eſt? dicam P. C. Aliquid in nobis ineſt ex puris illis, æternisque mentibus, quod ſi ſtudioſe colatur, omnia præclarè ſe habent: in quod unum omnium oculi ſunt conjiciendi, neque interea aliud quicquam eſt ſpectandum. Quis non videat, quaſi Phidiæ Minervam illam in arce, ſic in ſuo capite mentem pulcherrimè repoſitam, quaſi dominam ſedere, & reginam conſiliorum? quæ oracula continenter fundit inſtinctu afflatuque divino: quam qui contemnit, Deum contemnit: cui qui repugnat, is oppugnat jura humana & divina. Qua duce intelligimus melius omnino geri quæ ratione certa fiunt, quàm quæ temerè adminiſtrantur. Animantia quæ prudentia cenſentur, magis ſibi cavent, quàm quæ feruntur imprudentia. Reſpublicæ in quibus ſunt ſapientes, & uſu rerum callidi cives, omnibus partibus commodius agunt, quàm quæ ab imperitis & inquilinis reguntur. Eadem eſt patrimonii ratio: hæreditas, quæ ſcientiſſimis adminiſtratoribus utitur, optimè conſervatur. Nihil autem omnium rerum melius eſt mente, plena conſilii ad omnia regenda. Nam & Solis & Lunæ converſiones, & ſignorum ortus & obitus, certum ac perpetuum ordinem ſervant: & tempeſtatum commutationes conſtanter fiunt: & dierum noctiumque viciſſitudines, quaſi ad clepſydram æquatæ, quotannis proveniunt. quæ certè omnia ſunt argumento, præpotenti quadam mente mundum univerſum regi. Quòd ſi melius geruntur, quæ ratione certa fiunt, quàm quæ temerè adminiſtrantur: & ad omnia regenda, mente plena conſilii nihil eſt melius: quis dubitet, ratione & mentis conſilio omnia eſſe adminiſtranda? Quòd ſi divina hæc pars acceſſerit ad rerum temperationem, quid officiet, quo minus bene & beatè vivamus? Bona valetudóne? at ex ea in primis eſt tranquillitas, ne doloribus corporis abducamur à contemplando.

do. An forma? quæ honeſtatem natura habet, & mirificos amores excitat ſui. An robur? quo nititur fortitudo, ſi pro bonis arma ſint capienda, ſi ſit pugnandum pro patria. An opulentia? qua aliis etiam prodeſſe poſſumus, & ad Deum proximè accedere: cujus divitiæ ſunt immenſæ, & infinita liberalitas. An parentes, uxor, liberi, cognati, propinqui, amici? quos ut tueamur & ſuſtentemus, ſi ipſa loqui poſſit pietas, nos vehementer etiam atque etiam rogat. Qua igitur re opus eſt? dixi jam ſæpe P. C. mente bona ac firma, animo potenti & exercitato ad omnia prudenter, juſtè, fortiter & temperatè gerenda. Non ſatis eſt noſſe, quid ſit prudentia, quid juſtitia, quid fortitudo, quid temperantia: re ipſa experiri oportet: non dicto, ſed facto eſt opus. Si verbis fieri poſſent viri boni, præclarè ſe res haberet. Quæ ſunt præcepta ſapientum? quæ conciones theologorum? nemo eſt qui legendo & audiendo jam non ſit defeſſus: & tamen bonorum mira eſt paucitas. Quid eſt? avariſſimi etiam homines magnificè de liberalitate loquuntur, diſſoluti crebrò de continentia: de re bellica nemo plura, quàm ignaviſſimus quiſque. Exul Annibal olim cum Carthagine expulſus Epheſum veniſſet ad Antiochum regem, in Phormionem quendam incidit, qui cum caſtrenſium tubarum cantum nunquam audiviſſet, nunquam vidiſſet ſigna ferri, nunquam cum hoſtibus conſeri manum: & tamen homo Græcus auſus eſt apud magnum Regem, & ſummum imperatorem diſſerere de omni re militari. Quod ſi Phormioni fuit turpiſſimum, illud primùm nobis eſt videndum, ut ea de quibus dicimus cognoſcamus, deinde ne in verborum inani volutatione, ſed in re ipſa perficienda poſitum putemus fructum excellentis virtutis. Non ſatis placet concentus, qui totus eſt ex falſis voculis: nulla ſuavior eſt harmonia, quàm cum dictis facta reſpondent. hæc Dorica illa eſt, quæ in primis peritos decet: hoc Architæ eſt inſtrumentum, quòd à pueritia eſt adhiben-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

bendum. Quod eò dico P. C. quòd ſciam ubique gentium ſtudioſam juventutem dare operam Philoſophiæ, non ut vitam cum virtute colat, ſed ut de virtute poſſit diſſerere: & infinitos mortales in cauſis rerum ſcrutandis, & obſcuris quæſtionibus ætatem conſumere, quibus ſtudiis nihilo fiunt meliores: & Principes orbis terrarum legere avidiſſimè res à majoribus geſtas, non ut ſeſe conforment, talesque ſint quales eſſe oportet: ſed ut inanem neſcio quam ex rerum illarum commemoratione capiant voluptatem, ad cujus motum quoniam omnes propenſi ſumus, illud eſt videndum, ut ea ſit ſemper cum utilitate & honeſtate conjuncta: ad quam regulam dirigendæ ſunt omnes voluptates. Sicut enim ægrotantibus dulcia videntur amara, & alba lippientibus nigra: ſic malis, obſcœnæ voluptates bonæ & honeſtæ. At ſicuti de ſaporibus rectè dijudicant, qui bona ſunt valetudine: ſic de voluptatibus, qui ſana ſunt mente. Quamobrem mali (quod vix eſt credibile) qui in voluptate ſummum bonum ponunt, voluptate ſemper carent: & ab ea, quam ſe manibus putant tenere, longiſſimè quidem abſunt. Quod ſi illis perſuaderi poſſet, non eſſet jam declamandum in voluptatem: ſed in eos potius, qui non ita ſe parant, ut ſuaviſſima re fruantur. Eſt enim felicitas, voluptas ex animi & corporis bonis in rebus vel agendis, vel contemplandis: qua veluti ſale res natura aſperſit, ut rectè illæ quidem fierent, & factæ conſervarentur. Artifices ipſi, & operarii dicere conſueverunt, ſi voluptas, & animi propenſio acceſſerit, ſeſe omnia melius facturos. Laborioſa literarum ſunt ſtudia: & tamen quos delectant, cum iis non modò aſſidua ſunt domi, ſed peregrinantur etiam, & ruſticantur. Dura ſunt munia rei militaris: & tamen cùm bellum geritur, ſumma eſt alacritas imperatorum. Qua creditis Q. Fabium lætitia fuiſſe affectum? cùm patientia ſua molliret Annibalem juveniliter exultantem? Qua M. Marcellum? cùm intel-

telligeret confirmatis à ſe legionibus ſpem injectam Senatui, Annibalem poſſe vinci? Qua P. Scipionem? cùm contemplaretur, qua virtute in Italiam hoſtis deſcenderat, eâdem cùm ipſe in Africam veniſſet, fuiſſe hoſtem ſuperatum, ocium civibus partum, honeſtatum atque auctum imperium populi Romani? Nulla major eſt voluptas, quàm quæ percipitur ex conſcientia rerum bene geſtarum. Sed quid ego longiſſimè abeo? vos ego teſtor P. C. vos præſidia ac robora libertatis populi Lucenſis, vos conſervatores tranquillitatis, & publicæ quietis: vos inquam teſtor, de vobis ipſis cum dignitate Reipublicæ quæro. Cùm ſuperioribus annis civitas laboraret ſeditione, & non Galli, non Helvetii, non Hiſpani eſſent ad portas: ſed cives veſtri ad palatii fores, ante Curiam contra Senatum arma cæpiſſent, & acriter pugnarent: rebus à vobis præclarè geſtis, & domeſticis inimicis ex urbe pulſis, conſilio & ſapientia civium conſpiratio illa, & concordia omnium bonorum ſecuta eſſet ad defendendam libertatem, obſecro quæ lætitia fuit Senatus? quæ voluptas? quod gaudium? quæ alacritas animorum veſtrorum? quæ ſalutationes in foro? qui complexus illi erant inter vos? cùm alter alteri congratularetur & exponeret, in quod diſcrimen & periculum civitas veniſſet, quorum virtute eſſet liberata. Mitto illa tempora: quid cùm proximis ſuperioribus annis divina iſta prudentia proſpiceretis orbem terrarum bello aliquando arſurum, nec procul abeſſe tempus quo Gallia, Hetruria, Latium, Campania, Brutii magnorum Regum conatibus ita conquaſſarentur, ut nihil cis alpes uſquam eſſet tutum: num Lucæ trepidatum eſt? num Delphos legati miſſi ad Apollinem Pythium? Veſtra vobis P. C. ſapientia præſtò fuit, qua intellexiſtis antè exædificandas arces, exædificandum Senatum, prudentia, juſtitia, fortitudine, temperantia civitatem eſſe muniendam: quo pulcherrimè à vobis conſtituto, & facto, cum civitas veſtra in totius Italiæ

con-

conſpectu poſita eluceret, quaſi divinum aliquod lumen, & tempeſtatibus coortis omnia miſcerentur, omnes provinciæ, omnes regiones in magnas calamitates inciderent, omnes urbes barbararum & immanium gentium eluvione obruerentur: vos ad Reipublicæ gubernacula ſedentes veluti magni Dii, repuliſtis tempeſtatem è mœnibus veſtris. Unde tranquillitas orta eſt, unde hæc dignitas libertatis, unde affluentia omnium rerum, ut cùm hiſce annis Europa, Aſia atque Africa bellis exhauſtæ fuerint: vobis nunquam annona defuit, nunquam concidit fides publica, nunquam mercaturæ, nunquam literarum ſtudia ſunt intermiſſa, nunquam opifices ſe ſuis artibus removerunt. Quare nunc pacatis temporibus, ſenes optatiſſimo otio fruuntur: pueri & adoleſcentes ingenuis ſe dedunt artibus: matres educandæ familiæ, & conſervandæ rei ſtudent: juvenes aut navigatione maria tranſmittunt, aut in Galliis, Germania, Hiſpaniis gerunt magna & ampla negocia, ut ſint opes quibus cives bene agere & ſuſtinere queant Rempublicam, in quam omnium oculi & animi converſi ſunt. Quæ res tantæ neque fuiſſent, neque poſſent diu eſſe apud vos, niſi animos veſtros voluptas, & virtutis amor accenderet, quo veſtra facta eſt beatiſſima civitas: in cujus contemplatione nolite mirari P. C. ſi diutius moror, & ad eam ſæpe jam redeo: eſt enim contemplatio felicitas, in qua boni tantum ineſt, ut hac una Deus ipſe felix ſit, ac beatus. Cujus etſi ea eſt providentia, ut nihil habeat quo magis omnes trahat in admirationem ſui: ea juſtitia, ut omnibus omnia æquè diſpertiat, & conſulat vitæ animantium: ea fortitudo, ut omnia videat ut præſentia, neque lætitia afficiatur unquam, neque capiat dolorem: ea temperantia, ut licet ejus ſit infinita vis, moveat tamen ut finita, & ingentes ſuſtineat globos, qui contrario motu verſantur: cùm tamen is mens ſimplex, pura ac præſtantiſſima ſit, nihil aliud agere quicquam poteſt, quàm contemplari & intelligere. Quod ſi homini quoque eſt proprium, certè ad hoc homo natus eſt, ut agendo & con-

contemplando fiat aliquando Deus. Quam ob rem ocioſi, qui neque ſibi, neque aliis prudentia, juſtitia, fortitudine, temperantia ſunt boni ac ſalutares, & qui magnis ſuſceptis negociis magiſtram omnium bene dictorum beneque factorum virtutem non intuentur & contemplantur, felicitatem aſſequi non poſſunt, quæ nobis propoſita eſt ex imitatione immortalis Dei: in quem quoniam non cadit perturbatio, curandum eſt diligenter, & efficiendum omnibus qui beati eſſe volunt, ut ita ſe exerceant, & omnino confirment, ut in vitium delabi non poſſint: ut cùm ſemper abſit culpa, adſit ſemper indolentia, tranquillitas, gaudium, & infinita voluptas: quod rebus præclarè geſtis eorum caſta & ſincera mens, divinæ menti ſe conjungat: ad quam intelligendam ita natura omnes ferimur, ut nullus ſuavior cibus ſit animis, quàm contemplatio rerum divinarum: cujus ita me P.C. deſiderium tenet, ut jam planè ardeam, & contineri non poſſim, quin rogem vos in conſpectu populi Lucenſis, loco & ad petendum & ad impetrandum aptiſſimo, ut maturiore jam ætate mihi bona cum venia veſtra liceat deponere hoc onus dicendi, quod melius ſuſcipere ac ferre poſſunt, qui hoc tempore apud vos ingenio & ætate maximè florent: quò ego illud proſequar, ad quod jam non populus Lucenſis, ſed tu me vocas omnis egregiæ voluntatis, omnis efficiendæ rei autor, moderator, perfector. Qui quoniam me & gratum & memorem eſſe jubes, quò me vertam? quem invocem? cui ego hos, qui me tam amanter quinquennium aluerunt & ſuſtentarunt, commendabo? niſi tibi, qui optimus es, & maximus. Quæſo ut eorum hanc, quæ in tua fide eſt, tueare & conſerves Rempublicam, quæ bonas ſemper artes coluit, nemini unquam moleſta fuit, nunquam finitimis terribilis & formidoloſa: quæ peregrinis etiam, & exteris nationibus benigna eſt, & perhoſpitalis: per teipſum oro te, perque ſapientiam tuam, qua cœlum terra mariaque reguntur, ſint fauſti, ſint felices, ſint beati Lucenſes mei.

ORA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ORATIO XIII.

DE RATIONE STUDIORUM ſuorum: habita Mediolani.

QUæ mea ſemper in ſenatum, magiſtratus, collegiaque veſtra, Patres Conſcripti, obſervantia fuerit, qui meus in omnes Mediolanenſes amor: nemo omnium meliùs novit, quàm præſtantiſſimi Viri, cives veſtri, qui ſuperioribus proximis annis cum imperio & faſcibus in Hetruria fuerunt: ad quos cum magnus eſſet concurſus bonorum, nihil mihi fuit antiquius, quàm ut eos convenirem & colerem, qui omni virtutum genere ornati veniſſe dicebantur. hi cum in ſermonibus, quos ferè quotidie cum Hetruſcis noſtris habebant, multa de Senatus veſtri dignitate, nonnulla de patriæ inſtitutis, ac legibus, plurima de dictis ac factis civium veſtrorum ſæpe narrarent: jucundiſſimè ego in primis audiebam, accendebárque in dies præconio laudum veſtrarum, & beatiſſimos eos eſſe judicabam, qui eſſent apud vos, ſumma prudentia & ſapientia viros: ex quo tempore magnus in me erga vos liberoſque veſtros amor eſt exortus & deſiderium excitatum, ſuſceptumque conſilium, ut, ſiqua mihi unquam facultas daretur, ne omitterem occaſionem declarandi amoris hujus & obſervantiæ meæ: quæ cum mihi non modò largiter, ſed etiam gratioſe data ſit à vobis, P. C., quas gratias agam? unde incipiam? ab humanitaténe? qua nullo meo merito per literas publicas, optimi etiam maximi regis nomine, tam amanter, tam honorificè in civitatem invitaſtis, ut fructum capere poſſim dulciſſimæ conſuetudinis veſtræ: an à benignitate? qua priùs re ipſa vos munificos liberaléſque ſenſi, quàm de facie cognovi. Quum enim ſtipendia ampla atque

que magnifica conſtituta eſſent interpreti publico Græcæ & Latinæ linguæ, vos ne rogati quidem mihi ea auxiſtis & rationem habuiſtis itineris rerumque mearum, ut commodiſſimè ad vos venirem, & tranquillè eſſem apud vos, nihilque mihi deeſſet, quò minùs diligenter delatum aſſignatúmque munus exſequi & explere poſſem: qua de re magnas vobis gratias ago, P. C., non tam acceſſione pecuniæ, quæ à me nunquam plurimi facta eſt, quæ niſi ad educandos liberos alendamque familiam eſſet neceſſaria, fortaſſe etiam contemneretur: quàm quòd à vobis data eſt, à quibus nihil proficiſci poteſt, quod non ſit plenum honoris & dignitatis. ſplendor enim veſter eam lucem affert, ut, qui beneficium à vobis accipiat, in obſcuro eſſe non poſſit. quamobrem ſi memor, ſi gratus, ſi denique vir bonus eſſe, & videri cupio: ea mihi cura, & cogitatio ſuſcipienda eſt, ut omnes intelligant, quoniam humanitati & liberalitati veſtræ par à me gratia referri non poteſt, fuiſſe tamen aliqua ex parte reſponſum & ſatisfactum civitati diligentia, labore & præclara ratione inita liberalium ſtudiorum: de qua ut aliqua dicam, invitat me conſpectus iſte veſter jucundiſſimus & magnorum heroum, præſtantiſſimorum civium, doctiſſimorum virorum præſentia, & concurſus, atque attentio adoleſcentium veſtrorum. Quæ duæ res olim conjunctiſſimæ erant & ſejungi non poterant, eas torpor & labor, qui ſunt ſtudiorum hoſtes acerrimi, disjunxerunt & ſepararunt. rerum enim ſcientiam & dicendi facultatem veteres, qui in ſtudiis iſtis excelluerunt, diligentiſſimè proſequuti ſunt: quòd niſi utraque teneretur, operam ludi viderent. Quî enim fieri potuiſſet, ut, quæ eruta ſunt ab illis, à nobis evolverentur: niſi eam lucem rebus oratio attuliſſet, ut, ad nos allata, viſa primum fuiſſent, deinde comprehenſa? Quamobrem, quum omnes diſciplinæ & artes liberales conſtent ex per-

ceptione rerum, quæ verbis ſignificantur, à dicendi ratione rerum comprehenſio, ſicuti corpus ab animo ſine interitu ſejungi non poteſt: ſi res ſubtraxeris, quid ſunt verba? quid de rebus dices, ſi verba ſuſtuleris? Natura fit, ut, quod voce pronunciamus, priùs animo conceperimus, ſtatimque lingua cordi, & cor linguæ conſentiat. quæ duo licet diverſa ſint, ambo tamen, ſi rectè officium ſuum facere velint, ſejuncta eſſe non poſſunt: eandem rationem ſequuntur dicendi facultas & intelligendi ſcientia: diverſæ illæ quidem, ſed ſic conjunctæ, ut neque aptè dicere poſſit, qui nihil ſciat, neque multa ſcire videatur, qui de nulla re poſſit dicere: quid? quòd ea eſt artium liberalium & diſciplinarum ingenuarum cognatio, ut, qui earum unam verè teneat, omnes teneat, quòd miro quodam ſocietatis vinculo, & quaſi circulo connexæ, & colligatæ ſint: quam rem ſic multis locis Græciæ ſapientes memoriæ prodiderunt, & Latini veteres ſcriptis illuſtrarunt ſuis, ut ſæpenumero mihi cogitanti, P. C., illud mirum videri ſoleat, cur homines quidam, qui, ut ſapientes haberentur, magnis voluminibus omnia impleverunt, non intelligerent, ſapientis nomen non ſatis convenire iis, qui in magno liberalium artium & ſcientiarum numero, particulam unius tenerent, &, quam tenerent, eam neque in ordinem digerere, neque eorum ipſorum cogitata poſſent rectè enunciare: neque minus ſæpe ſum miratus, P. C., quid ſit, quòd, quum tam multi, qui à pueritia avidè ſe literis dediderunt, ubi paulùm ætate progreſſi, tantùm profecêre, ut Latinè & Græcè ſciant, philoſophiam & nobiliores artes contemnant, nimirum alios ingenii hebetudo, alios infinitus quidam labor deterruit: quænam (malum) eſt iſta cœcitas? dies, & noctes habere in manibus ſcripta majorum, quibus artes & diſciplinæ nobis traditæ ſunt, & qua ratione ſint illa ſcripta, non videre: quum præ-
ſertim

ſertim omnes iſti illa eadem ſe docere & illuſtrare profiteantur: in quo quid turpius? quàm dicendo & ſcribendo vel ignorare vel contemnere dicendi & ſcribendi artem: quid item indignius homine liberali, quàm, ubi quaſi janua à Muſis patefacta eſt, datúsque aditus ad ſacraria ſcientiarum, ulteriùs progredi nolle? verè illud apud Græcos dicitur: Quemadmodum proci de conjugio Penelopes deſperantes, ejus ancillis ſe dedêre, & commiſcuêre, ita, qui Philoſophiam aſſequi nequeunt, in humilioribus diſciplinis conſeneſcunt. quamobrem ſemper ego, P. C., præſtans judicium civium veſtrorum, quibus cum mihi uſus & conſuetudo fuit, ſum admiratus, qui cum ſumma rerum peritia eloquentiam conjunxerunt: ii, quum eſſent juriſperitorum eloquentiſſimi, & eloquentium juriſperitiſſimi, ad docendum, & dicendum jus ab Inſubribus accerſiti, Italiæ gymnaſia ornaverunt, civitates bearunt, inclinantes reſpublicas ſic erexerunt, ut, quandiu eorum legibus, & inſtitutis ſteterint, laudatiſſimæ illæ quidem & florentiſſimæ haberentur: horum ego orationes & poëmata ſæpe legi, & audivi diſſerentes, quaſi tum de Platonis & Ariſtotelis ludo exiſſent: ex horum ingenio & eruditione facilè intellexi, P. C., qui ſit in literis ſenſus civitatis veſtræ, quæ ratio ſtudiorum. nam, ut prætercam ingeniorum Mediolanenſium præſtantiam & à pueritia exercitationes apud diſertos & peritos rhetores: quanti illud eſt, quòd nobiliſſimum orbis terrarum gymnaſium Academiæ Ticinenſis ab urbe veſtra non longè abeſt? ſæpe vos ad philoſophos, ſæpe illi ad vos divertunt: feriæ æſtivæ quantum adimunt de ſtudiis Ticinenſium, tantum colloquiis & diſputationibus Mediolanenſium addunt: quid eſt? aſſueti à pueris purè caſtéque dicere, barbariem non ferent: educati in ſcholis Philoſophorum, inani oratione contenti eſſe non poſſunt: niſi me illud, P. C., conſolaretur, quòd,

qui doctiſſimi ſunt, ſunt iidem humaniſſimi, nunquam profectò commiſiſſem, qui ſcirem ea a vobis deſiderari, quæ ſentio in me quàm ſint exigua, ut ad vos venirem: ſed quoniam id mihi non eſt integrum, aliud eſt ſuſcipiendum. Quum multa ſint Græcorum & Latinorum monimenta, in quibus publicus interpres verſari poteſt: conandum, & efficiendum eſt, ut ad judicium, ſenſumque veſtrum accommodem cogitationes meas. Video, P. C., civitatem veſtram à prudentiſſimo & ſapientiſſimo Imperatore Carolo V. Cæſare Auguſto delectam, atque aſſignatam Philippo filio ſuo, Regi pio, forti ac felici, quaſi firmamentum & columen regnorum, quæ multa ac ingentia pater illi & fors fortuna, vel, ut meliùs dicam, Deus conceſſit. eſt enim Mediolanum totius Galliæ Ciſalpinæ nobiliſſima urbs & pacis bellique tempore aptiſſima ad res magnas gerendas. nam & loci natura & arce munitiſſima eſt, unde cohiberi facilè poſſunt, qui ex Alpibus irruant, & reprimi hoſtium motus repentini, & percommodè agri ubertate & opificum concurſu omnia ſuppeditari neceſſaria ad bellum gerendum: quæ quum magna ſint, eſt illud vel maximum, quod, quanti ſit faciendum, divus Cæſar declaravit, quum Senatorium ordinem honeſtiſſimum & ſacroſanctum eſſe voluit in hac civitate, in qua ſumma rerum Italiæ adminiſtraretur: quòd non ſit altera aptior ad moderandas provincias, ad continendos in officio populos ſtudioſos rerum novarum. ſunt enim ingenia Mediolanenſium matura & temperata, & cum omnibus doctrinis diſciplinisque liberalibus dedita, tum maximè iis, quæ ad communem hominum ſocietatem tuendam ſpectant. ea re juriſperitorum ſcientia hîc honeſtiſſima habetur & Philoſophiæ pars, quæ eſt de civitatibus gubernandis apud vos in primis viget: quòd verò hinc ſæpe legati imperatorii, & præfecti regii cum mandatis mittuntur, eſt quaſi civitatis veſtræ alumna eloquentia. Hæc ego mecum reputans,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

reputans, P. C., quod bonum, fauſtum, felix, fortunatúmque ſit mihi, vobis liberiſque veſtris, & gratum divo Cæſari maximo Imperatori, jucundúmque Philippo Regi ac Duci veſtro, facilè ſtatui de ſtudiis, & interpretationibus meis. Quæ à Deo Philoſophorum Ariſtotele Græcè ſcripta ſunt politica, quod eſt, quæ ad regendas civitates ſpectant, Latinè interpretabimur: quæ ab eloquentium Deo M. Tullio orationes ſcriptæ ſunt, in quibus facundia & verò etiam numero Græcis oratoribus ſuperior viſus eſt, eas prælegemus, & explicabimus: veſtro de ſtudio mea ſtudia erunt omnia, non fallam opinionem civium, habebo rationem fidei præſtantiſſimorum virorum, qui vobis polliciti ſunt, me non modò dicto fore audientem, ſed ad nutum voluntatémque veſtram me totum eſſe converſurum: quod ſi qui cenſent, adoleſcentes, qui Græcæ linguæ uſum non ſatis tenent, primo quoque tempore alliciendos ſcriptore aliquo, qui ſuavitate orationis cæteris præſtet: non contemnam conſilium optimorum virorum amiciſſimè commonentium, revocabo ego me, conferamque interea ad Muſam Atticam Xenophontis, ex cujus ore, ut de Neſtore & Ulyſſe dicebat Homerus, melle dulcior & nive candidior fluit oratio: id verò tantiſper faciam, dum ad Ariſtotelia adoleſcentes fiant aptiores: illud tamen firmum erit in interpretationibus meis. hæc una ſemper eſt ſervanda conditio, quòd ſciam in hac re doctiſſimis viris, qui ſanè multi ſunt in civitate veſtra, me facere gratiſſimum. nulla mihi vel Græcorum vel Latinorum attingenda ſunt monumenta, quæ rationem non habeant moralis philoſophiæ. nulli mihi auctores vel laudandi ſunt, qui purum & caſtum dicendi genus non ſequantur. quid ergo? inquiet aliquis, ea pars philoſophiæ, quæ de natura eſt, & quæ de diſſerendi ratione, & cæteræ artes liberales contemnentur? minimè: in interpretationibus iſtis ſæpe digredi neceſſe eſt, ut abdita quædam in an-

tiquorum ſcriptis illuſtrentur, hìc ego, quantum potero, ſatisfaciam avidioribus ſcientiarum. nam, quòd rhetorice dialecticæ cognata atque affinis in eodem vertitur: quum uſuveniet in utraque conſectanda nullis nos terminis & cancellis continebimus, ſæpe in illius, ſæpe in hujus fines excurremus. atque utinam tantum temporis aliquando nobis ſuperet, ut, quæ de hac facultate Græcè ſcripſit Ariſtoteles, Latinè poſſimus interpretari. in rhetoricis enim præceptis ſatis fortaſſe erit M. Tullius, in dialecticis non libet conſectari rivulos barbarorum. quis eſt, qui non probet, ſi cum Græcis Latina conjungentur? quod in Ariſtoteliis & Xenophontiis iſtis interpretandis faciemus, ita adoleſcentes res ſcitu digniſſimas uno eodemque tempore & Latinæ & Græcæ linguæ uſum diſcent: quis me accuſet aut reprehendat, ſi, dum M. Tullii verba explicavero, res ipſas perſequar? an, ſi quid hiſtoria celebratum eſt aut fabula, de quo ille breviter, mihi de eodem copioſiùs dicere non licet? ſi quid à rhetoribus Græcis accepit, ſi quid à Demoſthene, Lyſia, Iſocrate, ſi quid à Platone ad nos attulit, id mutuatus eſt, ſi quid à Platone ad nos attulit, id ego non expendam? an, quum Ariſtotelis aut Xenophontis ſcripta interpretabor, immorari in eorum ſcriptis, ſi verbum verbo eſt reddendum, voces examinare, & proprietatem verborum non poſſum? ſunt interpreti quaſi ſubſecivæ horæ, in quibus, occaſione data, intra modum licet vagari. nam extra modum de propoſito digredi, & deflectere ab eo, quod ſuſceperis illuſtrandum, non eſt interpretis, ſed hominis potiùs vel amentis vel furentis ambitione: idque intereſt ſophiſtæ peritus, quòd ille loco diſſerit, & aptè, quantum ſat eſt, res oratione proſequitur: hic temerè omnia, quum minimè etiam opus eſt, inculcat, ut unus ſapere videatur: contra infans interpres ſemper aridè ac jejunè agit, quaſi religione aſtrictus, ne præter verborum interpretationem quicquam dicat. Quod ergo officium rectum?

rectum? ſicuti non eſt negandum, non ſemper interpretem incidere in florum varietatem, ita eſt concedendum, ridiculum eſſe eum, qui, cum viridia floreant, latiora lumina non aperiat, ut, eorum proſpectus ſint ſuaviores: occurrit aliquid dicendum de numeris, qui diſcreti appellantur? ſume ab arte, quæ à Græcis & à noſtris arithmetice dicitur: ſunt Geometricæ demonſtrationes probandæ? ſi mutuatus fueris à Megarico Philoſopho, non eſt peccatum: quis in diſciplinis verſatus vel mediocriter, ſi de ſiderum ſitu & errantium ſtellarum motu ſit dicturus, non audeat ſphæram & radium ſumere? quis de concentu & harmonia vocum & nervorum velit, qui plurima non poſſit dicere? ſunt vicinæ, & ut paulò ante dicebam, ita finitimæ & conjunctæ ſcientiæ, ut altera alteri quaſi manum porrigat & prehendat: nulla ſunt ſcripta majorum, quæ referta non ſint verbis atque ſententiis, quibus eorum oratio elucet ſicut ſtellulis cœlum. verè illud dicere videor, in his interpretandis, cui dicendi argumentum deeſt, is unde illa accepta, vel qua ratione inventa, & qua arte ſcripta ſunt, ignorat: illud quoque non falsò dixerim, rectiùs, quæ à majoribus ſcripta ſunt perciperentur, ſi eorum eſſemus quàm ſimillimi, qui nullius ſcientiæ expertes iſta nobis monimenta reliquerunt: quorum ſi tantopere ſtudioſi ſumus, cur eorum ſtudia non imitamur? nam, ut à noſtro incipiam, quid M. Tullius ignoravit? an dicendi artem? eam multis libris doctè ac diſtinctè à puero uſque proſecutus, quantus & qualis orator evaſit? an diſſerendi rationem? dii immortales, dum is veſtigat ac luſtrat ſedes argumentorum, & communes locos, per aſpera atque arida quem curſum ejus tenet oratio? an rerum humanarum & divinarum ſcientiam? ſunt de univerſitate, ſunt de divinatione, ſunt de natura deorum, ſunt de fato libri: nulla præterea pars moralis philoſophiæ ab eo non pertractata atque abſoluta eſt diligenter, or-

natè, & copioſè. De te verò, quem omnis antiquitas admirata eſt, omnis poſteritas colet & obſervabit, ſapientiſſime Ariſtoteles, quid dicam? vix credibile eſt quot abs te doctè & eleganter ſcripta volumina amiſimus. ea quoque quæ reſtant, tam multa ſunt, ut neque ferro, neque igni abſumi potuerint, undique Gothorum, Vandalorum, Saxonum ſæviente barbarie. Tu multarum rerum inventor, plurimarum corrector ac vindex, omnium illuſtrator & quaſi ſol, de tuo lumine lumen nobis accendiſti, & commonſtraſti viam apertam ac facilem, ut paſſim & ordinatim iremus ad matrem omnium artium & diſciplinarum philoſophiam, ut, quum primùm per te eloqui & perſuadere ſciremus, ſciremus etiam diſſerere diligenter, eſſetque nobis inſtrumentum aliquod ad ſapientiam, ut neque fallere neque falli poſſemus, dum abdita quædam naturæ eſſent veſtiganda, ne quicquam nos fugeret eorum, quæ apud nos & ſupra nos fierent, & animo ferremur in cœlum, & intueremur divinas mentes, quæ ſideribus præſunt & orbibus temperandis, ut in tanta cognitione rerum, imitatione divinarum mentium, nos quoque, veluti dii quidam, non modò nobis, ſed patriæ, parentibus, liberis, propinquis, amicis & communi denique hominum generi boni, ac ſalutares, benè & beatè viveremus. id enim propoſitum eſt & fuit ſemper ſapientibus: hæc finis eſt, hæc meta, hic portus, & tanquam ſedes beatorum, in qua, qui ſcientiarum curſu, & quaſi navigatione jactati defeſſi ſunt, tandem conquieſcant: quumque ea ſit vis virtutis, ut eam adepti, & omni animi perturbatione vacent, & in otio ignavi eſſe non poſſint, præclarum ſemper aliquod agunt, & meditantur, & vel rebus publicis adſunt quaſi architecti, ut, ſi illæ ſtent, eas muniant, ſi labantur, erigant: vel à regibus advocantur quaſi oracula civitatum, quaſi moderatores populorum. quæ, ſi magna, ſi præclara, ſi denique divina ſunt, ado-

adoleſcentes (ad vos enim convertam extremam partem orationis meæ, quibus cum mihi laborum, & vigiliarum communicatio futura eſt) ſuſcipite curam, & cogitationem dignam animis veſtris: ſunt hæc domeſtica ſtudia, ſunt munia parentum, fuerunt majorum veſtrorum, gratiſſima divo Carolo Cæſari, jucundiſſima Regi ac Duci veſtro Philippo, probatiſſima ſenatui, qui mihi non tam ſenatus & conventus hominum, quam concilium quoddam videtur immortalium deorum.

ORATIO XIV.

DE PACE,

Ad Ferdinandum Auſtrium Imperatorem, & ad Philippum Auſtrium Hiſpaniarum, & ad Henricum Valeſium Galliarum Reges Fortiſſimos & Potentiſſimos, Cæteroſque Principes Reipublicæ Chriſtianæ.

Scripta non habita.

Quam ſcripſerat, ut haberet in adventu Regum in Italiam, qui, dimiſſis exercitibus paceque facta, affinitatibus devincti conſtituiſſe cum Cæſare Principibuſque Germaniæ, Hiſpaniæ & Galliæ Mediolanum venire dicebantur ad conventus peragendos: ut, pace populi Chriſtiani ubique parta, cum Paulo IV. pontifice Romano de concilio ſtatueretur communi concordia & ſumma æquitate habendo.

Nihil erat, Principes, ſapientia veſtra dignius, quàm ut à majoribus accepta Reſpublica, agitata & diſciſſa diſcordiis, conſiſteret aliquando & cohæreret conjunctione animorum veſtrorum. Quod cum factum ſit, non dubito dicere à Deo & Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti, auctore omnium bono-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

rum, primùm vobis gratulor omnium gentium, & nationum nomine, qui ejus numen, & opem implorant: deinde eundem precor perfectorem egregiorum operum, ut hæc concordia firma, fixa perpetuaque ſit, eaque vobis, & univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ bene & feliciter eveniat. Quod ego nunc pio Imperatori, & ſanctiſſimis Regibus, fortiſſimisque Principibus, in Italiam ingreſſis ominor atque auguror, ob præclara iſta initia, quibus magno metu ac terrore liberaviſtis orbem terrarum. Qui enim magnis Regibus, ſumma contentione pugnantibus, vocatis ad arma non modò patriis, ſed exteris etiam nationibus, populi ſibi non pertimuerunt? quæ civitates non trepidarunt? cum præſertim imperatorum vita magis quam aliorum periculis ſit expoſita: quibus ſi quid humanitus accidiſſet, eorum caſu, moderatione ſublatâ militum, concitatis ſeditione ac coëuntibus tantis & tam variis exercitibus, quo ſe loco res humanæ habuiſſent? ecquis ignorat, hiſce concurſibus atque eluvionibus gentium Europam, Africam, atque Aſiam olim obrutas, linguam, mores, religionem commutaſſe? firmiſſimos ac potentiſſimos populos ſuis ſedibus fuiſſe pulſos, & deturbatos? an res ulla publica, an regnum aliquod habuit tantum firmitatis ac roboris, quantum imperium populi Romani? an Romanis veteribus quicquam fuit exercitatius, an illorum legionibus quicquam inſtructius, vel armorum genere, vel militari diſciplina? ejus tamen imperii nomen niſi vel Græci, vel Galli, vel Germani ſuſtinuiſſent, & conſervaſſent majeſtatem, fuiſſet omnino deletum. itaque, ut cæterarum provinciarum urbiumque direptiones & incendia prætercam, quæ illis temporibus contigerunt, omittamque Italiæ vaſtitatem: illud quidem ſatis conſtat, urbe Româ captâ & incenſâ, ubi illa gentium domina ſuis deterrita ruinis quaſi ſolum vertit, & è collibus in planitiem deſcendit, de tanta populi Romani majeſtate ad id ventum eſſe, ut hoc tempore ex

tot

tot clariſſimis familiis, quæ regum & nationum clientelas jactabant, quæque per orbem proſeminatæ videbantur non poſſe extingui, quibusque pluribus Roma ipſa fulgebat, quàm ſideribus cœlum, nulla ſit reliqua, nullum veſtigium appareat, nulla viva memoria: quo vel uno exemplo, ſatis commoneri deberent regna & liberæ civitates, nihil tantopere ſibi eſſe extimeſcendum, quàm concurſus atque conventus exterarum gentium ferociúmque nationum. Imminebat præterea cervicibus noſtris, & inhiabat imperio perpetuus hoſtis Chriſtiani nominis, magnus Turca rex Aſiæ, & è Byzantii ſpeculis in Germaniam, in Gallias, in Hiſpanias uſque proſpectabat, animo volutans ſtragem futuram noſtrorum, occaſionem non omiſſurus, ſi duæ refertiſſimæ acies concurriſſent & acriter dimicaſſent, ubi vel alterius, vel ambarum fortiſſimus quisque cecidiſſent, quin ipſe ingenti equitatu, peditatu incredibili in Pannoniam excurreret, claſſem Apollonia educi atque emitti juberet in Italiam, ut terra marique noſtras copias infirmas, ac trepidantes invaderet & profligaret, ut celeriter re confecta deterritis fœderatis, & vi coactis & proditis, in Aſiam rediret, & unis literis, unóque die omnibus, qui in Græcia & Paleſtina verſabantur, necatis, in Indiam irrumperet ac volaret, ad delendum Servatoris noſtri Jeſu Chriſti nomen, quod ibi piè & ſanctè coli dicitur. Hæc ne acciderent, Deus avertit: illa, quibus vehementer laboramus, quoniam ad eos oratio eſt, qui noſtram fortunam miſerati privatas injurias publico bono condonaverunt, non reticebo. Bello diutino feſſæ Chriſtianæ provinciæ, premebantur rerum omnium inopia. nam multos jam annos excurſionibus militum agris ubique vaſtatis, vicis incenſis, ruſticis propè deletis, agricultura deſerebatur, pecuaria relinquebantur, emporia ita ceſſaverant, ut nihil in municipia, nihil in colonias, nihil in præfecturas comportaretur: piratarum verò latrociniis ita maria e-

rtan

rant infeſta, ut mercatorum navigatio conquieſceret & maximæ familiæ, quæ in ſalinis erant, exterminarentur, oræ maritimæ nihil proferrent. quamobrem, quum neque ex portu, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal colligeretur, & loca paſſim munienda eſſent & claſſes exædificandæ, ſtipendiaque danda militibus: neceſſe erat acerbiſſimè exigi tributum, pecuniam novè imperari, pro cenſu, pro domo, pro capite, pro molitis cibariis pendi tantum, ut vitæ jam vulgò homines pœniteret. Quæ omnia, Reges, vobis invitis & cum magno dolore veſtro, Principes, facta fuiſſe certò ſcio. ſed ea erant magnarum civitatum odia, ea hominum pugnandi inſania, eæ infinitis cædibus cumulatæ injuriæ, ut bella quaſi legitima & juſtiſſimâ ſummâ etiam cum laude geri viderentur: quorum nullus finis unquam erat futurus, niſi ſapientia veſtra, Reges, occurriſſet: quæ quoniam, cum minimè ſperaremus, nobis illuxit, quaſi divinum aliquod lumen: nolite mirari, ſi, ubi de adventu veſtro auditum eſt, ita ex omnibus locis concurritur, ut ipſæ urbes, ipſæ regiones ex ſuis convulſæ ſedibus, obviam prodire videantur ad complectendos liberatores orbis terrarum: ex omnibus civitatibus legati & magiſtratus mittuntur: omnes omnium ætatum, omnium ordinum pleniſſimis viis, nobiles, ignobiles, viri, mulieres, ex oppidis atque agris ſe effundunt cum conjugibus & liberis, ut vos non ut mortales, ſed lapſos de cœlo Principes intueantur & venerentur: atque, ut de aliis taceam, ecqua lætitiâ affectam putatis hanc civitatem Mediolanenſem? cujus potentiſſimus rex Philippus optimo jure hæreditatis & colonorum mirifica voluntate dux, dominus, & poſſeſſor eſt: quæ eam gaudia gaudere arbitramini, ubi tantum imperatorem, ubi talem regem, ubi tot principes conveniſſe videt ſanguinis communione & animi benevolentia regi ſuo conjunctiſſimos? ſi civitas loqui poſſet, quàm humaniter ſalutaret, qua pietate Du-

cem

cem & Deum ſuum alloqueretur & complecteretur? qua verborum & animi ſignificatione exciperet auguſtiſſimum Cæſarem, domini patruum ſui? qua alacritate & feſtivitate potentiſſimum Galliarum regem, patrem reginæ & dominæ ſuæ? quibus vocibus appellaret iſta Reipublicæ Chriſtianæ robora, heroas iſtos omnium gentium, omnium ætatum, omnium ſeculorum facilè Principes? quod quoniam fieri non poteſt, juſſum eſt, imperatumque mihi hodie à ſenatu populoque Mediolanenſi, ut civitatis nomine ſignificem publicam lætitiam: quæ quoniam tanta eſt, ut eam neque animi hominum, neque ipſa loca urbis capiant, & æra manu repulſa, cantusque tibicinum ex arce, & tympanorum mugitus, fulgor ſtrepitusque tormentorum bellicorum, & urbe propè tota ardente, accenſa funalia ignesque nocturni ſuperant omnem verborum ſignificationem: non eſt dubium, quin ſapientiſſimis principibus ſatis in hac re videatur eſſe factum. in eam partem incumbam potiùs, quam mihi poſt hanc prudentiſſimus ſenatus injunxit, & nobilis populus Mediolanenſis, ut, ſi mentes tantorum Principum non offendi viderem, ſed ad orationem meam aliqua ex parte converti, dicerem aliquid dignum exſpectatione, de pace iſta, cujus nomen, cùm dulce eſt, tum res ipſa maximè ſalutaris erit, ſi, ut ditionum & regnorum diſcordiis finem fecit, itidem requiem, & tranquillitatem afferat motibus animorum. Quod quoniam humanitate veſtra principes mihi contigiſſe video, ut lætitiam publicam gratulationemque iſtam non inviti acceperitis, date hoc mihi, pro ſapientia, & pietate veſtra, ut cætera, quæ dicam Chriſtianæ Reipublicæ cauſa, attentè, & bona cum venia audiatis. Tria ſunt, quantum ego arbitror, quibus in iſtam cogitationem concordiæ digniſſimam virtutis veſtræ venire potuiſtis, quæ commemorata ſæpius, maximè verò hoc tempore, poſſunt confirmare animos veſtros: quia pax honeſta eſt, quia utilis, quia neceſſa-

ceſſaria. Quorum prima illa ratio accendere, atque inflammare vos debet, quæ veſtra maximè propria eſt. Honeſtas enim, quanquam omnibus viris fortibus ſit propoſita, ea tamen ita eſt regum ac principum excellentium, ut unà cum ipſis nata eſſe videatur: quid eſt enim tam regium? quàm alacritas quædam magnarum præclarè gerendarum rerum, quæ animis eorum ingeneratur, qui præſtantiſſimi ſunt, ex quibus virtutis præpotens vis ſuaviſſimos educit fructus. quæ quoniam ſola honeſta eſt, & omne honeſtum bonum, ſit neceſſariò, ut in principibus tantum ſit boni, quantum ineſt honeſti: quorum ſi proprium eſt excellere, honeſtiſſimum eſt illis profectò, cæteris præſtare prudentia, juſtitia, continentia, fortitudine, liberalitate. Sit mihi fas, ſanctiſſimi Reges, hoc loco aperire, atque explicare initia tantorum conſiliorum: ut iis oratione mea commendatis ſempiternæ hominum memoriæ, quantum commodi nobis pax iſta attulit, tantum ſit etiam boni poſteris allatura æmulatione laudum veſtrarum. Prudentiæ divinæ cujusdam fuit, tantis exercitibus coactis, & in conſpectum adductis, ita ut altera acies alteram è regione proſpectaret, cùm cæteri animo eſſent perturbato, duos Reges mente vegeta ac ſerena tum maximè vidiſſe, ac intellexiſſe Chriſtianam peſſum ire Rempublicam, niſi temerariam animorum dominatricem cupiditatem ratione coercerent. quapropter, cùm omnes, qui longè aberamus, adverſos potiùs exitus timeremus, quàm ſperaremus ſecundos: primi reges ipſi per ſe de pace cogitare, & conſilia inire cœperunt. Et quoniam, ubi aliquid certè noris, quod verum rectumque ſit, nihil opus eſt conſultore, cùm præſertim ſæpe in aulis principum nonnulli ſint, qui multis ſtudeant: rem, ut ſolebant, minimè in publicum conſilium adducere, ſed cum paucis agere, & tantùm cum illis communicare, quos intelligebant privato commodo pacis deſiderio teneri. itaque res tanta, quanta nunquam alte-

altera fuit, inter ſummos Reges perpaucis internunciis tranſacta eſt. aderant enim cæteræ virtutes, quibus aditum prudentia patefecerat, inter quas alumnam regum juſtitiam, ducem vitæ, inventricem legum, conſervatricem humanæ ſocietatis, quos motus in eorum animis concitaſſe, quas faces admoviſſe, quos accendiſſe ignes putandum eſt? cùm ii, qui tantis cum exercitibus convenerant, ut armis decernerent, antiquiſſimas controverſias tot urbium, & ditionum, quæ modò ad hos, modò ad illos vel hæreditatibus devolutæ, vel jure victoriæ acquiſitæ pervenerant, æquitate diremerunt: turpiſſimum rati, privatos homines ſic juſtitiam colere, ut alienis abſtineant, injuriis temperent, judiciis agant: &, ſi qua fuerunt accepta injuſtiùs, veteribus dominis reddant ac reſtituant: Principes verò orbis terrarum vi agere, armis decertare, cupiditate efferri, ut ad ſuum commodum jura & rationes aliorum convertant. Bellis verò gerendis quàm multos injuriis affici neceſſe eſt, qui nihil deliquerunt? qua cogitatione graviſſimè omnium commotus diceris, juſtiſſime Galliarum rex Henrice, cum initio belli Germanici lapſum veteri diſciplina militem, corruptum atque inſolentem, legibus coërcendum putaſti edicto propoſito. Ne quis tiro, veteranúsve oppidis captis templa diriperet: ne quis virginibus, ne quis matronis vim afferret: ne quis lædere ſexagenarios: Ne quis pueros auderet attingere: tironem adverſus edictum facere auſum, virgas, veteranum fuſtuarium merere. Cum hujuſmodi Rege pacem conficere facile tibi fuit, continentiſſime Regum Philippe, qui nunquam alieni appetens, divini & humani juris fuiſti ſemper obſervantiſſimus: quod ſiquid aliquando armis eſt geſtum, id gloriæ magis cauſa, quàm avaritiæ, defendendæ potius gratia majeſtatis tuæ, quàm lædendæ alterius, cum fortitudine eſt à te geſtum: quæ virtus in majoribus veſtris ſemper clariſſima fuit, in vobis verò divina proximo anno & cœle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

cœleſtis enituit. cum animi magnitudine & deſpicientia rerum humanarum viciſtis vos ipſos. deleviſtis enim omnem memoriam paternarum ſimultatum, evelliſtis radicitus cauſas non modò præſentium, ſed etiàm futurarum offenſionum: tetrarchias, & regna potius abjicienda putaſtis, quàm non ſanctiſſimè inter vos colendam pietatem: qua duce fortitudinem liberalitas ita complexa eſt, ut, cùm uterque plura dare vellet, qùàm accipere, non modò ditionibus & imperiis concedendis, ſed pignoribus etiam chariſſimis liberaliter certatum ſit. Dii immortales! qui nobis illuxerunt dies? an non ſunt hæc ætatis aureæ veſtigia ad nos revertentis? Nupſit magnis auſpiciis, Diis auctoribus, fauſtis ominibus omnium, potentiſſimi Galliarum Regis chariſſima filia Hiſpaniarum feliciſſimo Regi Philippo: & Henrici magni præſtantiſſima ſoror invictiſſimo Duci Sabaudiæ, quæ civitas Allobrogum antiquiſſimæ gentis eſt. Nihil habet potentius Europa, nihil nobilius orbis terrarum: Valeſiorum familia in Galliis princeps: in Germania, & in Hiſpaniis Auſtriorum: in Italia ducis Allobrogum. Honeſtiſſima ergo pax, quæ ipſis conciliata virtutibus, conjunctione familiarum maximè illuſtrium, affinitate ſummorum principum firma æternaque habetur. Quæ tibi eo jucundior eſſe debet, maximè Romanorum Imperator Ferdinande, quòd tuis velut auſpiciis cœpta & abſoluta eſt, uno, eodemque tempore, quo tibi orbis terrarum moderandi & regendi habenæ commiſſæ ſunt: quis hanc pacem non laudibus aſſcribat tuis? ex qua pace auream tui imperii ætatem appellatum iri neceſſe eſt: quæ res glorioſior auguſtæ familiæ Auſtriorum? quæ commendatior erit memoriæ hominum ſempiternæ? ſatis multa de honeſtate: dicam deinceps, ut propoſui, de utilitate, de qua cùm ad eos Principes oratio ſit, qui natura cohærentia bona nunquam, neque re, neque opinione diſtraxerunt, perpaucis agendum eſſet. nihil utile iſti, utile eſſe cenſent, quod non hone-

honeſtate præluceat: ſed quoniam alia eſt ratio utilis, alia honeſti, & natura omnes cùm deliberamus, in id aciem intendimus, quod valde utile appareat: ſequar communem prudentiam, & conſuetudinem conſultorum: vincat utilitas: ut vectigalium, ut portuum, ut agrorum, ut civitatum rationem in primis habeamus. Gallia latiſſimè patet, quà Aquitanicus ſinus ſpectat ad occidentem, quà Sequana in mare influit, & opulentiſſima regio vergit ad Septentriones, & in Germaniam uſque protenditur, relictisque Belgarum & Helvetiorum finibus, Alpibuſque, excluſa Italia, Mediterraneo mari prominet, ad orientem ſolem expoſita, & longiſſimo tractu ad meridiem vergens recurrit in Aquitaniam: hujus multa ſunt regna, innumeræ civitates, infiniti populi vectigales, portus frequentes, quà in Britanniam tranſmittitur, quà in Hiſpanias, quà in Italiam merces navibus comportantur, lacus & fluvii navigabiles multi, agri feraciſſimi omnium rerum, ſaltus & ſilvæ ita pecuariis aptæ, ut ex penſionibus, ex portoriis, ex decumis, ex ſcriptura vectigal pendatur, ut autor valde bonus literis & memoriæ prodidit, exæquatum aliquando ſit cum eo, quod fuit olim florentiſſimi populi Romani. quid hoc eſt? ubi ſunt iſti conſultores & ratiocinatores, qui res omnes utilitate metiuntur? vir ſanè peritus, qui rationibus Galliarum publicis non modò interfuit, ſed præfuit conſiliarius regius, octuagies quinquies decies eo anno, quo de aſſe commentarios ſcribebat, in accepti tabulas dicit fuiſſe relatum: annis poſtea ferè ſingulis tributum auctum eſt & exactum: vos rationes rurſus, dum in Hiſpanias excurro, conficite: ſubducite ſummam, quod veſtro commodo fiat: vagabor pluſculum, conferam me in alias quaſdam regiones: videte, in tabulis quid ſit accepti, & dicite, in quod feratur expenſum. Hiſpania, maxime rex Philippe, multos olim reges aluit, eóſque omnes gloria & potentia inſignes. habet enim regiones innumeras hæc Europæ pars nobiliſſima, quæ à montibus Pyrenæis incipiens longiſſimo ſpatio ad occidentalem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

lem Oceanum uſque protenditur, & ab Iberico mari immenſa latitudine à Septentrione Luſitaniam continens, quæ in tuorum fide & ditione eſt, diffundit ſe in mare Gallicum & Aquitanicum ſinum: quis ejus civitatum? quis populorum? quis portuum? quis agrorum nomina recenſeat? quis ubertatem neſciat, qua fluviorum rex Iberus, qua Tagus aurifer, qua ditiſſimus Betis excurrit? ex his, qui pontificum vectigal novit, quod ex Hiſpania colligunt, quale tandem ſtatuet regibus? Aragonium regnum tuum eſt, Valentinum, ac Balearicum: tuum Caſtulonenſe vetus, & novum Toletanum: tuum Cordubenſe, tuum, Philippe, Beticum: horum incolarum virtute animoque materni avi additæ ſunt tibi terra marique provinciæ, & cumulata regna regnis: tua eſt Sicilia omnis, tua omnis Sardinia, horrea illa quondam populi Romani, unde frumenti ingens numerus, unde vectigal incredibile. Avi ejuſdem virtute acceſſit Campanus ager, & beatiſſima illa ora, ubi ſummum fuiſſe Libero patri cum Cerere certamen ferunt: tua eſt Neapolitana civitas, & amœniſſima regio Salentinorum ac Brutiorum, quæ magna Græcia dicebatur. Avi quoque paterni, cui regnum & nomen debes, hæreditate ad te devenerunt opulentiſſimæ urbes Belgarum, qui, quàm olim à cultu & humanitate provinciæ aberant, tam hoc tempore præſtant cæteris. nam & ipſi ſtragulas veſtes mirabili artificio & incredibili quæſtu conficiunt, & ad eos minimè raró mercatores commeant, qui magna in Belgica & ampla negotia habent, & collybum exercent, & ea maximè important, quibus nulli tam duri ſunt animi, qui non molliantur: ex quibus rebus tantùm hîc vectigalis eſt, quantum nunquam fuit in Aſia: quid auguſtiſſimus pater tuus, nónne hanc nobiliſſimam provinciam Inſubrum, caput & robur Italiæ, tuis regnis adjecit? quæ licet ſerò accepta eſt, fecit tamen omni obſequio, ut, ſicuti nulla patri fuerit charior, ita nulla tibi poſſet eſſe jucundior: omne ejus latifundium (quo digna eſt ut ſublevetur) quodcunque fuit

belli

belli tempus ſponte obtulit ad vectigal: hæc numeroſum peditatum, hæc equitatum ingentem aluit: hæc nihil miſſis à te præfectis auſa eſt unquam denegare, &, cùm tributum imperaretur, in rerum omnium caritate, libentiſſimè dedit, citiuſque, quàm præfecti ipſi exſpectarent. Venio nunc ad novas regiones, vel potiùs novum orbem terrarum, & montes aureos, inſulasque natas pro auro, argento, ære flando, feriundo: feraciſſima regio metallorum tantum auri, tantum argenti miſit in Hiſpanias, quantum non eſt credibile: quæ (malùm) res, tantas opes abſumpſit? dicite ratiocinatores regii, ubi ſunt vectigalia exacta? ubi ſunt tributa accepta? ubi è venis, viſceribúſque terræ effoſſæ, navibúſque exportatæ divitiæ? nihil moror: unum omnium reſponſum eſt certiſſimum, & veriſſimum: Omnia bellum exedit, exhauſit, abſumſit: monſtrum ac portentum ingens. nam neque Charybdis ipſa tam multa vorat, neque pater abſorbet Oceanus, ejus diuturnitate quid horribilius? quid vaſtius? quid deſertius? cujus effigiem, cùm è montibus Pyrenæis deſcendiſſet, Annibal in ſomnis vidiſſe dicitur: Serpentem ſcilicet mira magnitudine, cum ingenti ſtrage arbores & virgulta conſternentem, & nimbum cum fragore cœli, grandine ac fulminibus gravidum, corripientem villarum culmina domorúmque tecta, ac ſummas urbium arces. ſed quid ego res à memoria noſtra remotiſſimas oratione proſequor? Belli faciem nos Itali ſæpe vidimus: ſed quoniam ſua premunt quenque, & noviſſima movent magis, dicite vos, Tribuni militum, dicite vos Duces, & Imperatores, qui bello proximo Gallico, qui Belgico præfuiſtis, quæ belli ſit forma? ſi recuſabitis dicere, Celtæ dicent, populi Galliæ nobiliſſimi, qui ejus præſentia ſuas ſegetes interire, oliveta & vineta cædi, conſternique; latè patentem regionem ampliùs centum ſexaginta millibus paſſuum, uno die, una hora flammam tollere, & in cœlum ferre viderunt: turres præterea, & arces ingentes diſcindi, ac cadere tormentorum novo genere magnis glandibus, quaſi fulmi-

nibus percuſſas, fulgorem inter ac caliginem, cum horrendo cœli fragore: dicent miſeri, ſed non ſine lacrimis, qui cùm ſuorum urbes captas diripi, ſuas domos exinaniri, uxores & liberos à complexibus avelli atque abduci viderent, mori voluiſſent, ſed non potuerunt: taceo indigniora, præ quibus minùs crudele ſpectaculum fuit, quadrimus puer in conſpectu parentum jugulatus, & veru transfixus, ad ignem toſtus, appoſitus in cœna, & voratus à militibus. Quis hæc poteſt audire & perpeti? eſſe aliquem tanta audacia præditum, tam infeſta in omnes mortales ira, qui belli jam mentionem faciat? cùm tot, ac tantorum malorum una ſit emendatio pax honeſtiſſima & utiliſſima. Quæ quàm ſit neceſſaria, tametſi ex dictis facilè intelligi poteſt: tamen, quia apud pium Imperatorem, & ſanctiſſimos Reges, fortiſſimoſque Principes oratio eſt, tuo ductu, Chriſte, dicere incipiam. In extremum diſcrimen adducta eſt Reſpublica Chriſtiana: cui malo nunc primùm ſapientia veſtra, Principes, mederi poteſt. Magnus clamor annis ſuperioribus è Germania ſublatus de violata religione incredibiles ubique animorum motus excitavit: eſt enim ſuperior natura quædam data hominibus, qua Dei cultus continetur, quam ſibi violari omnes gentes graviter ferunt: ſed nulla æquè ac Chriſtiana, quod intelligát, alias religiones vel falſas eſſe, vel magna ex parte diminutas, unam eſſe pietatem puram, caſtam, ac ſinceram Chriſtianorum: quæ cùm violata diceretur, mirum omnes deſiderium invaſit audiendi & intelligendi: quæſiti ſunt terra marique Theologi, qui varietate interpretationum popularique eloquentia in publicis concionibus tam multas ſectas proſeminarunt, ut in urbibus, & caſtellis, in pagis ac vicis nulla propè ſit domus, nullum tugurium, quod religionis opinione non diſſideat: Germani, & Helvetii quotidie ſunt in armis varii, & diſcrepantes: fremunt Pannones, Sarmatæ, Daci: ſtudent Britanni rebus novis: magni in Gallia ſunt tumultus: ſævit Hiſpania in ſuos: ſunt ex Italia profugi: omnia ſurſum, deor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

deorſum: ſeditione ubique concitata, charitas illa religionis, vinculum illud pietatis relaxatum, & diſſolutum eſt: in quo diſſidio, quid tam erat opportunum, quid tam neceſſarium, Principes, quàm concordia veſtra? ad ſeditiones enim populorum ſedandas publicis conventibus opus eſt, ad quos cuique veniendi libera poteſtas fiat: in quibus per vos in primis cavendum, ut præfecti provinciarum, & legati nationum, atque oratores principum liberè poſſint dicere, eaque res neque ſibi, neque provinciis, neque nationibus, principibuſque earum fraudi ſit, quò minùs ſinguli ſint tutò, qui ex provinciis, nationibusve convenerint vel ad docendum, vel ad dicendum: Quî verò conventus iſti peragi poterant, non modò ſemitis ac ſaltibus à latronibus infeſtatis, ſed viis etiam militaribus obſeſſis, occupatis præſidio portubus, claſſibus mari clauſo, ita ut omnibus rebus anguſtiſſimè uteremur? Quæ incommoda pax omnia ſuſtulit, vias aperuit ac placavit: portus pandit, maria patefecit: Quæ commoda urbes etiam, quæ longè abſunt ab ora maritima, ſenſerunt. ſiquidem eo die, quo pax declarata eſt in Brutiis, in Hetruſcis, ea parte, qua non ſunt ad mare, annonam cariſſimam ſumma vilitas eſt conſecuta: nos hic Mediolani vidimus eodem die frumentum minoris vendi dimidio: curſores, qui ex Salentinis in Galliam, vel Aurelia, vel Caſſia, vel Flaminia veniebant, quaſi miraculi loco nunciabant, diſſipato de pace rumore, cùm tam multi domo exiſſent & dediſſent ſe in viam in frugum inopia, ac fame totius Italiæ, hoſpitia nihilo ſecius facta eſſe ubique meliora: cùm ex Hiſpaniis triremes noſtræ in Liguriam excurriſſent, abactis prædonibus barbaris, qui duas inſulas propè obſidebant, frumentum ex Sardinia atque Sicilia cœptum eſt comportari: Corſica bello liberata vinum tranſmittit in Hetruriam, & proximas regiones. Venetorum legati, qui è Peloponneſo ſolverant, onerarias Epidauriorum mercibus precioſiſſimis plenas ſecundùm ſe venire dixerunt, & claſſem Turcarum vidiſſe, quæ adverſis

agitata ventis, plena deſperationis ac metus, titubans, atque afflicta in Aſiam ferebatur. O pacem igitur beatiſſimam, quæ uno nuncio, ac rumore deterrita claſſe barbarorum, celocibus fuſis piratarum, mari ſecuritatem peperit, terris copiam omnium rerum. Magna me ſpes tenet, Principes, invitat conſpectus veſter & perſpecta in vobis prudentia, ut facilè credam, ſi ad Pontificem Romanum, qui vos Bononiæ exſpectare dicitur, nunc acceſſeritis, omnia ex ſententia eventura. novit enim ille optimè, ad ſalutem totius Reipublicæ neceſſariam concordiam veſtram fuiſſe: adventum verò talium Principum ab extremis ac diverſis orbis terrarum regionibus, hoc comitatu, tanto ſumtu, tanto labore, tot dierum via, ut ad ſe, quaſi ad oraculum, iretur, intelligit honeſtiſſimum eſſe, & reverentiæ plenum: non committet ſapiens Pontifex, ſi in ſe, ac ſuis ſit ſitum, ut per ſe ſtetiſſe videatur, quò minùs die dicto publicis conventibus peragendis, omnes civitates, earumque Principes ac Legati, in unum aliquem locum tutò convenire poſſint, & dirimere controverſias, & pacem inter ſe conciliare, & communicare cum Regibus de ſtatu totius Reipublicæ. Qui dies ſi illuxerit, videbis, invicte Cæſar, videbitis ſancti Reges, quod ego nunc humanæ & divinæ ſpei plenus intueor: tum verò, magni Principes, multò maximus iſtius concordiæ veſtræ fructus apparebit: ut, rebus compoſitis & vocatis ad arma gentibus, & nationibus, quæ pro Chriſto emori poſſunt & volunt, tandem aliquando convellatur, & perferatur à regibus vexillum crucis illud aureum, quod unum fuit, eſt, & erit ſemper Chriſtiani nominis hoſtibus horribile, & exitioſum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

AONII PALEARII VERULANI,

ACTIO

IN PONTIFICES ROMANOS ET EORUM ASSECLAS,

Ad Imperatorem Romanum Reges & Principes Chriſtianæ Reipublicæ, ſummos Oecumenici Concilii Præſides conſcripta, cum de Concilio Tridenti habendo deliberaretur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

PRÆFATIO
primi Editoris hujus Actionis
AD LECTOREM.

Liber hic Aonii Paleárii Verulani Senenſis, inventus eſt anno Domini M. D. XCVI, propria auctoris manu eleganter ſcriptus & ab eo compoſitus ante annos plus minus quinquaginta, quando de Concilio Tridenti habendo agebatur. Scripſerat enim librum hunc eum in finem, ut ſedentibus in Synodo ſive Concilio Generali & libero (quale nunquam futurum multis eſt perſuaſiſſimum) offerretur per Legatos Caroli Quinti Imperatoris & Principum Germaniæ; depoſito eo & amicis fidiſſimis commendato, ut ſuo poſtea tempore ad ſynodum mitteretur, ſi quid fortè interea (quod præſagiebat & futurum prævidebat, ut ex ſcriptis in capite ultimo hujus Actionis colligi poteſt) ſibi accidiſſet ob liberam veritatis confeſſionem. Non multò verò poſt, circiter annum Domini M. D. LVIII. (ut ejus amicus quidam mihi narravit) Mediolani captus, vinctus, & Romam miſſus eſt, ubi fidei ſuæ confeſſione fortiter editâ flammis adjudicatus eſt. Edidit verò alia multa Palearius, vir egregiè doctus & facundus, ad dicendum naturâ comparatus: Orationes nempe, & de Animorum immortalitate libros tres carmine heroico,

& Epiſtolarum libros quatuor. Viam porrò cauſſæ ſuæ perquam propriam & accommodatam eſt ſecutus. Primùm enim graviſſimum certiſque capitibus diſtinctum Teſtimonium pro Chriſto, eo Zelo dicit ac deponit, ut ſe id ſanguine & morte ſuâ, ſi neceſſe ſit, obſignaturum (quod & Deo ita volente conſtanter præſtitit) ſanctè polliceatur. Deinde ex eo Teſtimonio per capita ſua declarato, in Romanos Pontifices & Romanæ Eccleſiæ corruptelas coram Oecumenico Concilio Actionem inſtituit. Itaque tota oratio eſt generis Judicialis, ſeu Actio, ut auctor ipſe eam vocat, qua Romanos Pontifices & eorum Aſſeclas accuſat liberè atque fortiter. Cæterum duo ſunt in hoc pulcherrimo utiliſſimoque libro, quæ à Theologis Eccleſiarum Reformatarum non facilè recipiuntur. Unum eſt, quod conjugium pro ſacramento amplecti videtur. Alterum, quod homini Chriſtiano nullo modo jurare, ne in foro quidem licere putet. Reſpondet quidem iis, quæ huic ſententiæ de jurejurando objiciuntur. (De priore enim diſputationem non inſtituit, ſed tantùm, oratione ejus fluente, ſic ſentire videtur) An verò plenè ſatisfaciat, lectores judicent. Cætera ejuſmodi ſunt, ut nemo pius, nemo verè Chriſtianus iis offendi poſſit, ſed potius inſtitui, edoceri & ædificari. Editur nunc in lucem, quia Reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimum fore arbitramur: quandoquidem Concilii Oecumenici liberi & ſancti aliquando futuri ſpes omnis

jam-

jampridem ſublata eſt. Editus verò fuiſſet multò antè, niſi, inſciis omnibus nunc viventibus, tot annos (quanquam illæſus) jacuiſſet in pulvere. Aſpiret editioni Salvator noſter & Dominus Jeſus Chriſtus, Cui honor, gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

AONIUS PALEARIUS

Servus Jeſu Chriſti, depoſitariis libelli ſui fidelibus & ſanctis viris, pacem & gratiam dicit à Domino noſtro Jeſu Chriſto.

MEæ literæ unæ atque alteræ ad Helvetios & Germanos annis ſuperioribus ſcriptæ ſine præfatione nominis, quæ ſpes, quod conſilium, qui animi mei ſenſus fuerit, ſignificare potuerunt. Teſtis eſt mihi DEUS & Pater Domini noſtri JESU CHRISTI, me diu deſideraſſe à Principibus Chriſtianis, ut advocatis bonis & doctis viris ipſi conventibus peragendis Principes intereſſent ac præeſſent, ut in eorum coronâ teſtimonium firmum ſanctumque dicere poſſem, & ſi neceſſe fuerit, fortiter mori pro gloriâ CHRISTI. Cùm in eo deſiderio fuiſſem multos annos, & in aliis rebus Principes occupatos viderem, & appropinquare tempus reſolutionis meæ; ſcripſi Teſtimonium & ex Teſtimonio Actionem in Pontifices Romanos & eorum Aſſeclas, ut, ſi benè inſtructum ad mortem contemnendam mors prior occupaſſet, poſt mortem etiam prodeſſem optimis fratribus meis, quorum malis Teſtimonio hoc mederi in Concilio cupiebam; Quod ſincere, caſtè, in-

integreque ſcriptum depono apud viros ſanctos & fidei plenos, ut hâc ratione conſervetur uſque ad tempus Concilii futuri, quod œcumenicum, liberum, ſacrum, ſolenne, fiet ſine dubio in ſuo tempore; quod tempus ut citò veniat, flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri JESU CHRISTI. Quod Concilium ſi tandiu differetur, ut vos depoſitarii ingraveſcente ætate vereamini præveniri morte, deligite ac ſubſtituite alios bonæ famæ viros & pietatis Euangelicæ ſtudioſos vel ex fidelibus Helvetiis, vel ex Germanis veſtris, ut depoſitum per manus tradatur, & alter ab altero accipiat conſervandum uſque ad tempus Concilii futuri. Cavete interea ne prodeat ac vulgetur, propterea ne alii quàm depoſitarii legant & habeant in manibus. Id vos ſervus JESU CHRISTI rogat & obteſtatur per fidem, quam debetis teſti fideli, ac judici vivorum & mortuorum, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua. Quòd ſi dies expectatiſſimus illuxerit, ut, deſiderio pacis publicæ & concordiæ Eccleſiarum, populi, qui obediunt Euangelio, agant inter ſe, & flagitent atque impetrent ab Imperatore Romanorum, à Regibus & Principibus Chriſtianis, ut Concilium ſerio indicatur Pontifici Romano, ut cum Cardinalibus ſuis & Epiſcopis Aſſeclisque eorum conveniat in unum aliquem locum, ad publicos & liberos conventus peragendos ex omnibus gentibus & nationibus quæ invocant nomen Domini noſtri JESU CHRISTI, in quibus omnes populi libenter & attentè audiantur per Oratores, qui ſine periculo, ſine fraude, ſine metu liberè poſſint dicere in præſentia Imperatoris ac Regum

gum Principumque & Legatorum Civitatum, ut, conſtitutâ æquitate judicii, gladio verbi Dei reſcindantur abuſus, dirimantur controverſiæ de Religione, purgentur & ſanentur Eccleſiæ, ut cohæreant in unum corpus. Cùm hoc tale Concilium indictum apparari videbitis, tùm memineritis, Depoſitarii, & effeceritis, ut hæc mea ſcripta integra ac ſyncera perferantur ad Eccleſiarum fidelium Helvetiorum aut Germanorum Præfectos & Defenſores ſancti Euangelii, quos Domini noſtri JESU CHRISTI nomine in Spiritu ſancto tutores veros & legitimos facio ac inſtituo hujus libelli, ubi è Depoſitariorum manibus exierit.

PRÆFECTIS SANCTARUM Eccleſiarum Helvetiorum & Germanorum.

QUi libellus cùm ad vos allatus fuerit, Præfecti ſanctarum Eccleſiarum Helvetiorum & Germanorum, veſtrum erit vel eum retinere vel emittere in tempore, ut ſcilicet cum commendatione veſtrâ & literis publicis producatur in ipſo Concilio Oecumenico libero ſacro ſolenni Teſtimonium hominis pii, qui è vita decedens nihil erat, quod Chriſto mentiretur, ut ſit hoc teſtimonium cum Actione veluti fulmen repentinum, quod feriat Antichriſtum; Cui ſpatium longius ad reſpondendum, Viri fratres, non eſt dandum. Verbo DEI malus ille opprimendus eſt primo quoque tempore, in Concilio ipſo, ob os atque oculos magnorum Principum. Habet ille, quod vos probè noſtis, Sophiſtas & præſtigiatores, per quos,

ſi ſpatium dabitur, illudet, ut ante hac fecit, Regibus & Imperatoribus, & propterea libellus hic non alibi quàm in Concilio ipſo eſt exhibendus. Quòd ſi vetus vulpecula Romana ſpem Concilii fecerit, & ipſa refugiens aliquos tamen Epiſcopos dolo malo ſubmiſerit, ut ſæpe jam factitavit, tentans animos Principum & illudens Eccleſiæ DEI, Continete, viri fratres, libellum. Dabit enim, dabit Deus & Pater Domini noſtri JESU CHRISTI, ut aliquandò, concitatis & confluentibus populis, à Regibus cogatur adeſſe; cogatur, inquam, adeſſe. Quod cum videbitis, tùm, viri fratres, levate oculos, tollite manus, erigite animos, Tempus illud eſt ſublevandæ Eccleſiæ. Tum vos orat & obteſtatur ſervus JESU CHRISTI per adventum Domini & Spiritum DEI noſtri, ut curetis & efficiatis, ut hæc ſcripta mea cum commendatione veſtra & literis publicis integra ac ſincera in manus Principum, qui Concilio aderunt, fideliter perveniant, ut Spiritus cupidiſſimus gloriæ CHRISTI, qui mihi in ſcribendo adfuit, pungat corda magnorum Principum, ut jubeant de tantis rebus Pontificem Romanum, Epiſcopos, Aſſeclaſque eorum cauſam dicere, & hoc Teſtimonium cum Actione ſemel atque iterum legi & expendi, atque examinari diligenter ab iis, qui præfecti Concilio purgabunt Eccleſiam Dei. Vos interea valete boni & fideles Miniſtri & defenſores Euangelii. Charitas DEI & Communicatio Spiritus Sancti & pax DOMINI noſtri JESU CHRISTI ſit cum omnibus vobis. Amen.

AONII PALEARII VERULANI TESTIMONIUM

Ad Gentes & Nationes quæ invocant nomen Domini noſtri JESU CHRISTI.

QUod bonum fauſtum felixque ſit P̃ĩs invictis Auguſtis Principibus univerſóque populo Chriſtiano; In id tempus venimus, in quo firmum & ſanctum Teſtimonium pro Chriſto eſt dicendum. Nam quòd ſuperioribus annis, mitrâ, virgis, igne & reliquis terroribus propoſitis, ſic viximus, ut neque fidem neque obſervantiam neque pietatem in Chriſtum declarare potuerimus, habuit fortaſſe ea res excuſationem: Quòd, etſi omnia pericula ſubiiſſemus, nullam tamen præclaram aliquam opem afferre videbamur fratribus noſtris, qui hoc ipſum ſublevandæ Reipublicæ tempus expectabant. Id nunc cùm oblatum ſit ab ipſo DEO & Patre Domini noſtri JESU CHRISTI authore omnium commodorum noſtrorum, quid eſt, viri fratres, quod timeamus? quid eſt, quod ludibrio eſſe hominibus, virgis cædi, in ignem conjici, pro teſtimonio ſancto dicendo recuſemus? Non proponuntur hæc nunc primum iis qui Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſtum ſequi volunt. Veniat obſecro in mentem, iisdem pœnis in Conciliis magnâ hominum frequentiâ (ut prædixerat Domi-
Mat. 10. nus Jeſus) condemnatos ſanctiſſimos viros illos, qui Patrum noſtrorum memoriâ pro teſtimonio Chriſti dando vitam cum ſanguine profuderunt. Omnia feremus facilimè, ſi nos cohortati, non quomodo in vitâ, cum Satanæ commentis oppreſſo Euangelio filii DEI, manendum, ſed quomodo, excitatis fratribus, ad Chriſtum pro Chriſto decedendum ſit, conſtituerimus. Id quoniam non verbis ſed ſanguine teſtatum poſteris eſt relinquendum; Ego Aonius ſervus JESU CHRISTI firmiſſimum Teſtimonium dico eâ lege, ut, ſi neceſſe ſit, mori non recuſem, pro eâ fide, quam debeo CHRISTO authori pacis & ſalutis meæ.

TESTIMONIUM. I.

Tempore Apoſtolorum multi Pſeudoapoſtoli extiterunt, qui cùm in credentium numero haberentur veluti legis doctores (ut ſenſim à Chriſto abducerent) umbris obſcurare lucem à Chriſto allatam, beneficium ſanguinis Chriſti obtegere, ſanctificationem per Spiritum Dei noſtri imminuere, aut velare reductione aut imitatione Moſaicæ legis
Ad Gal. cœperunt: de qua re conqueritur Paulus in
Act. 21. epiſtolis, Jacobus item & ſeniores in Actis Apoſtolorum illis verbis ad Paulum; vides, frater, quot millia ſunt credentium, & omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

omnes æmulatores ſunt legis: Johannes item quoſdam proprio vocabulo appellat Antichriſtos: Et nunc, inquit, Antichriſti multi ſunt. Quamobrem nihil eſt mirandum, ſi poſt obitum Apoſtolorum, inſtigante Diabolo hoſte gloriæ Chriſti & ſalutis noſtræ ſempiterno, nonnulli umbras & legalium ſpeciem reducere audacius tentarunt, ut adimpleretur verbum Domini, quod factum eſt ad Eſaiam Prophetam: Elegerunt omnia hæc in viis ſuis, & in abominationibus ſuis delectata eſt anima eorum. 1Joh. 2. Eſai. 65.

TEST. II.

Credibile non eſt, doctrinam ex traditionibus Apoſtolorum aliam fuiſſe ab ea, quam ſcriptis teſtatam reliquerunt. Veriſimile potiùs eſt, fuiſſe ejus, quæ ſcripta eſt quàm ſimillimam. Itaque, ſi qua ex traditionibus doctrina circumfertur, quæ vel illorum ſcriptis repugnet vel aliud evangelizet, minimè eſſe Apoſtolorum, ſed Pſeudoapoſtolorum, qui fortaſſe Pauli & Apoſtolorum diſcipuli dici voluerunt, & prodierunt fortaſſe ex illis, ſed in unitate doctrinæ eorum non perſtiterunt: Quamobrem clamat Johannes: Ex nobis prodierunt ſed non erant ex nobis, hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos. 1Ioh. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

TEST. III.

Pontifices Romani jam multis ac multis ſeculis ſecuti ſunt æmulatores legis, æmulatione legalium beneficium ſanguinis Chriſti obtexerunt, offuderunt tenebras doctrinæ Apoſtolicæ, ut Apoſtoli verbo utar:
Ad Gal. 1. Converterunt Euangelium Chriſti. Id facile fuerit exemplis planum facere. Itaque, ut ea, quæ prædicta fuerant per Spiritum
2 Theſſ. 2. Sanctum, complerentur: Homo in templo Dei ſedens, oſtendens ſe tanquam Deus, operatus eſt myſterium iniquitatis.

TEST. IV.

Tentaverunt Pontifices Romani DEUM, cùm pro ſuaviſſima gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quam credimus ſervari, impoſuerunt onus grave innumerabilium præceptorum, reclamante Petro & Paulo ſanctiſſimis Apoſtolis. Neque verò eſt dubitandum, Pontifices, Scribas & Phariſæos Hieroſolymanos geſſiſſe typum horum noſtratium, de quibus dixit Dominus: Alligant onera gravia & importabilia & imponunt in humeros hominum.

Act. 15. Rom. 4. Matt. 23.

TEST. V.

Non dubitant, qui Spiritu DEI aguntur, Spiritum ſanctum locutum eſſe per Paulum Apo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Apoſtolum, cujus Euangelium ſanctum eſt. Itaque, qui Pauli inſtituta rejiciunt, Spiritum ſanctum rejiciunt, in quos adhuc clamat Apoſtolus, An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus? 2. Cor. 13.
Hujus Apoſtoli doctrinam & inſtituta ita ſuſtulerunt Pontifices Romani, ut qui eorum ſedem Apoſtolicam appellent, quòd Pauli doctrinam ſequantur, dicant malum bonum & bonum malum, ponentes lucem tenebras & tenebras lucem.

TEST. VI.

Pontifices Romani non ſunt veriti reſcindere verbum DEI, ut firmarent traditiones hominum, quos in Spiritu vidit Propheta Jeremias dicens, Et prævertiſtis verba Dei viventis Domini exercituum Dei noſtri. Ier. 23.

TEST. VII.

Arroganter fecere homines & perverſè, qui Chriſti præcepta conſilia appellarunt, ut eo verbo minus adſtringi videamur; ſanctiones autem Pontificias præcepta dici voluerunt: cùm contrà, humana illa conſilia & commenta erant appellanda atque habenda, divina verò hæc, quibus veriſſimè ſumus aſtricti, præcepta, de quibus non ego dico ſed Dominus, Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic Matt. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.

TEST. VIII.

Hominum commenta, Pontificum decreta, Conciliorum ſanctiones, quæcunque ſcriptæ latæve ſunt contrariæ Euangelio Jeſu Chriſti & actis inſtitutisque duodecim Apoſtolorum, canonicis libris ſcriptis, Dæmoniorum doctrinam eſſe, neque potuiſſe ab hominibus conveniri in nomine Chriſti & congregari in Spiritu ſancto contra Chri-
Mat. 12. ſtum, dicente Domino, Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non congregat mecum, ſpargit.

TEST. IX.

Et quoniam Phariſaici homines habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, qui veluti Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi ita & ipſi reſiſtunt veritati, interpellatione factâ ſperant ſe poſſe illudere populo DEI; occurrendum eſt. Objiciunt enim: Quî ſcitis hos libros eſſe Canonicos? Quî ſcitis Chriſtum eſſe Filium DEI? Dicimus ab Eccleſia veluti Samaritanos audiviſſe de Chriſto & de iis libris. At ubi myſterio DEI inenarrabili ad Chriſtum venimus, revelatum nobis neque per carnem neque per ſanguinem ſed per Patrem Domini qui in cœlis eſt & per Spiritum ſanctum, divinum quiddam mirabiliter eſſe impreſſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

preſſum atque inuſtum in cordibus noſtris, ita ut baptizati Spiritu ſancto & igne, firmitatis & non ſuperbiæ pleni, dicamus verbis Evangelicis: quia non propter tuam loquelam credimus; ipſi enim ſcimus, quia hic eſt verè Servator mundi Filius DEI vivi. Ita & Spiritus DEI teſtatur Spiritui noſtro, quod per Matthæum, Marcum, Lucam, Johannem, Paulum, Jacobum, Petrum, Judam Jacobi fratrem, evangelizatum eſt & ſcriptum, quod unum eſt & idem, eſſe ſanctum Evangelium Jeſu Chriſti, & quòd hi libri, quos legimus, veriſſimi ſunt: Et quod ſcimus loquimur: & ſcientia noſtra verax eſt, non ab homine neque per hominem, ſed quia unctio, hoc eſt, ipſe Spiritus ſanctus, qui hoc nomine in Scripturis appellari conſuevit, docet nos. Quamobrem inquit fidelis Johannes: Nec neceſſe habetis, ut aliquis vos doceat, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt & non eſt mendacium. 1 Ioh. 2.

TEST. X.

Eccleſia DEI ſancta ſemper nixa eſt verbo DEI, ante adventum Domini ſuſtentata eſt verbo DEI per Prophetas, Chriſti tempore teſtimonio ſcripturarum defenſa eſt verbo DEI per ipſum etiam Chriſtum, poſt aſcenſionem Domini in cœlum Apoſtoli paracleto accepto defenderunt adminiſtrarunt probaverunt omnia verbo DEI, lectiſſimi

Viri, quos DEUS prædeſtinarat ante mundi conſtitutionem, ſuggerente Spiritu ſancto evangelizarunt verbum DEI unum & idem
Ad Gal. 1. eâ conditione, ut in perpetuum, qui aliud evangelizet & doceat, anathema ſit. Qui igitur ſcriptis canonicis coërceri nolunt, & ut authoritate ſuperiores ſint verbo DEI contendunt, neque putant audiendum, ſi contra eorum traditiones ſcripta divinitus adducantur, manifeſtè reprobi ſunt, & eorum ſententiæ ſtandum non eſt, quòd ad Eccleſiam DEI nihil attineant, dicente Domino,
Ioh. 8. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.

TEST. XI.

Scripta peritorum hominum, quantalibet ii ſanctitate doctrinâque ſint, nullo modo cum ſcripturarum canonicarum excellentiâ comparari poſſe monet Auguſtinus. Huic
Cyrill. lib. IV. Dialog. ſententiæ conſona eſt illa Cyrilli; Optimum fuerit, Hermia, non curare aliorum procacitatem, qui probatam mentem nobis auferunt, ſed magis fidei canonem rectum & non perverſum, hoc eſt, ſermones ab Apoſtolis factos, nec aliis quàm illis applaudere nos decet, ac dicere, Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

TEST. XII.

Interpretes, quos Doctores vocant, Oratorum, Poëtarum, Philoſophorum perſtudioſi fuerunt, nonnunquam abierunt in commenta cogitationesque eorum. Non protinus ergo aſſerenda, quæcunque ab illis dicta ſunt, ſed expendenda verbo DEI: Scriptum eſt enim, Et interpretes tui prævaricati ſunt in me, & venerunt ſtructores tui deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt. Eſa. 43. Eſa. 49.

TEST. XIII.

Commentum ignis purgatorii à Pythagoricis Platonicis & Poëtis magna ex parte eſſe ſumtum, per aſſertionem ejus commenti remiſſionem peccatorum infringi, reclamantibus omnibus Prophetis, ſanguini teſtamenti ſingularem injuriam fieri, Apoſtolis longè aliter docentibus, Ne evacuetur crux Chriſti.

TEST. XIV.

De Cœna Domini Sacramentum eſt ſanctiſſimè inſtitutum à Chriſto, quod à Paulo cæterisque Apoſtolis & diſcipulis Domini & multis poſtea ſeculis, quibus optimi fuerunt Chriſtiani, ſummâ diligentiâ eſt obſervatum. Verùm in hoc ut in cæteris videndum, ne arrogantia quorundam, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

omnia ſibi licere putarunt, itum ſit in abuſus. Quod ſi ipſe Apoſtolus in hoc ritu nihil ſibi temerè faciendum putavit, quam moderationem adhibere cæteri debuiſſent, facilè intelligimus. Quid autem inquit Apo-
1. Cor. 11. ſtolus? Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.

TEST. XV.

Preces, rogationes publicæ, imprudenter fortaſſe nonnullæ irrepſerunt rudibus ſeculis, nonnullæ ſuperſtitioſis. Quamobrem in hanc quoque curam eſt incumbendum, viri DEI, ut ſint puræ caſtæque deprecationes, modique orandi Evangelici, ut & imperiti etiam benè petere aſſueſcant. Verba enim Apoſtoli commonefacere nos debent.
Jac. 4. Petitis & non accipietis, eo quod male petatis.

TEST. XVI.

Magna eſt licentia Epiſcoporum & Clericorum, qui, ut vitæ integritate & innocentiâ in Eccleſia lucerent quaſi divinum aliquod lumen, ampla ab Imperatoribus & Regibus privilegia ſunt aſſequuti, quibus freti in omne genus ſceleris irrumpunt & coërceri legibus civilibus non poſſunt; quæ ſicuti juſtis olim de cauſis fuêre conceſſa, ſic nunc juſtis de cauſis poſſunt tolli. Quæ multa ex ſcripturâ divinâ adducunt Pontifices Romani, ut eorum decreta fulciant, ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ne omninò accuſentur, ne in eos animadverti poſſit, ne judicia ſubeant, duriſſimè eſſe detorta & nulla eſſe. Pleraque enim, quæ de Chriſto Domino dicta ſunt, ſibi arrogant; nonnulla, quæ ad fideles omnes æque ſpectant, veluti ad ſe ſolos dicta convertunt; multa jejunè collecta inanem verborum volubilitatem habent, præterea nihil. Poſſe nunc Imperatorem Romanum & Reges Principesque Reipublicæ Chriſtianæ privilegia, quibus illi abuſi ſunt multis ſeculis, abrogare, edictum proponere, ut, quorum vitâ ſpectatæ non fuerit integritatis, à plebe ſancta & populo DEI de gradu dejici poſſint, & alii ſpectata vitâ & doctrinâ ſubſtitui, ut Spiritus, quem DEUS ſuſcitabit in populis, Vendentes & ementes in templo ejiciat, & menſas numulariorum & cathedras vendentium columbas evertat. Marc. 11.

TEST. XVII.

Non modò non hæreticos ſed pios eſſe eos, qui firmiter crediderint, Eccleſiam DEI eſſe ædificatam ſuper Petram Chriſtum. Hanc opinionem ſi ſecuti fuiſſent Epiſcopi Romani, minus haberemus abuſuum & abominationum. Freti enim eâ opinione, quòd ſuper Petram, hoc eſt, Petrum, &, ut ipſi deducunt, ſuper Pontifices Romanos & eorum doctrinam ædificata ſit Eccleſia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

DEI, in quæ non manus intulerunt? quid non ſibi licere putarunt? ut Scriptura impleretur Arrogantia tua decepit te, &
Jer. 49. ſuperbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis, grex perditus fa-
Jer. 50. ctus eſt populus meus, Paſtores eorum ſeduxerunt eos.

TEST. XVIII.

Quoniam aliqui non contemnendi authores aſſeruerunt, Eccleſiam DEI ædificatam ſuper petram Petrum, nihil ex eâ re plus habere Pontifices Romanos quàm cæteros Epiſcopos qui non habent ea, ob quæ amanter dicta ſunt illa Petro, cujus vitæ exempla, quæ ex Actis Apoſtolorum colliguntur, ita minimè ſunt imitati, doctrinam verò, quæ ex Apoſtoli hujus ſcriptis habetur, ita paſſim Romani Pontifices proculcaverunt & everterunt, ut Petri everſores potius quàm ſucceſſores ſint appellandi, PER QUOS, in-
2. Petr. 2. quit Apoſtolus Petrus, Via veritatis blaſphemabitur, & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.

TEST. XIX.

Revelatur ira DEI, inquit Apoſtolus,
Rom. 1. ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem DEI in injuſtitiâ detinent; quia, quod notum eſt

DEI,

DEI, manifeſtum eſt in illis; At cùm cognoviſſent, quòd Dominus Jeſus factus eſt nobis ſalus, ſapientia, à DEO, juſtitia & ſanctificatio, non glorificaverunt aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & contulerunt gloriam unigeniti DEI rebus inanimatis, ita ut genu flecterent, & adorarent illas, & peterent in ſanctificationem. Propter quod DEUS tradidit eos in cæcitatem, ut facerent ea quæ non convenirent; ſicut prædixerat Spiritus ſanctus per os Pauli. Quod FUTURI ERANT. Videte jam, ſi revelata eſt ira DEI ſuper hominum impietatem; animadvertite, ſi bene expreſſi ſunt Pontifices Romani & eorum aſſeclæ qui veritatem DEI in injuſtitiâ detinuerunt. Homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis virtutem autem ejus abnegantes, homines corrupti, reprobi circa fidem, ſed ultra non proficient: inſipientia enim eorum manifeſtabitur.

1. Cor. 1.

2. Tim. 3.

TEST.

TEST. XX.

Malæ conſuetudines, abuſus, abominationes publico edicto tollendæ. Bacchanalium enim ſpeciem habemus, ludorum ſpeciem, ſimulachrorum abuſus. Neque enim abeſt, quin infirmitas humana inſtigante Sathana, ut DEOS olim, Divos morbis præfecerit, ita ut ad Petri fanum Romæ templum Febris ſit, Divæ Mariæ titulo. Nec brutis deeſt patrocinium ſanctorum, applaudentibus Pontificibus Romanis. Fornicari impunè licet; ſcorta ubique publica; ita ut Romæ ſuperioribus annis cenſa ſint meretricum publicarum capita ad decem millia; earum quæſtus portionem quandam ſibi pendi jubent, ſicut & à Judæis Pontifices, quòd fœnerari impune permittant, centeſimam exigunt. Acerbiſſimæ verò exactiones, crudeliſſimi dominatus, Simoniæ, doli, Spiritus ſancti venditiones & emtiones, & cætera abominanda ſic Romæ regnant, ut qui Chriſti Spiritum habent, liquidò videant ſcriptum in fronte Curiæ Romanæ: BABYLON MAGNA MATER FORNICATIONUM ET ABOMINATIONUM TERRÆ.

Cùm tot tantaſque abominationes, abuſus, incommoda, offendicula, prævaricationes, invexerint Pontifices Romani collegæ & aſſeclæ eorum; in iis ipſis dijudicandis Pontifices Romani Collegæ & aſſeclæ eorum

rum judices eſſe non debent. Quis enim neſciat, ſi eorum judicio ſtandum ſit, quibus ille ſtipatus ſedet, quos ipſe ſibi adeſſe juſſit, tanquam membra ſui corporis, tales nos habituros ſanctiones, quales illi ſemper probaverunt. Quid enim hoſce homines aliud in Conciliis voluiſſe & hodie velle creditis? niſi decreta eorum magnâ Populorum & Principum frequentiâ firmari, ut cinerem habeant, quem in Principum oculos ſpargant, & poſt paucos annos jura humana atque divina confundentes ſæviant in eos, qui hiſcere auſint, univerſos. An putatis in hac pompâ veniſſe Spiritus remiſſuros? An de magnis cenſibus & luxu ultrò deceſſuros? Homines ardentes cupiditate & Sathanæ cœno obvolutos experti toties, neſcimus quid ferant nebulæ iſtæ turbinibus exagitatæ? Terra, inquit vir Dei, ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt & maledicto proxima. Tantâ ergo exiſtente corruptione Epiſcoporum & præfectorum Eccleſiarum, ut videamus abominationem ſedentem in loco ſancto, confugiendum eſt ad montes. Tuo ductu, Chriſte, confugiendum eſt ad montes, ad Principes populi tui. Itaque teſtimonio dicto ſervus Jeſu Chriſti orat, obſecrat,

erat, obteſtatur vos principes Reipublicæ Chriſtianæ, in quos omnium gentium omnium nationum oculi converſi ſunt, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut omni ſtudio & diligentiâ incumbatis in hanc curam. Illuceſcet in cordibus veſtris Dominus Jeſus, qui eſt teſtis fidelis, qui eſt imago patris, in quo tenebræ non ſunt ullæ. Suſcipite hanc curam dignam animis veſtris, Principes. Ad finem operis perventum eſt. Perfacile eſt vobis, ex civitatibus & provinciis, quæ invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, deligere, qui de tantis rebus judicent, Viros metuentes DEUM, quos parvulos & lactantes ubera appellat Propheta Joël, quod eſt, non qui ſe prælatos eſſe & vocari volunt, *Congregare* inquit
Joël. 2. *parvulos & lactantes ubera*, non corruptos, non avaros, non tumidos homines, nullâ acceptione perſonarum, ſed quos vobis ſpectatâ vitâ & eruditione ſanctarum ſcripturarum teſtabitur eſſe plebs ſancta DEI. Quæ eſt illa plebs ſancta DEI? Populus ipſe veſter, populus acquiſitionis, regale ſacerdotium, gens ſancta, quam is, qui de tenebris vos vocavit in admirabilem lucem ſuam, ſibi prædeſtinavit ante mundi conſtitutionem, pro quâ ſeipſum tradidit Chriſtus, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam. Quis autem dubitet, ſanctiſſimos

mos viros communi bono Reipublicæ Chriſtianæ delectos ab hujuſmodi Eccleſiâ ſanctâ DEI, poſſe judicare de tantis abominationibus & corruptione Epiſcoporum, quanta nulla unquam fuit; qui partim (quod magno cum animi mei ſenſu ac dolore dico) in epiſcopatum provecti ſunt lenocinio ſororum & adulteriis impuriſſimis Pontificibus conciliati, partim Spiritus ſancti venditione aſſumti, partim in Spiritu mammonæ iniquitatis, ut magnis cenſibus Pontifices & eorum aſſeclæ ſuos augerent, nonnulli pileo ad ſervitutem coëmti ſunt, & paulò ante ſaginâ & largitione ſaturati à Pontificibus Romanis, ut eorum regnum ſtabiliant abominationum mole nutans. Quòd ſi qui ſunt, qui vitæ probitate & peritiâ ſcripturarum divinarum in Epiſcopatum provecti fuerint boni viri, eos hoc ſigno dignoſcetis, Principes, ſi rogati à vobis non recuſabunt iis, quos plebs ſancta delegerit ad judicandum, manus imponere, atque orare, ut accipiant virtutem ſupervenientis Spiritus, ut bonorum Epiſcoporum præclarè ratione habitâ, Pſeudopaſtorum impuriſſimo cœtui, plena Spiritu ſancto ſancta canat Eccleſia verbum Domini, quod factum eſt ad Ezechielem Prophetam. Ezech. 34.
Hæc dicit Dominus: Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos, nonne greges à Paſtoribus paſcuntur? Lac

come-

comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis; gregem autem meum non paſcebatis, quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, & quod abjectum eſt non reduxiſtis: SED CUM AUSTERITATE IMPERABATIS ET CUM POTENTIA: & diſperſæ ſunt oves meæ, eò quod non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in univerſo colle excelſo, & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea, Paſtores, audite verbum Domini. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri, eo quod non eſſet Paſtor (neque enim quæſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant Paſtores ſemetipſos & greges meos non paſcebant) propterea Paſtores audite verbum Domini, hæc di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

dicit Dominus Deus, ecce ego ſuper Paſtores, & requiram gregem meum de manu eorum, & CESSARE eos faciam, ut ultra non paſcant gregem meum. Hoc verbum Domini, ſi per Principes Chriſtianos liceat, Pſeudopaſtoribus canet Eccleſia, à quibus abominationes, abuſus, tenebras, prævaricationes, incommoda, offendicula, & mala incredibilia invecta eſſe in omnes provincias populi DEI, teſtor, aſſero atque affirmo, ego Aonius ſervus JESU CHRISTI, qui multos annos avidiſſimè hunc diem expectavi, quo orare, obſecrare & percommodè commonere poſſem fratres meos, non odio, (ſcit Dominus) non invidiâ, non oſtentatione dolove malo adductus, ſed amore ſanctæ veritatis & gloriæ Chriſti, in cujus rei fidem ſcriptum hoc dedi per capita, de quibus ſingulis recipio me plenius dicturum, ſi quid item ad teſtimonii firmitudinem facit, libenter vitam poſiturum pro veritate. Quod Teſtimonium caſtè ſincerè & integrè dictum ſi quis contemnit, contemſerit, voco ego eum, quisquis is eſt, ad Chriſtum Regem omnium gentium omnium ſeculorum, ad quem nunc provoco, ante cujus tribunal, ô homo quisquis es, ſiſti te oportet paucos abhinc dies, de hac ipſâ re, quòd mihi operam

 non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

non dederis, redditurum rationem. Id jam non dico ego, ſed is, qui me benè animat, qui obteſtari jubet, cui teſtimonium do, JESUS CHRISTUS filius DEI judex vivorum & mortuorum.

FINIS TESTIMONII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

AONII PALEARII VERULANI, ACTIO

Ex Declaratione Teſtimonii in Pontifices Romanos & eorum Aſſeclas. Ad Principes Chriſtianos, & Præfectos Concilio, in quibus habitat Spiritus Dei.

CUm eo conſilio domo exiſſem, ut emitterem aliquando vocem dignam homine Chriſtiano, non eram neſcius quæ pericula eſſent adeunda, qui ſuſcipiendi labores, in quas anguſtias eſſet veniendum. Neque enim parvi aut obſcuri erant terrores iſti Pontificii, in quos mihi neceſſariò incidendum videbam, ſi in teſtimonio dicendo Chriſti cauſam ſuſcepiſſem. Non enim unà, non unà ſtare poſſunt pontificiæ ſanctiones & Euangelium Dei. Illud ut rejicerem, quod mihi in viſceribus & animo hæret, non poteram; has ut oppugnarem, deterrebat crudele atque atrox imperium Pontificum Romanorum, à quibus jam multis ſeculis, ſi qui ad eorum pedes abjici, & provolvi reſpuerunt, Cæſares & ſummi Reges magnis moleſtiis & difficultatibus affecti, civitates ampliſſimo nomine, publicis execrationibus devotæ, populi ingentes in numero impiorum habiti & veluti ex orbe noſtro exacti ſunt atque excluſi. Quod ſi neque tantis fortunæ muneribus quiſquam neque vitæ ſanctitate adhuc fuit, qui niſi ad eorum nutum & voluntatem loqueretur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

diem ſibi periculo & ignominia vacuum pollice-ri poſſet; quid ego ſperare debebam ab omnibus rebus imparatiſſimus, homo inops atque egens, excitaturus in me acerbiſſimum odium atque invidiam ſummorum Pontificum? In quam cogitationem cùm incubuiſſem, multa verſabantur ob oculos. Videbam ego me præter Chriſtum, cui me devovi, omnia vitæ præſidia amiſſurum, nihil eſſe reliqui ad exiſtimationem & dignitatem, abalienatum iri magnos viros pontificiarum partium, à quibus ego beneficia permulta accepta, malevolentiæ ſigna nulla poſſum commemorare; quæ multorum annorum ſtudio & diligentia adjumenta mihi compararam ea omnia unâ horâ amittenda intelligebam; non modò agello quo me ſuſtentabam eſſe carendum, ſed cognatos, propinquos, amicos, uxorem optimam, ſuaviſſimos liberos relinquendos, excedendum Italiâ, abeundum in ſolitudines, aut in carcere habitandum & in ſuppliciis moriendum: Quæ cùm in ipſo diſceſſu meis neceſſariò aperuiſſem, ut liberos alicui commendarem, nolite quærere, quàm omnia domi reliquerim dolorum & lacrymarum plena. Quæ non eò dico, viri Chriſtiani, quo me conſtantiæ & fortitudinis pigeat, ſed ne in ſuſpitionem cadere poſſit, me vel odii vel commodi alicujus cauſa vel rogatu cujuſquam acceſſiſſe ad dicendum, aut pecunia ſubornatum, aut præmii ſpe aut cupiditate aliqua adductum. Quicquid in hac cauſa ſuſcepi, divinæ legis à Pontificibus Romanis violatæ, religionis confuſæ, Evangelii everſi cauſa ſuſcepiſſe confirmo, maximique æſtimo conſcientiam mentis meæ, quæ à Chriſto accepta à me divelli non poteſt, tantúmque abeſt, ut gratiam mihi ex ea re quæſiſſe videar, ut permagnas inimicitias initas intelligam, non obſcuro fortunarum omnium & capitis periculo; quæ omnia feram toleranter, relicta uxore, liberis, propinquis, ami-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

amicis. Rebus omnibus amiſſis conſolabor ipſe me, ſi apud vos, viri Principes, qui veſtra ſponte ſatis incitati eſſe debetis, mea oratione ſenſero aliquid acceſſiſſe ad defenſionem Euangelii filii Dei. Hæc mens mea eſt utinam tam felix quam pia. Cauſa certè ea ſuſcepta eſt, contra quam nihil honeſtè dici poteſt. Quid ergo vereor? Inveteravit, viri Chriſtiani, opinio falſa & pernitioſa non modò in vulgus imperitorum ſed aliquando apud Reges & Cæſares, quiqui ſint ſanctiſſimos eſſe & beatiſſimos Pontifices Romanos, eos omnes divino quodam auxilio regi & numine afflari, & in ea cauſa quæ de religione eſt aberrare nunquam potuiſſe. Magnum eſt atque difficile veterem conſuetudinem, quæ jam naturæ vim obtinet, evellere ex animis hominum, cum præſertim quorundam opera magnis propoſitis præmiis magnus exſudatus ſit labor, ut Pontificum malè parta, malè geſta, malè retenta imperia non modò cenſibus & armis, ſed etiam commentationibus eruditorum firmarentur; iis præſtigiis, multis jam ſeculis acies ingeniorum perſtrictæ ſunt: Extorta enim & vulgata fallaci interpretatione aliqua ex ſanctiſſimis libris, qui ſunt nobis ſcripti divinitus, non modò fortunis & corporibus hominum ſed animis, non modò animis ſed Euangelio Dei manus & vim impunè intulerunt. Reges apud omnes gentes & nationes ſacroſancti veriſſimè ſunt & habiti fuerunt ſemper; ſi tamen moribus minimè antiquis, minimè humanis fuere, quid obſecro illis profuit regium nomen antiquum magnum & ſanctum? Vita Pontificum Romanorum quæquæ fuerit, nihil nocuit regno Pontificum. Quod non eò dico ut eos rapiam in invidiam ex iſtis ipſis quæ audire conſueviſtis & notiſſima ſunt, & ex hiſtoriis repeti poſſunt, ſed ut cum veſtra bona veniâ petam, ut veritatem ducem, Apoſtolis commonentibus, ſanctiſſimis viris

Vide cap. 16, 17. & 18.

ris commonſtrantibus, non inveteratam iſtam opinionem ſequamini. Vehementer enim mihi opus eſt veſtra ſapientia, Principes Chriſtiani, dum ſica illa Chriſto veſtro intentata, gladius ille quo reciſſum eſt verbum Dei, è Pontificum manibus extorqueatur. Peto per Jeſum Chriſtum ut id animis veſtris quàm lubentiſſimis fiat, néve interea tacitæ cogitationes ex veteri conſuetudine recurſent, néve ex
Vide cap. 8. conſiliis quorundam prudentia animis veſtris hæreat ea, quæ Dei inimica obſtringit, & circumſcribit gloriam Chriſti; Ejuſmodi conſilia perdita ac diſſoluta quæcunque ſunt rejicite, Principes: Aut hoc negocium ſuſcipi non oportuit, aut geri pro dignitate Chriſti, regis omnium gentium, omnium ſeculorum, per quem peto, ſi quid veritas ipſa aperiet, ſi quid Spiritus commonebit, ne repugnetis, adeſte animis omnes, & pro majeſtate veſtra Principes, tuemini verbum Dei, pro animorum veſtrorum propenſione in Chriſtum exiſtimate vos pro tempore, dum de Apoſtolica doctrina ſublata dicimus, Apoſtolos ipſos eſſe; dum de Evangelio everſo querimur, fingite vos ſcriptores eſſe Evangelii: Ita facilè de omni re judicabitis, in cognitionem omnia benè cadent, veritas ipſa ſeſe in lucem proferet, cujus ego cupidiſſimus Teſtimonium diebus ſuperioribus ſcriptum dedi. At quoniam ejus firmitudinem non in verborum volubilitate, ſed in reipſa poſitam arbitror, miſſa nunc faciam dicendi ornamenta, quæ in aliâ cauſâ fortaſſe me delectaſſent, in ea, quæ Chriſti eſt, qui iſtis adjumentis non eget, minimè delectant. Quod eò facio libentius, ne quis putet me gloriæ umbram quærere, aut aliud quid
Ad Col. 2. præter gloriam Chriſti, qui per Apoſtolum monet, ne quis nos fallat ſublimitate orationis. Tenue itaque & humile dicendi genus ſequar, & libenter profectò lingua vulgari & patria de his agerem, quo minus viderentur hæc elaborata, & exquiſita induſtria, niſi apud eos ſermo eſſet,

quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

quorum nonnulli Italicè neſciunt, Latinè omnes ſciunt, quos quidem verborum ornatum à me deſiderare facilè patiar, at teſtimonii integritatem, ſinceritatem, conſtantiam, quâ me benè animavit Chriſtus meus, ſpero non deſideraturos. Veſtra itaque humanitate fretus, quoniam Theologi aliâ propè lingua loquuntur, utar eo genere dicendi, quod etſi abhorret à ſermone eloquentium hominum huic tamen cauſæ proprium eſt & accommodatum. Cauſa hæc quoniam una & ſimplex non eſt, ſed conjuncta & multiplex, Teſtimonium per capita dedi, ut ſuo quæque loco atque ordine dicerentur. Eſt enim id mihi ad agendum aptius & vobis ad judicandum facilius. Itaque veluti declaratione, in ſingulis capitibus tantum inſiſtam quantum ad veritatis illuſtrationem duxero neceſſarium.

RECITA PRIMUM CAPUT.

Tempore Apoſtolorum multi Pſeudoapoſtoli extiterunt, qui cùm in credentium numero haberentur, veluti legis doctores, ut ſenſim à Chriſto abducerent, umbris obſcurare lucem à Chriſto allatam, beneficium ſanguinis Chriſti obtegere, ſanctificationem per Spiritum Dei imminuere, aut velare reductione aut imitatione Moſaicæ legis cœperunt: de qua re conqueritur Paulus in Epiſtolis, Jacobus item & ſeniores in Actis Apoſtolorum, illis verbis ad Paulum; vides, frater, quot millia ſunt credentium, & omnes æmulatores ſunt legis. Johannes item quoſdam proprio vocabulo appellat Anti- [Teſtimonii cap. I.] [Ad Gal.] [Act. 21.] [1 Ioh. 2.]

chriſtos: Et nunc, inquit, Antichriſti multi ſunt. Quamobrem nihil eſt mirandum, ſi poſt obitum Apoſtolorum, inſtigante Sathana hoſte gloriæ Chriſti & ſalutis noſtræ ſempiterno, nonnulli umbras & legalium ſpeciem, pietatis fuco appoſito, ut in iis fiducia eſſet, reducere audacius tentarunt, ut adimpleretur verbum

Eſa. 65. Domini, quod factum eſt ad Eſaiam Prophetam: Elegerunt omnia hæc in viis ſuis, & in abominationibus ſuis delectata eſt anima eorum.

Declaratio Teſtimonii I. Epiſtola ſcripta eſt à Paulo ad Galatas in Pſeudoapoſtolos iſtos, qui etſi in credentium numero haberentur, erant tamen æmulatores paternarum traditionum, ceremonias, ut per totam Epiſtolam teſtatur Apoſtolus, non rejici debere contendebant, immò verò neceſſarias eſſe ad ſalutem. Incredibilis fuit horum hominum vis: Id

Act. 21. ex eo liquet, quod eorum concurſu tota Hieroſolymorum civitas commota eſt, & accurrente tribuno cohortis cum militibus & centurionibus vix ſervatus Paulus; tantæ illorum iræ, tantus furor. Quamobrem? quia diſceſſionem docebat à Moyſe. Sunt hæc omnia integerrimè ſumta ex

Act. 16. Actis Apoſtolorum. In iiſdem Actis legimus, ex hæreſi Phariſæorum credentium ſurrexiſſe hoſce Pſeudoapoſtolos, qui præciperent ceremonias ſervari; ab iis facta eſt ſeditio illa quâ Petrus timore ingenti perculſus eſt & magni Apoſtoli. A nullo hominum genere magis ſemper periculum fuit Euangelio *Jeſu Chriſti* quam ab æmulatoribus legis, non tàm quod numero & concurſu ingenti plurimùm poſſent, quàm quod fucus pietatis in æmulatione legis pulcherrimè apponitur. Nihil eſt, viri Chriſtiani, quod majorem labem ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

aliquando attulerit ſanctæ religioni; nam qui ceremonias populo reſtituunt, pietatis ſpeciem videntur reſtituere, quod aſſignatæ illæ à Deo ſint ad ſuum cultum & gloriam: Quantum verò à Chriſto abducere poſſunt, quantum cum Evangelio pugnant, nemo unquam intelliget qui Chriſti Domini mentem & doctrinam Apoſtolorum nolit intelligere, Apoſtoli in legalibus rejiciendis ſicut & piè quidem hoc tempore eò laborarunt, quod ii qui ceremoniis favebant attinere videbantur ad Eccleſiam, cujus unitatem Apoſtoli, quia Chriſtum à patre petiiſſe ut unum omnes eſſent recordabantur, nolebant dividere, & propterea indigna quædam tulere aliquando non modò alii, ſed Petrus & Paulus, qui obſecro Apoſtoli? Petrus viſus eſt hac tolerantia & diſſimulatione cogere gentes judaizare, Paulus Timotheum circumcidit; at cum ea via (ut Apoſtoli verbis utar) non rectè ambularetur ad veritatem Euangelii, Petrum coram omnibus reprehendit Paulus & acclamavit: *Si circumcidamini Chriſtus nobis nihil proderit:* Quid hoc eſt? Unum legale recipientibus nihil prodeſt Chriſtus: *Dies obſervatis & menſes & tempora, timeo vos ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis.* Quæ eſt via qua rectè ambulatur ad veritatem Euangelii? quæſo vos adeſte mihi totis animis, ea eſt quam docet Petrus Apoſtolus: *Dominus Jeſus poſtquam reſurrexit à mortuis præcepit prædicari quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum, cui omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus.* Et in Epiſtola inquit: *In ſanctificatione Spiritus, per adſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti.* Paulus qui plura ſcripſit tractat hæc copioſius; ne ex legalibus pendeamus, clamat: *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia à Deo, juſtitia, ſanctificatio & redemtio:* Néve in mentem cadere poſſit, nos ex ceremoniis mundari, ſanctificari aut juſtificari, colligit: *Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati*

[Margin notes: Joh. 8. — Ad Gal. 2. — Act. 16. — Ad Gal. 2. — Ad Gal. 5. — Ad Gal. 4. — Act. 10. — 1 Pet. 1. — 1 Cor. 1. — 1 Cor. 6.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

cati eſtis, ſed juſtificati eſtis, in nomine Domini Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Id autem ne per aliud nos habere opinemur quàm per
Rom. 3. ſanguinem Jeſu Chriſti, ſcribit ad Romanos: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ in remiſſionem delictorum.* Et
Eph. 1. ad Epheſios: *Deus prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum, in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in qua conciliavit nos in dilecto, in quo habemus redemtionem per ſanguinem ejus in remiſſionem peccatorum.* Sit ergo caput hoc firmum & ſanctum: Remiſſionem peccatorum accipere per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti omnes qui credunt in eum, Chriſtum eſſe juſtitiam & ſanctificationem noſtram, néve in mentem cadat, in alio nos mundari, ſanctificari aut juſtificari, ablutos, ſanctificatos, juſtificatos nos eſſe in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti & in Spiritu Dei noſtri. Hæc eſt una atque eadem doctrina omnium Apoſtolorum, omnium verè fidelium, quam ſi Deus per Spiritum ſuum impreſſit in cordibus veſtris, Principes Chriſtiani, obſecro vos, ne deponatis beneficium juſtificationis & ſanctificationis animarum veſtrarum. Hanc doctrinam ſi qui oppugnant, ſi qui adulterant, ſi qui obtegunt, quiqui ſint, ſi vos illos eſſe memineritis qui eſſe debetis, hoſce omnes Pſeudoapoſtolos cum Paulo apellabitis, Antichriſtos cum Johanne, quos ut diſcernamus, rogemus jam: Cum Petrus & Paulus & verbo & ſcriptis ſæpè commonuiſſent non ex operibus legis ſed per hanc fidem in Jeſum Chriſtum juſtificari, cur non fuiſſet rectè ambulatum ad veritatem Euangelii, ſi ne credentibus illis offendiculo eſſent, perſtitiſſent ut cœperant in diſſimulatione & tolerantia ceremoniarum legalium? Nam (omnes nos quidem

dem ſcimus) myſteria fidei noſtræ ſignificata fuerunt umbris illis ceremoniarum, quod ut verbi cauſa ex Auguſtino recitem, Educti ſumus ex Ægypto, ubi Diabolo tanquam Pharaoni ſerviebamus, ubi lutea opera in terrenis deſideriis agebamus, hinc educti, per Baptiſmum tanquam per mare rubrum Chriſti ſanguine conſecratum, mortuis omnibus inimicis noſtris, qui nos inſectabantur, id eſt, deletis omnibus peccatis trajecti ſumus, & reliqua. Nonne pium videbatur tenere iſtas dierum obſervationes, ſi non umbrarum ratione, ſignificatione ipſarum? Certè videbatur: Hac via, inquit Apoſtolus, non rectè ambulabatur ad veritatem Euangelii: Quid ita? quia in populis multos neceſſe eſt eſſe infirmos, qui myſteria non capiunt, umbras pro rebus amplectuntur; Proni fuerunt ſemper infirmi ad ſuperſtitionem, quibus erat à ſapientiſſimis Apoſtolis conſulendum, ut fugatis umbris lux certa proponeretur. Remota eſt umbra, inquit Auguſtinus, ut nudâ eorum luce frueremur; cum citius nihil titubet ſpiritu infirmorum, edocendi ſunt populi ut rem ipſam capiant non umbras ſequantur. Si Apoſtoli umbras tuliſſent in quos abuſus non iſſemus? cum illis contra commonentibus in tot iverimus. Ne qua ergo ſpes mundificationis, juſtificationis, ſanctificationis in ceremoniis & legalibus poneretur ab infirmis & contentioſis, & ut in Deum Patrem, in Chriſtum Jeſum, in Spiritum Dei noſtri oculos mentem animumque intenderent omnes, Petrus ceremonias confudit, omnibus Chriſtianè veſci docuit, non per legalia ſed per gratiam Jeſu Chriſti ſervari omnes: Paulus æmulatores legis, operarios ſubdolos converſores Euangelii & Pſeudoapoſtolos appellavit, ab Eccleſia ſejunxit; ſenſim enim beneficium ſanguinis Chriſti obtegebatur, contumelia inſignis fiebat Spiritui gratiæ. Sapienter itaque ſanctiſſimi Apo-

Auguſ. tract. 15. Euang. Johan.

Gal. 2. Mat. 13.

Act. 11. Act. 15. Gal. 2.

2 Cor. 11.

Apoſtoli nobis conſuluiſſe dicuntur, ut ſciremus quâ viâ rectè ambularetur ad veritatem Euangelii. Nunc per humilitatem Chriſti oro atque obteſtor vos, Principes Chriſtiani, ne memoriâ deponatis piam obſecrationem, quâ in principio uſus ſum quâque mihi utendum ſæpè intelligo,
Act. 19. ut pro majeſtate veſtra tueamini verbum Dei,
1 Cor. 1. dùm doctrinam, dùm mentem Apoſtolorum vo-
1 Cor. 6. bis commendat ſervus Jeſu Chriſti. Exiſtimate vos Apoſtolos ipſos eſſe: Doctrina Apoſtolorum eſt remiſſionem peccatorum accipere per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti omnes qui credunt in eum, Chriſtum eſſe juſtitiam, ſanctificationem
Rom. 3. noſtram; néve in mentem cadat, in alio nos mundari, ſanctificari, juſtificari, ablutos, ſanctificatos, juſtificatos nos eſſe, quàm in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti per ſanguinem ejus in
Eph. 1. Spiritu Dei noſtri. Mens Apoſtolorum eſt umbras non eſſe repetendas, fruendum nobis luce allatâ per Chriſtum, ut recta eatur ad veritatem Euangelii, in ceremoniis non conſtituendam eſſe juſtificationem aut ſanctificationem, ſed in Spiritu Dei per ſanguinem crucis, curandum ut à ſuperſtitione alieni populi & ab inſidiis longè remoti, quibus appeti poſſent à Diabolo, oculos, mentem, animúmque intendant in Deum Patrem, in Chriſtum Jeſum, in Spiritum Dei noſtri. Hæc ego tam multis, Viri Chriſtiani, quoniam immiſcuit ſe in iis Sathanas ſubdolus hoſtis ſalutis noſtræ & gloriæ Chriſti, atque (ut Apoſtoli verbis utar cum de
2 Cor. 11. hoc ipſo periculo ex ceremoniis ageret) transfigurat ſe Sathanas in angelum lucis, ut falſam pietatem indutus occidat ſpecie religionis: Occaſionem nactus eſt, Viri Chriſtiani, a tempore uſque Apoſtolorum ab his æmulatoribus legis, qui nihil mirum videri debet ſi nonnullis ſanctiſſimis viris, quod ii diſceſſionem à Moyſe doce-
Act. 7. rent, crudeliter occiſis, ſi Petro Hieroſolymis

Antio-

Antiochiam & Paulo in urbem uſque fugatis, audacius in incepto perſtiterunt; nihil mirandum, ſi poſt obitum Apoſtolorum vel iidem vel eorum liberi paternarum traditionum æmulatores, qui in numero credentium haberentur, ſicuti & patres eorum admiſcuerunt vel legalia vel ſpecies legalium litas Chriſtianiſmo, ut appoſito fuco pietatis reciperentur ſervarenturque à poſteris pro ſalutaribus. Hæc quæ ſint oſtendemus. Ea ſi indigna, ſi ad æmulationem legis omnia conficta, ſi à doctrina & mente Apoſtolorum longè aliena comperietis, peto à vobis, Principes Chriſtiani, per eam fidem & operam, quam præſtare debetis Chriſto, ut ſeveriſſimè judicetis, ut diligentiſſimè tueamini doctrinam Apoſtolorum & Euangelium Dei. Act.14.

RECITA CAPUT SECUNDUM.

Credibile non eſt, doctrinam ex traditionibus Apoſtolorum aliam fuiſſe ab ea, quam ſcriptis teſtatam reliquerunt. Veriſimile potiùs eſt, fuiſſe ejus, quæ ſcripta eſt quàm ſimillimam. Itaque, ſi qua ex traditionibus doctrina circumfertur, quæ vel illorum ſcriptis repugnet vel aliud evangelizet, minimè eſſe Apoſtolorum, ſed Pſeudoapoſtolorum, qui fortaſſe Pauli & Apoſtolorum diſcipuli dici voluerunt, & prodierunt fortaſſe ex illis, ſed in unitate doctrinæ eorum non perſtiterunt: Quamobrem clamat Johannes: Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Hæc ſcripſi vobis de iis qui ſeducunt vos. Teſtimonii cap. II. 1Joh.2.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Decla- ratio Teſti- monii II.

CAput hoc nemo oppugnabit, niſi qui velit eſſe maximè contentioſus; Poſitum eſt eo conſilio, ne quem locum habeant adverſarii quò ſe victi recipiant: Huc enim ſe conferunt, non ut traditiones Apoſtolorum, ſed ut magnos abuſus defendant. Aut enim ſcriptis quibuſdam, quæ cum doctrina & mente Apoſtolorum pugnant, tuentur traditiones impias, aut conſuetudinem inveteratam & longinquitatem temporis objiciunt. Conſuetudinem quantumvis inveteratam, ſi ea pernicioſa eſt, evellendam eſſe radicitus Pontifices ipſi concinunt. Longinquitatem temporis non negamus; imò verò ſuperiore capite diximus tempore Apoſtolorum hoſce abuſus emanaſſe ab æmulatoribus legis. In illud mihi potius eſt incumbendum, ut oſtendam traditiones Pontificum & abuſus extare ad æmulationem legis Moſaicæ, in quibus veluti legalibus fidere homines docentur, quæ beneficium ſanguinis Chriſti obtegunt, ſanctificationem per Spiritum Dei velant, aliudque euangelizant. Quòd longinquitas temporis objicitur, eò major ſuſpicio ineſſe debet, emanaſſe illas traditiones à Pſeudoapoſtolis qui mirandum in modum conturbaverunt ſanctos Apoſtolos? Quo magis cavendum eſt, Viri Chriſtiani. Nam ſi conſtat æmulatores ſubdolos illos legis ſeſe Apoſtolos appellari juſſiſſe, vel dubitatis multa illorum commenta ab eorum aſſeclis Apoſtolica fuiſſe appellata? Dubitandum item, ne qui vel libri vel epiſtolæ ab illis & eorum ſtudioſis ſcriptæ prodierint ſubdititio nomine diſcipulorum Pauli vel alterius Apoſtoli. Nam ut de antiquis autoribus taceam & Latinis & Græcis, ſi Auguſtino & quibuſdam aliis interpretibus multi libri falsò adſcripti ſint, quid putatis fugiſſe id fal-

Ex decret. diſt. 8. & 9.

2 Cor. 11.

fallendi genus ſubdolos homines Pſeudoapoſtolos, ut ſcilicet autoris nomine reciperentur à fidelibus eorum commenta? Hæc ne quis à me fingi putet, recitemus Pauli Apoſtoli verba commonentis atque obteſtantis: *Rogamus autem vos fratres per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut non citò moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam.* Quid hoc eſt, *neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam?* Ex ea etiam, quæ eſt ad Galatas, id etiam colligi poteſt, cùm Euangelii nomine linirent eorum commenta æmulatores legis. Hæc eò à me dicuntur, ne qui, ubi abuſus & traditiones Pontificias Pſeudoapoſtolorum eſſe contendam, quæ beneficium ſanguinis Chriſti obtegunt & ſanctificationem Spiritus, illi ad Epiſtolas & libros quorundam recurrant, qui neque ſcriptionis aut imitationis genere ullo, ſtyli & ſpiritus Apoſtolici quicquam habent, quo Pauli vel cujuſquam Apoſtoli diſcipulum poſſis agnoſcere; Quæ ſcripta vel ex eo maximè ſunt repudianda, quod eorum doctrina repugnat Euangelio Dei, doctrinæ & menti ſanctorum Apoſtolorum & diſcipulorum Domini, quorum traditiones ſimpliciſſimæ, puriſſimæ, caſtiſſimæ nihil ſapiunt, nihil redolent, nihil docent niſi hanc unam mentem. Neque verò tàm torris aliquis benè ignitus præ ſe fert ignem, ac illæ, quoquò ſpectes, hoc Euangelium, hanc doctrinam Apoſtolorum; ablui, ſanctificari, juſtificari credentes in Spiritu ſancto, aſſequi remiſſionem peccatorum per ſanguinem Jeſu Chriſti. Johannes cùm primus baptizaret non aquæ Baptiſmum extulit ſed Spiritus ſancti, *Ego baptizo* (inquit) *in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu ſancto.* Chriſtus, cùm omnibus ſacramentum & unum eundémque characterem inſtitueret, ex Spiritu ſuos renaſci debere docuit. Non enim aqua

[Margin notes: 2 Theſſ. 2. — Gal. 1. — Marc. 1 — Joh. 3. — Hieronymus.]

aqua lavat animam, ſed ipſa prius lavatur à Spi-
ritu. Apoſtoli in Actis non Baptiſmo Johannis
Act. 18. 19. ſanctificari homines docent, ſed Baptiſmo Chri-
ſti in Spiritu Dei: Paulus in ſanguine & in morte
Rom. 6. ipſius docet; *Quicunque baptizati ſumus* (inquit)
in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus.
Quid manus impoſitio, quid inſufflatio, an ſan-
ctificationem aliam proponunt quàm ipſum unum
Spiritum Dei? Inſufflat Dominus & dicit: *Ac-*
Joh. 20. *cipite Spiritum ſanctum.* Imponunt manus Apo-
Act. 8. ſtoli & orant pro populis, quid populi acci-
piunt? Spiritum ſanctum. Ungendos oleo infir-
mos docet Jacobus in nomine Jeſu Chriſti, &
Jac. 5. quid ſanat infirmum? Oratio fidei, *fidei*, inquit,
nimirum quia *juſtus ex fide vivet.* Et quid dicit
Abac. 2. Chriſtus? *Qui credit in unigenitum Dei habebit vi-*
Joh. 3. *tam æternam.* Inſtituit ſacramentum Cœnæ Do-
Luc. 22. minus, quid proponit? Corpus ſuum, ſangui-
nem ſuum in remiſſionem peccatorum, *Hoc eſt*,
Mat. 26. inquit, *corpus meum, quod pro vobis datur*; *Hic*
eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſ-
ſionem peccatorum. Recenſet eam traditionem Pau-
1 Cor. lus acceptam à Domino, quid inculcat in men-
11. tibus? mortem Domini, crucem Domini, ſan-
guinem Chriſti; nonne videntur hæc ſingula eo-
dem annulo impreſſa? quid ni? cum ſuggeſta ſint
ab uno paracleto, adulterina ſigilla facilè co-
gnoſcetis, ſi in cæteris ſignis impreſſis ſingilla-
tim minuta etiam quæque obſervabitis. Clara eſt
atque aperta, pura & ſimplex mens & doctrina
Apoſtolorum, quam recitavimus, eam ſi memo-
ria tenebitis nemo vos fallet. Hìc rogabunt iſti,
Quid tu ſcis iſtam doctrinam & mentem eſſe A-
poſtolorum? interrogatio hæc à Diabolo eſt,
viri Chriſtiani, ut fidem quæ eſt donum Dei, ex
qua vivitis, tollant ex cordibus veſtris; Inter-
rogant enim ut titubemus in eo, in quo ſtat fir-
mitudo fidei noſtræ; quibus etſi reſponderi pot-
eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

eſt ex iis quæ ſuperiori capite dicta ſunt & capite teſtimonii nono reſpondebimus, nunc tamen dicimus, in hoc ſervum Domini non oportere litigare: hoc nos ſcire, quod veriſſimè ſcimus; Remiſſionem peccatorum accipiunt per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti omnes qui credunt in eum: Chriſtus eſt juſtitia & ſanctificatio noſtra: abluti, ſanctificati, juſtificati ſumus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, per ſanguinem ejus in Spiritu Dei noſtri. Mens Apoſtolorum eſt, umbras non eſſe repetendas; fruendum nobis luce allata per Chriſtum, ut rectà eatur ad veritatem Euangelii; In ceremoniis non conſtituenda eſt juſtificatio aut ſanctificatio, ſed in Spiritu Dei per ſanguinem crucis; Curandum, ut à ſuperſtitione alieni populi & ab inſidiis longè remoti quibus appeti poſſent à Diabolo, oculos, mentem, animúmque intendant in Deum Patrem, in Chriſtum Jeſum, in Spiritum Dei noſtri. Obtundis, inquient, ineptus es, qui hæc eadem toties; non curo dici ineptus; idipſum fortaſſe aliquando objectum fuit Paulo Apoſtolo, qui negabat ſeſe quicquam aliud ſcire quàm Jeſum Chriſtum & hunc crucifixum. Huic doctrinæ toties repetitæ ſi quis repugnat, ſi quis ab hac doctrina aliud inſtituit, anathema ſit: Nihil refert, ſi is aut magnus aliquis, aut Pauli diſcipulus, aut Petri contubernalis dici voluerit; Immò verò fuerit, quid tum? ſi conſtat aliquos fuiſſe Apoſtolorum conjunctiſſimos, qui in unitate doctrinæ non perſtiterunt: *ex nobis prodierunt*, inquit Johannes, *ſed non erant ex nobis.* Quid illud eſt? *ex nobis prodierunt:* Addit, *hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos.* Qui autores igitur in unitate doctrinæ Apoſtolicæ à nobis dictæ non perſtant, non perſtiterunt, quiqui ſint, etiamſi angelus de cœlo, non probari jam à vobis, ſed rejici & explodi ſentio. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.

2 Tim. 2.

1 Cor. 2.

Q RE-

RECITA CAPUT TERTIUM.

Teſtimonii caput III.

Pontifices Romani jam multis ac multis ſeculis ſecuti ſunt æmulatores legis, æmulatione legalium beneficium ſanguinis Chriſti obtexerunt, offuderunt tenebras doctrinæ Apoſtolicæ, ut Apoſtoli verbo utar: Converterunt Evangelium Chriſti. Id facile fuerit exemplis planum facere. Itaque ut ea, quæ prædicta fuerant per Spiritum Sanctum, complerentur: Homo in templo Dei ſedens, oſtendens ſe tanquam Deus, operatus eſt myſterium iniquitatis.

Gal. 1.

2 Theſſ. 2.

Declaratio teſtimonii III.

CHriſtus Jeſus, in quo repoſiti ſunt omnes Theſauri ſapientiæ Dei, videbat aliquando fore homines, qui convicti Majeſtate virtutis & gloriæ ſuæ confiterentur Chriſtum eſſe filium Dei, ſed non glorificarent ut Dei filium; quòd ſcilicet non conſtituturi erant in uno ipſo omnem juſtitiam & ſanctificationem per ſanguinem ejus in Spiritu Dei, quem Spiritum ſuis erat daturus; futuri erant iſti Pſeudoapoſtoli, qui aliquam partem ſanctificationis & juſtificationis in legalibus reponerent, & ex Chriſto & legalibus ſalutem nobis eſſe affirmarent; Perinde atque ex Chriſto & Judæorum inſtitutis corpus unum aliquod religionis conflaretur ſolidum atque perfectum: Quod commentum non à ſe eſſe & propterea diligenter rejiciendum à fidelibus, docet Dominus Jeſus ex ſimilitudine illis verbis:

Nemo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Nemo commiſſuram à novo veſtimento immittit in ve-ſtimentum vetus, alioquin & novum rumpitur, & ve-teri non convenit commiſſura à novo: Et nemo mittit vinum novum in utres veteres, alioquin rumpit vinum novum utres, & ipſum effundetur & utres peribunt, ſed vinum novum in utres novos mittendum eſt. Non pudet me ita loqui barbarè inquient; at Chri-ſtianè. Cum à Chriſto eſſet id commonſtratum, ſublata fuerat omnis ceremoniarum Judaicarum ſpecies, omnis uſus antiquatus. Umbræ fugatæ ſunt atque excluſæ. Si ceremonias imitatione legalium reduxerunt homines falsò Chriſtiani, id totum ex illorum cerebro fluxit, qui æmu-latores fuerunt legis & umbris delectati obdu-xerunt tenebras rebus clariſſimis, *ſubdoli operarii*, inquit Apoſtolus. Ubi enim lucem immenſam à Chriſto allatam reſpicere cœpimus, Spiritumque ducere à Deo, per quem ſub manifeſta ignis & linguarum forma acceptum Apoſtoli illuſtra-rent omnia ſcriptis & oratione, turpe, indi-gnum nefaſque fuit rejicere populum Dei & lu-cis filios in tenebras. Id ut exemplis planum fiat, ut aditus ad rem propoſitam ſit facilior, liceat mihi pauca dicere atque intra modum: Scimus Dominum Jeſum corpus ſuum templum appellare; Decepti ſunt eâ appellatione Judæi, Nos qui lucis filii ſumus decipi turpe eſt. Luce hâc per Chriſtum acceptâ novimus ea, quæ fue-rant à Solomone dicta in celebrationem templi in quo Deus in perpetuum habitaret, umbras fuiſſe adornatas in celebrationem corporis Chri-ſti, in quo veluti in tabernaculo divinitas perpe-tuò ineſſet; de quo ſcriptum eſt celebre illud: *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Huc attinent preces illæ regiæ, ut quæcunque homines deprecarentur in templo illo, de cœlo Deus exaudiret, omnia in templo illo impetra-rent cum gratia. Templum igitur per quod Deo

Luc. 5.

Joh. 2.

Templum Judaicum Chriſti typus.

2 Paralip. 6.

Pſal. 67. ex Auguſtin.

3 Reg. 8.

placemus, templum in quo audimur, Chriſtus unus eſt; in eo & per eum, in quo ſemper eſt Deus, roganda omnia à Patre. Hoc tabernaculum illud Moyſis ſignificabat ſacrum & ſanctum ad explendum divinum cultum, nam quid illud

Levit. 40. eſt? *Aſſumto unctionis oleo ungendum tabernaculum cum vaſis ſuis, ut ſanctificetur altare holocauſti & omnia vaſa ejus, labra cum baſi ſua, omnia unctionis oleo conſecranda ut ſint ſancta ſanctorum.* Significabant hæ umbræ Chriſtum Spiritu ſancto unctum, de quo ſcriptum erat illud: *Spiritus*

Eſa.61. *Domini ſuper me, eò quod unxerit me:* quod Apoſtoli uno ore aſſerunt in precibus ad Deum

Act. 4. Patrem: *Convenerunt enim verè in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum quem unxiſti.* Si quis hæc de unctione aliqua corporea intelligat, non longiſſimè dicitur abeſſe à luce Chriſti? à doctrina Apoſtolorum? de qua audi Pe-

Act.10. trum: *Verbum miſit Deus filiis Iſraël annuncians pacem per Jeſum Chriſtum, quem unxit Deus Spiritu ſancto.* Unctum eſt tabernaculum & altare holocauſti, *ut corpus Chriſti ſanctificaretur, qui fuit nobis in holocauſtum, qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo*, & omnia vaſa ejus ut ſint ſancta ſanctorum, & *omnia vaſa miſericordiæ ut omnes qui Chriſti ſunt Spiritu ſancto ungerentur:* Propter quod nos vocat Apoſtolus

1Pet.2. Petrus: *Genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, populum acquiſitionis, ut virtutes annunciemus ejus qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Hæc cùm ita ſint, nónne indignum fuit gentibus & nationibus in lumen ad-

Tertia parte decreti: diſtinc. prima de conſecrat. Eccleſ. mirabile vocatis, tantâ luce à Chriſto acceptâ, doctrina ea vulgata per Apoſtolos, conſecrata monumentis illis Spiritus ſancti, rejicere populum Dei in tenebras? inſtare æmulationibus legis? implere omnia ceremoniarum Judaicarum? reſtituere manufacta templa, ut colantur ex umbris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

bris Solomonis, Encœnia reducta ſunt & cæteræ ceremoniæ Judaicæ de conſecratione templi, de inungendo altari & vaſis: Aſſervantur hæc tàm bellè hodie, quàm enim maximè olim apud Judæos. Unctio Moſaica quæ Spiritum ſanctum ſignificabat non modò reſtituta, ſed latè promulgata ejus doctrina eſt, multis additis non modò à Chriſti ſed à Moyſis inſtitutis longè alienis; De qua ſuo loco. Indignum item fuit, cùm Apoſtolus Paulus docuiſſet nos veriſſimè eſſe templa Spiritus ſancti in quibus Chriſti Spiritus inhabitat, eâ doctrinâ vel contemptâ vel non celebratâ ab Epiſcopis (quantum certè erat neceſſarium) ſed alia quadam Pontificum inducta & vulgata per orbem, tàm magnis ſumtibus tanto numero ubique exædificari templa, in ea magnificentia abſumi omnem pecuniam, cùm valdè ſæpè acciderit, ut in iiſdem urbibus manufacta templa ſurgerent, & Spiritus ſancti templa caderent fame & rerum omnium inopiâ, cùm ad audiendum verbum Dei, ad Cœnam Domini manducandam, aut aliquid tale vel ſatis eſſe potuiſſet una Baſilica, non Encœniis, non unctionibus conſecrata, ne umbræ reducerentur, in quibus fiderent homines & judaizarent. Quin etiam, ne lucis liberi veluti umbrarum filii hærerent in templis manufactis, vulgò celebrandum erat ab Epiſcopis & ſenioribus illud idem quod Eſaias, quod Stephanus, quod Apoſtoli ingeri & inculcari volebant per verbum Domini dicentis: *Hæc dicit Dominus; cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum; quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus requietionis meæ? omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt univerſa iſta; dicit Dominus.* Quò ergo ſpectant tot & tantæ ſubſtructiones ad magnificentiam templorum quam non reſpicit Deus; Pergit enim: *Ad quem autem reſpiciam niſi ad*

[Margin notes: 1 Cor. 6. — Decreti par. 3. — Eſa. 66. Act. 7. — Eſa. 66.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

pauperculum & contritum ſpiritu & trementem ſermones meos. Qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat. Chriſto pro nobis oblato, oblationes cæteras non modò renuit pater, ſed ducit in ſacrorum violationem. *Qui recordatur*
Eſa.66. *thuris quaſi qui benedicat idolo :* Non modò ſibi thus adoleri vetat, ſed recordari de thure; Quid hoc eſt? thus illud tàm frequens in ſacris Chriſtum Jeſum ſignificabat, de quo inquit Apoſto-
Eph. 5. lus : *Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Omnis ſacrificii & thuris uſus, omnis umbra completa eſt in Chriſto Jeſu qui eſt dilectus Dei; Reſpuit cætera Pater, hunc unum amplectitur, qui eſt imago Dei. Qui igitur umbram reducit, qui recordatur thuris, quo loco habebit pater? *quaſi*, inquit, *qui benedicat idolo.* Sunt hæc verba Dei viventis, quæ vel non intellexerunt vel contemſerunt Pontificii Romani, qui de thurificatione decreta ediderunt, ex his umbris offuderunt tenebras doctrinæ Chriſti, ſuperſtitionem invexerunt, docentes etiam ex umbra legali thuris fumo fugari dæmones, non intelligentes in nomine Jeſu, quem thus illud ſignificabat cujus odor ſuaviſſimus eſt & rectà it ad Deum, dæmones eſſe fugandos, dicente Chriſto : *in nomine meo dæmonia ejicient.* Deus thuris recorda-
Marc. 16. tionem non admittit ſicuti neque circumciſionis; Iſti perhonorificis decretis de thure adolendo ſtatuunt; quodque ille per Eſaiam conteſtatur ſe in malam partem accepturum, iſti dura cervice ut ſemper Spiritui ſancto reſiſtant docent accepturum in bonam. Quod ergo ſequitur. *Elegerunt omnia hæc in viis ſuis & in abominationibus ſuis delectata eſt anima eorum*, non in Judæos dictum eſt, ſed in hoſce ipſos qui nobis præcepta mortifera pro ſalutaribus ſcripſerunt. Nam Judæi quidem ceremonias illas in viis Domini elege-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

elegerant: Liquet id ex Levitico, in quo à Deo illa per Moyſen adſignantur; inquit verò Moyſes; *Hæc dicit Dominus.* At cum longè longè alia doctrina à Chriſto ad nos allata fuiſſet, unde lucem & eam quidem admirabilem reſpicere cæpimus. Si qui *veſtimentum vetus* umbras illas *rudi panno* Euangelii luci voluerunt adſuere, *illi*, illi prohibente Chriſto, reclamantibus Apoſtolis, contemto edicto Dei viventis *elegerunt omnia hæc in viis ſuis*, *& in abominationibus delectata eſt anima eorum.* Nam mirum certè eſt quam reductionibus iis & imitationibus legalium Pontifices Romani delectati ſint, nihil videntur feciſſe tanti quàm ut magna volumina implerentur iis monſtris, ita juſſerunt ſervari hæc à gentibus & nationibus, ita inculcarunt in mentibus hominum, ut multis, ac multis ſeculis omnes cum fiducia in hæc ora, oculos, animumque converterint. Hìc audio ſucclamare iſtos, Ceremonias ergo putas eſſe tollendas: Hæ ſi non ferentur, inſtituent alias ſibi populi fortaſſe etiam deteriores. Hæc iſti multis, quaſi quis neget, dum propenſionem illam animi quæ Deo gratiſſima eſt in Deum oſtendimus, ut cùm Sacramenta exhibentur, ut cùm à Deo petimus ut ſigno viſibili accepto Spiritu ſuo nos informet, aliquid à nobis vultu, manibus, voce & totius corporis geſtu fieri, quod ceremonias qui velit poſſit appellare: non has ego dico, ſed quæ ex reductione & imitatione legis Moſaicæ, veluti umbræ tenebras obducunt doctrinæ Chriſti, quæquæ ſunt quæ ſanctificationem in alio ſtatuere videntur quàm in Spiritu Dei; Remiſſionem peccatorum per aliud quàm per ſanguinem Jeſu Chriſti; Ceremonias dico veluti legalia, quæ ad ſeſe animos trahunt, in quibus vulgò homines fidunt atque hærent, in quibus ſalutem collocant, cum aliud præter Chriſtum non ſit in quo oporteat nos ſalvos fieri. Ceremoniæ quæ à

Luc. 5.

Eſa. 66.

Videant qui velint ex ceremoniali. Pontificiali. Rationali. Miſſali.

Objectio Pontificiorum hominum.

Act. 4.

Objectio Pontificiorum hominum. Christo ſenſim abducunt non ſunt ferendæ. Longo uſu inveteratas, niſi recipias, offendiculum eris fratribus: non eſt hoc offendiculi genus, quod vitandum docuit Christus, quo affecturum unquam ſe fratrem negavit Apoſtolus; Offendiculum hoc ſanctum eſt atque divinum, quo Paulus in Petri faciem reſtitit, quo Apoſtolorum multi vitam cum ſanguine profuderunt; Ob hoc ipſum in Stephanum lapidatio facta eſt, quod diſceſſionem à lege doceret; Offendiculum hoc fuit ſæpiſſimè Chriſtus Judæis, quod dies non obſervaret, quod ciborum uſum confunderet, quod doctrinam hanc proferret in lucem, quæ eadem illuſtrata proximis annis zelo Phariſaico, & Judaica animadverſione Pontificum Romanorum, & aſſeclarum ejus perturbavit, vexavit, permiſcuit omnem Rempublicam Chriſti. Offendiculum objicunt iſti novi Caiphæ, quod Stephanus, quod Apoſtoli, quod Chriſtus fuerunt. Poſſumus & volumus mori ut offendiculo ſimus iis qui tantis cervicibus ſunt, ut nefas putent eſſe Chriſtum ſequi, Stephanum imitari, Paulum audire, qui, nequis arbitretur parvi cujuſdam momenti eſſe, ſi qui hæreant ceremoniis Judaicis, ſed tanti ut cum iis ſtare non poſſit Euangelium Chriſti, clamat & conteſtatur: *Sunt aliqui, qui vos conturbant & volunt convertere Evangelium Chriſti, ſed licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis anathema ſit, Et nunc iterum dico vobis, ſi quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis anathema ſit.* Utinam Dominus noſter Jeſus Chriſtus aperiat mentem fratrum verbis his, quibus per Spiritum ſanctum clamat Apoſtolus, ut id ipſum caverent à Pſeudoapoſtolis illis, quo noſtris temporibus appeti videmus populum Dei. Velim hic omnes eſſe quàm diligentiſſimos & petere ex commentationibus omnium interpretum ejus Epiſtolæ, quid eſſet

[Margin notes: Mat. 18. — Ad Gal. 2. — Act. 7. Mat. 12. Marc. 13. Mat. 15. — Ad Gal. 1. — Ex Chryſoſtomi, Theophilacti, &]

eſſet quod evangelizarent illi quo converteretur Euangelium Chriſti: Aſſerebant illi Chriſtum eſſe filium Dei, aſſerebant alia quæ Euangelio continentur; nam erant à credentium numero. Ii erant, inquit Theophilactus, qui dignitate præcellerent & vitam cum Petro & Jacobo duxerant, eoſdemque cæteris longè præferrent; propterea *angelorum* nunc meminit, & *de cœlo* adjecit, cumque & Sacerdotes angeli vocarentur ſupernas poteſtates expreſſit, neque *ſi contraria* ſolum *prædicaverint* intulit, ſed *ſi evangelizaverint id præter quod ipſi evangelizavimus*, hoc eſt, ſi pluſculum quidpiam ipſi adjecerint, execrationi ſubdantur. Ii unam aut ad ſummum alteram ex ceremoniis Judaicis reduci & obſervari volebant. Et tantoperè acclamat Paulus, Graviſſima Apoſtoli oratio eſt, non temerè iterata, non tamen ob aliud quàm ob idipſum, ne quis ab æmulatoribus legis ceremonias reciperet, quæ ſi tanti ſunt ut ex una aut altera ſubvertatur Euangelium Chriſti, Quam ego vocem nunc mittam, viri Chriſtiani, qua ſatis ſignificem dolorem meum? negemne quidpiam eſſe adjectum? qui ſciam magnum, incredibilem, infinitum numerum ceremoniarum ex Judaicis æmulationibus revectum eſſe multis ac multis ſeculis à Pontificibus Romanis. Quod ſi id verum eſt, quod omnes interpretes indubitanter aſſerunt, ut una aut altera ceremoniarum legalium recepta totum corrumpatur Evangelium, quemadmodum (ajunt) dici de regio nummo poteſt, qui vel leviter circumciſus totus adulteratur: Vos jam videte, quàm inſignis injuria facta ſit caſtiſſimæ religioni; quorum opera nihil dico: nam mitræ quoque iſtæ loquuntur. At quoniam nonnulli ex peritioribus iſtis non magni putant referre, ſi ceremoniæ ex Judaicis ſint reſtitutæ majori etiam cumulo, modò (inquiunt) doctrina per has æmulationes non

cæterorum interpretum commentariis.

Theop. in Epiſt. ad Gal. 1.

Conſenſus mirus in ea re interpretum omnium & commentat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſit invecta qua poſſint homines ſenſim abduci ab Chriſto; id enim ex doctrina Pſeudoapoſtolorum erat conſectarium; nam ſi qua pars juſtitiæ aut ſanctificationis in aliqua legali poſita fuiſſet, ſanguini Jeſu Chriſti ſingularis fiebat injuria, per quem tantum juſtificati & ſanctificati ſumus in Spiritu Dei; Perbono loco res eſt. Recita mihi tu *Decretum de aqua benedicta Alexandri primi Papæ*, quem fuiſſe dicunt annos ab hinc mille quadringentos tres & præterea viginti, ut quivis poſſit intelligere tempore Pſeudoapoſtolorum hæc ſubrepſiſſe. *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti adſperſi ſanctificentur ac purificentur, quod & omnibus ſacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis vitulæ adſperſus ſanguine, populum ſanctificabat atque mundabat, multò magis aqua ſale adſperſa diviniſque precibus ſacrata populum ſanctificat atque mundat. Et ſi ſale adſperſo per Heliſæum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quantò magis divinis precibus ſacratus ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat atque mundat & expurgat, & cætera bona multiplicat, & inſidias Diaboli avertit, & à phantaſmatum verſutiis hominem defendit.* Quid primùm rogem? quid primùm querar? nam quid hoc eſt ſi æmulatio legis non eſt? *Nam ſi cinis vitulæ adſperſus ſanguine populum ſanctificabat atque mundabat, multò magis aqua ſale adſperſa diviniſque precibus ſacrata populum ſanctificat atque mundat.* Negetne quiſquam beneficium ſanguinis Chriſti obtegi his verbis? Sanctificationem in legali collocari? Obſecro animadvertite, ut cognoſcatis, quibus hæc doctrina ſit orta principiis, quantum à doctrina Apoſtolorum abſit. Tractemus hanc eandem umbram ex Epiſtola quæ ſcripta eſt ad Hebræos. *Si enim ſanguis hircorum aut taurorum & cinis vitulæ adſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Jeſu Chriſti, qui per Spiritum ſanctum*

ſemet-

Decretum Alexand. primi Papæ, ex æmulatione legis velat, obtegit beneficium ſanguinis Chriſti, & aliud evangelizat.

Ad Hebr. 9.

ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundavit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi. Quid hoc eſt? Ille obtegit beneficium ſanguinis Chriſti; hic aperit atque illuſtrat: Ille proponit umbram cineris adſperſi ſanguine vitulæ, & in umbram aquæ ſale adſperſæ recidit per æmulationem legis; hic umbram omninò fugat luce doctrinæ Apoſtolicæ, illuſtrato beneficio ſanguinis Chriſti, nulla æmulatione legis propoſita: Ille abducit ſenſim à Chriſto & ad legalis fiduciam retrahit; hic ad Chriſtum trahit, & à legali longè abducit. Quantum inter hæc interſit judicate jam ipſi vos, Principes Chriſtiani, & pro majeſtate veſtra tuemini Verbum Dei. *Si quis* (inquit Apoſtolus) *aliud evan-* Gal. 1.
gelizaverit præter id quod accepiſtis anathema ſit. An docere gentes & nationes, aquæ ſale conſperſæ & exorciſmis ſacratæ adſperſione omnes ſanctificari & mundari, non eſt aliud Evangelium? Quid accepimus à Johanne? Dicat teſtimonium ſumma authoritate, religione & fide præditus Johannes: 1. Joh. 1.
Sanguis, inquit, *Jeſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Quid accepimus à Petro? *in adſperſio-* 1. Pet. 1.
nem ſanguinis Jeſu Chriſti inquit: Quid à Paulo? Ad
Per ſanguinem crucis ejus. Quæ eſt doctrina om- Col. 1.
nium Apoſtolorum, & diſcipulorum Domini? *Remiſſionem peccatorum accipere per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti omnes qui credunt in eum; Chriſtum eſſe juſtitiam, ſanctificationem noſtram, neve in mentem cadat in alio nos mundari, ſanctificari & juſtificari; ablutos, ſanctificatos, juſtificatos, nos eſſe in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti per ſanguinem ejus in Spiritu Dei noſtri.* Quæ mens eſt Apoſtolorum? *Umbras non eſſe repetendas, fruendum nobis luce allata per Chriſtum, ut rectà eatur ad veritatem Euangelii; in ceremoniis non conſtituendam eſſe juſtificationem aut ſanctificationem, ſed in Spiritu Dei per ſanguinem crucis; curandum ut à ſuperſtitione alieni popu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

li & ab inſidiis longè remoti quibus appeti poſſent à Diabolo, oculos, mentem animumque intendant in Deum Patrem, in Chriſtum Jeſum, in Spiritum Dei noſtri. Quæ eſt doctrina Pontificum Romanorum? *aquam ſale adſperſam diviniſque precibus ſacratam populum ſanctificare atque mundare, ſalem divinis precibus ſacratum & exorcizatum ſterilitatem rerum auferre humanarum, & coinquinatos ſanctificare atque mundare & expurgare, & cætera bona multiplicare, & inſidias Diaboli avertere, & à phantaſmatum verſutiis hominem defendere.* Quæ mens eſt Pontificum Romanorum? *Inſtandum eſſe æmulationibus legis, umbras eſſe repetendas, in ceremoniis conſtituendam ſanctificationem, juſtificationem, expurgationem, ut in eas populi ora, oculos, mentem animumque convertant.* Annon hæc ipſa fuit mens Pſeudoapoſtolorum. Verbum hîc non puto poſſe iſtos proloqui. Nam ſi qua uſquam diſtinctio & remedium oſtenderetur, quo hæc poſſent ferri, id omne vitio verteretur ſapientiſſimis Apoſtolis, qui ignorarint, quo mederi potuiſſent tantæ ſeditioni credentium, quæ tum fuit pro rejiciendis ceremoniis. Sed ego ad illud redeo de Heliſæo, in quo repetenda quædam ſunt ex libro

4 Reg. 2. Regum, in quo hæc habentur: *Cùm aquæ peſſimæ eſſent & terra ſterilis, dixit Heliſæus, afferte mihi vas novum & immittite in illud Sal, & ait: Hæc dicit Dominus, Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas.* Factum eſt hoc ſic quidem: Sed erat in hoc umbra futurorum, quæ ex doctrina Apoſtolica poterat illuſtrari ab Epiſcopo. Legimus enim in Apocalypſi per aquas,

Apoc. 17. populos & gentes ſignificari & linguas. De gen-

Gen. 22. tibus quod erant in ſemine Abrahæ, Chriſto, benedicendæ, prædictum erat, ad quas Paulus & Apoſtoli immiſſuri erant ſal, delaturi verbum Dei. Collatio ergò Chriſtianè ſic poterat tractari. Si ſale adſperſo per Heliſæum ſterilitas aquæ ſanata eſt, quantò magis prædicatione & oratione Pauli

&

& Apoſtolorum per verbum Dei & immiſſionem Spiritus ſancti gentes ſanatæ ſunt, ſublata morte & omni ſterilitate earum, ex quibus Chriſtus exhibuit ſibi glorioſam Eccleſiam? Erant ita umbræ aperiendæ, non ex umbris invehendæ umbræ denſiores ad ſuperſtitionem. Agite verò, recenſeamus jam formulas ſacrationum & precum in hoc legali, ut quæ ſit eorum doctrina, quæ inſtituerint petere gentes & nationes, intelligamus. *Recita benedictionem ſalis. Exorcizo te creaturam ſalis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum ſanctum, qui te per Heliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit ut ſanaretur ſterilitas aquæ, ut efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium, & ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ & corporis.* Annon videtis ex quo ludo hæc prodierint? quibus ſint orta principiis? in ſale exorcizato ponere ſalutem credentium? ſalutem animæ & corporis? Exorciſmorum verò iſtorum uſus unde tàm frequens irrepſerit ipſi viderint. Non me fugit, multis poſt ſeculis ab Ambroſio adornata quædam fuiſſe, & laudatos in Eccleſiis Exorciſtas. At ſimpliciſſimæ erant, ut dixi, traditiones Apoſtolorum & candidiſſimæ; Pura aqua ad Baptiſmum, puro oleo ad unguentum, ipſo vino & pane ad Cœnam Domini utebantur. Exorciſtas Judæos celebres fuiſſe tempore Apoſtolorum legimus, homines Dæmoniorum etiam judicio non probatos. *Tentaverunt* (inquit) *quidam de circumeuntibus Judæis exorciſtis invocare ſuper eos, qui habebant Spiritus malos, nomen Domini Jeſu dicentes: Adjuro vos per Jeſum quem Paulus prædicat: Reſpondens autem Spiritus nequam dixit eis: Jeſum novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis?* At quid hoc eſt? *vos autem qui eſtis?* Sed tu perge, *De conſecratione Salis: Immenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam ſalis benedicere & ſanctificare digneris tua pietate, ut ſit omnibus ſumentibus*

[Margin: In benedictione Salis.]

[Margin: Act. 19.]

[Margin: In benedictione Salis.]

tibus ſalus mentis & corporis. Hoccine eſt ex Euangelii Cathedra docere? Proh tantam eſſe hominum ſocordiam, inſtituere gentes & nationes, petere & ſperare ſalutem mentis & corporis ex ſalis libatione. Hi ſunt præfecti Eccleſiæ? miniſtri Euangelii? Pſeudoapoſtoli illi inſtigante Sathana commentati ſunt hanc doctrinam, quam ſecuti æmulatores legis Pontifices Romani & eorum aſſeclæ in miros abuſus abierunt, quorum magnum atque incredibilem numerum præteribo conſultò, ne vos multis morer; Perpaucos, & ex his ritum de cineribus ex ramis Olivæ exempli cauſa & breviter recenſebo. Ubi exorciſmos & precationes de more adhibuerunt, quæ ab Epiſcopo, qui novit & ponderavit, quo & quanto precio ſimus redemti, ſine ſtomacho recitari non poſſunt; Tandem, ubi thuris fumo & aquæ ſalitæ rore arbitrantur ſatis fugatos eſſe Dæmones, reponunt hos ipſos ramos, ut ſequenti anno in cinerem redigant, quem feria quarta exorciſmis aggrediuntur: Ejus cineris conſecrationem iis precibus confici docuerunt. *Recita preces in conſecratione cinerum. Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus, & mittere digneris ſanctum angelum tuum de cœlis, qui benedicat, ſanctificet hos cineres, ut ſit remedium ſalubre.* Quod remedium ſalubre? Perge ne ſit obſcurum. *Ut quincunque eos ſuper ſe adſperſerint pro redemtione peccatorum ſuorum, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiant.* Miſeret me iſtorum: nam quæ hæc eſt inſcitia atque amentia? Unigenitus Dei, qui eſt in ſinu Patris, de cœlo deſcendit, ſervi formam induit, in tot laboribus vitam duriter egit, expediri in ſe virgas, vinciri, cædi, in crucem tolli voluit, ſanguinem omnem cum vita effudit; pro quo? Pro quo? pro redemtione peccatorum noſtrorum: præſtititne eam? immò verò cumulatiſſimè præſtitit. Quid ergo petis per cineres redemtionem peccatorum, qua-

In benedictione ramorum olivarum in die palmarum.

In benedictione cinerum feria quarta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

quaſi non ſis aſſecutus? Si per ſanguinem Jeſu Chriſti cumulatiſſimè es aſſecutus, cur per cineres aſſequi petas non video. Certè hic quis poteſt ſuſpicari, ea opinione iſtos fuiſſe, ut crederent effuſionem illam ſanguinis Chriſti ſatis fuiſſe pro peccatis eorum, qui ante Chriſti mortem fuerunt, pro ſceleribus tot & tantis eorum qui poſtea fuerunt non ſatis eſſe, & propterea quærendum ſupplementum ex cinerum adſperſione: Quaſi verò non dicat Johannes, *propitiationem eam ſatis eſſe non modò pro peccatis noſtris ſed pro peccatis totius mundi.* Quid ſi ſexcenti eſſent mundi? pro ſexcentis diceret Johannes, modo credant in unigenitum Dei. Majoribus benevolentiæ ſignis quantum nos amet Pater non potuit declarare, quam ut filium unigenitum daret crucifigendum pro ſervis in redemtionem peccatorum; Dedit libenter Pater; Conſecuta eſt pleniſſima redemtio & *reconciliatio eorum quæ in cœlis ſunt & quæ in terris;* Seriò triumphat Chriſtus, & mera Euangelia, *Confidite*, inquit, *ego vici mundum.* Quid tu aut invidus aut ingratus aut immemor beneficii inſtas his verbis? *ut mittat angelum de cœlo*; Cur? *ut cineres ſanctificet*; quamobrem? *ut ſi ſuper me adſperſero, aſſequar redemtionem peccatorum.* Quam petis, ſi ſcelerum pœnituit, ſi aliam agis vitam, ſi credis in unigenitum Dei, nonne es aſſecutus per ſanguinem ejus, in quo es adſperſus, in quo es lotus, in quo es ſanctificatus? Neſcis quid petas, & myſterium operatus iniquitatis alios facis neſcire, quod neſcis. Obſcurat hoc commentum beneficium ſanguinis Chriſti, & magnitudinem veræ liberalitatis & miſericordiæ Dei. Nam ſi, ſicuti datus eſt unus ſanguis Jeſu Chriſti pro pleniſſima redemtione peccatorum, ita omiſſis ſuperſtitionibus Unus proponeretur gentibus & nationibus quæ invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti; pro hoc uno gratiæ agerentur, quibus illuſtraretur beni-

[Margin: 1 Joh. 2. — Ad Col. 1. — Joh. 16.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

gnitas Dei, & gloria Chriſti: Cujus hoſtis ſubdolus Sathanas, veluti mulierculæ ſolent cum pueros aliquò nolunt proſpectare, alia quædam ſpectanda propoſuit, ut à Chriſto crucifixo ſenſim non modò oculi ſed animi quoque gentium & nationum abduceretur; qui, cùm inhiare in ſanguinem & corpus Jeſu Chriſti debuiſſent, in ridicula hæc incubuerunt ex inſtitutione illa Pſeudoapoſtolorum, ut facta tanta redemtione, quanta nulla major poſſit excogitari, quæque extra modum ſupra ſit peccata noſtra & totius mundi, adhuc pueriliter inſtant & muliebriter & ſuperſtitioſè, immò verò inſipienter petunt, ut cineribus ramorum olivarum, qui eos cineres ſuper ſe adſperſerint, aſſequantur redemtionem peccatorum. Obſecro vos, viri Principes, vel hoc eſt ex doctrina Apoſtolorum & Euangelio Chriſti? Cujus quoniam converſionem quidam fieri indigniorem putant, ſi quis curaverit reducendam obſervationem dierum ex veteri lege, quod dictum ſit, *Dies obſervatis & menſes & tempora & annos, timeo de vobis ne fortè ſine cauſa laboraverim in vobis*; nam & ob id clamat Paulus, *Sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Euangelium Chriſti*; Liquet id ex commentariis omnium interpretum. Quid putatis? continuiſſe ab hac impietate ſeſe Pontifices Romanos? immò verò, quia Paulus & Petrus & cæteri Apoſtoli vetuerunt reſtitui dierum obſervationem & menſium & annorum, Pontifices Romani & eorum aſſeclæ reſtituerunt & ſervari mandarunt: *Recita obſervationem quatuor temporum*, & Sermonem Leonis Papæ ex Hieronymo: *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi menſis domui Judæ & Hieruſalem in dies feſtos vertetur in gaudium. Hoc loco noſtrorum multi multa dixerunt & inter ſe diſſonantia. Cogimur igitur ad Hebræos recurrere, & ſcientiæ veritatem de fonte magis quàm de*

Converſio Evangelii ex obſervatione dierum reclamante Paulo. ad Gal. 4. ad Gal. 2.

Ex Decreto Gratiani in parte prima diſt. 76. Obſervationes

de rivulis quærere, jejunium quarti menſis, qui apud Latinos vocatur Julius, die ſeptimo & decimo ejuſdem menſis, illud arbitramur, quando deſcendens Moyſes de monte Sinai tabulas legis abjecit & confregit, & juxta Hieremiam muri primum rupti ſunt civitatis. In quinto verò menſe, qui apud nos appellatur Auguſtus, cùm per exploratores terræ ſanctæ ſeditio orta eſſet in populo, juſſi ſunt montem non aſcendere, ſed per quadraginta annos longius à terra ſancta circuire diſpendiis, ut exceptis Caleph & Joſue omnes in ſolitudine caderent, Et in hoc menſe à Na*buchdonoſor & multò poſt à Tito & Veſpaſiano templum Hieroſolymis incenſum atque deſtructum, capta urbe Bethel, ad quam mu ta millia confugerant Judæorum. In ſeptimo verò, qui apud nos appellatur October, occiſus eſt Godolias, & Judæ tribus ac Hieruſalem reliquiæ diſſipatæ ſunt Menſe decimo qui apud nos Januarius dicitur, eo quod janua ſit anni atque principium, Ezechiel in captivitate poſitus audivit, & cunctus populus captivorum. Quinto menſe templum eſt ſubverſum.* Obſervatio hæc mera eſt Judaicarum rerum, ut quivis videre poſſit, eam ab æmulatoribus legis Judaicæ ad nos tranſiiſſe. Hanc tamen obſervationem dierum & menſium mandarunt Pontifices Romani ſervari debere ubique gentium & jejunio celebrari, edicto propoſito & pœnâ mortis animæ indictâ, ſi qui non ſervarint. *Annorum obſervationem* ex Jubileo fatentur à veteri Teſtamento reduxiſſe, Qui? Bonifacius Octavus & Clemens Sextus Pontifices Romani. *De encoeniis reſtitutis* ad Judaicam æmulationem nihil dico, quòd ipſimet ex libro Regum accepiſſe teſtantur; *in quo*, inquiunt, *perlecta dedicatione templi reperies.* Argumentum verò eorum eſt perridiculum, ſtatuere celebrationem dedicationum templi, quòd aliquando Chriſtus illis ipſis diebus inambularit in templo in Porticu Salomonis. Nam fac eſſe quod ex eo venerit, inambularit in tem-

[Margin: menſium & dierum Judaicarum reſtitutæ.]

[Margin: Obſervationes annorum reſtitutæ. Legale de Encœniis reſtitutum. De conſecratione templi diſt. 1. de Encœniis in decreti parte 1.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

plo in porticu Salomonis ut legale ſervaret, num propterea nos quoque tenemur ſervare? *ipſo*, inquiunt, *exemplum dante*. Annon hoc argumento nitebantur Pſeudoapoſtoli aſſerere ſervandam eſſe circumciſionem, *ipſo*, ut ajebant, *Domino qui circumciſus eſt exemplum dante*. Scimus illum frequentem fuiſſe in templo, in quo ceremoniæ & cætera de ritu fiebant. Infirmum tamen argumentum eſt. Chriſtus in templo dum legalia celebrarentur adfuit; ergò à nobis legalia ſunt ſervanda. Confutaverunt enim hæc omnia Apoſtoli, quod lex uſque ad Johannem habuiſſet imperium. A Chriſto vero, quæ erant ex lege, fuerunt obſervata, ut omnem legem pro nobis adimpleret unus is,

Mat. 5. qui veriſſimè dixit, & dicere potuit unus, *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*. Legale item

Legale de conſecratione templi reſtitutum. De conſecratione Eccleſiarum diſt. 1. in decreti parte 1.

de conſecratione Templi Pontifices Romani reſtituerunt: quam ob rem ab æmulatione legis ſic ordiuntur. *Recita ſanctionem. Tabernaculum Moyſen Deo præcipiente feciſſe & ſacraſſe cum menſa & altari ejus & æneis vaſis & utenſilibus ad divinum cultum explendum legimus, & non ſolum divinis precibus eas ſacraſſe ſed etiam ſancti olei unctione Domino jubente perliviſſe novimus: Qualiter autem hæc facta ſunt, ut non alii ipſa ſacramenta quàm ipſi ſacerdotes ſacra unctione delibuti Dominoque cum veſtibus ſanctis ſacrati, Sacrati Levitæ, tractabant ferebant erigebant & deponebant, in ipſis inſtitutionibus, quæ jubente Domino conſcriptæ ſunt per Moyſen, in lege Domini reperitur*. Si meminiſtis, multis ac multis oſtendimus has ceremonias fuiſſe umbras futurarum; Et hæc ipſa de tabernaculo omnia expoſita ſunt ex doctrina Apoſtolica. Diverſa enim eſt doctrina Apoſtolorum, & ea quæ eſt æmulatorum legis: illi, ut eſt in proverbio, in cortice & teſta adhuc inſiſtunt, Chriſtiani in nucleo & medulla; Illis velum Moyſis adhuc poſitum eſt ante oculos, à nobis omne involucrum eſt ereptum atque

que ſublatum per Jeſum Chriſtum. At quoniam recepimus nos de unctione ſancta aliquando dicere, & verba de conſecratione admonent quòd ſancti olei unctione omnia perlinita fuerint; primùm neceſſe eſt vos aliqua memoria repetere ex iis quæ diximus; per ipſam unctionem, qua omnia illa ſanctificabantur, ipſum Spiritum ſanctum fuiſſe ſignificatum, quò Chriſtus erat ungendus & ſanctificandus & omne regale ſacerdotium, non Clerici tantùm quos vocant, ſed omnes Chriſtiani fideles, *omnes*, inquit Apoſtolus, *qui ſunt Jeſu Chriſti*: Deinde alia quædam ex illis umbris ſunt illuſtranda. Præteribo tamen multa, & ſtrictim omnia, Principes Chriſtiani; quòd non hoc mihi propoſitum eſt, ut explicem omnes umbras, ſed eas tantum, quæ ad ſanctæ unctionis ad ſacerdotii regalis explicationem duxero neceſſarium, ut & cætera manifeſta ſint & veritas illuſtretur: Quod ut præſtem, ignoſcere mihi debetis, ſi paulò altius quædam repetam; Cùmque umbræ ſint aperiendæ, paucis me expediam, non in vocibus ipſis ſed in myſticis ſignificatis inſiſtens, quæ in diuturna obſcuritate latuerunt. Scriptum eſt in lege Domini: *Filiis Aaron ad ſacerdotium adſumtis eorum partem periiſſe, partem fuiſſe ſervatam*; quod illud ſignificat, *Ex populo Dei* ex Judæis ipſis *reliquias quaſdam ſecundum electionem Dei ſalvas factas eſſe, partem concidiſſe, ut ex illorum delicto* inquit Apoſtolus *ſalus eſſet ex gentibus & diminutio illorum divitiæ gentium*. Ergo, Nadab & Abihu filiis Aaron mortuis, locutus eſt Dominus ad Moyſen, ut applicaret tribum Levi ad cultum divinum; *Et erunt inquit Dominus, Levitæ Mei:* Per hanc applicationem ſignificabatur applicatio gentium, *ex quibus gentibus*, ut prædictum erat, *ſtatueret ſibi Chriſtus regale ſacerdotium, Eccleſiam, pro qua tradidit ſeipſum, ut illam ſanctificaret mundans eam Lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſam ſibi glo-*

Ad Rom. 11.

1 Pet. 2.

Ad Eph. 5

rioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujuſmodi; ſed ut ſit ſancta & immaculata. Ex Levitis ergo ſacratis & perunctis ſignificabatur Eccleſia fidelium gentium, ſanctificata per ſanguinem Jeſu Chriſti, peruncta ſanctiſſima unctione, Spiritu ſancto ipſo, qui per Moſaicam unctionem ſignificabatur: qui Levitæ haberent ſacras veſtes, ſacra & munda corpora, de quibus inquit Apo-
1 Cor. ſtolus; *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt*
6. *Chriſti? Neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti? qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri.* Quid eſt, *non eſtis veſtri?* Annon illud idem quod dicit Dominus? *Levitæ mei ſunt.* Et de fidelibus ait Apoſtolus; *Non eſtis veſtri; emti enim eſtis pretio: Glorificate & portate Deum in corpore veſtro & in Spiritu veſtro, quæ ſunt Dei.* Id ſignificabant ſtolæ & veſtes omnes illæ in lege veteri ſacratæ ſacerdotum; Lotæ ſcilicet ſtolæ Chriſtianorum fidelium in ſanguine agni Chriſti, de quibus ſcriptum eſt? *Beati qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine agni;* Sacratæ veſtes, omnium fidelium Chriſtianorum ſacrata corpora, quoniam Chriſti ſunt membra peruncta non oleo aliquo exteriori, ſed quoniam in his habitat Spiritus ſanctus, qui unctio in ſcripturis appellatur. Annon
1 Joh. 2. hoc illud eſt fidelis Johannis? *Vos unctionem habetis à ſancto.* Omnia hæc non ex Judaica ſed Apoſtolica doctrina ſunt accepta, quæ quàm indigniſſimè velata atque obſcurata ſit ab æmulatoribus iſtis legis, quos credo jam vos probè noſſe, vel ex eo cognoſcite, quòd non eorum corpora munda, ſanctificata, immaculata in caſtitate, in ſynceritate, quibus longè cæteris deberent excellere, ſed ſtolas & veſtes oleo perunctas & exorciſmis ſacratas Domino offerunt; ſe verò ipſos non unctione ſancta Spiritus, ex qua Spiritus ſancti opera prodeunt, ſed exteriori quadam unctione perungi curarunt. Quâ re in omne genus ſceleris impunè

punè irrumpunt, & veluti vulpeculæ, illudentes populo Dei ſuppliciis ſe eximunt, quæ ex civilibus legibus neceſſe fuiſſet infligi. Sed hæc ſuo loco. Nunc ſatis eſt ut intelligatis, unctionem illam legis, umbram fuiſſe Spiritus ſancti, in quo omnes, qui Chriſti ſunt, baptizati ſunt, ne opera carnis perficiant. Spiritum ſanctum verò unctionem fuiſſe appellatum tàm à Prophetis quàm ab Apoſtolis, demonſtravimus & meminiſſe debetis, Et illud non obliviſci, Non hæc eò à nobis dici, ut negemus ſigno aliquo viſibili opus eſſe in ſacramentis exhibendis & ceremoniis quibuſdam, ſed ut eo ſigno viſibili mentes ad Cœleſtia erigantur non deprimantur, utque ceremoniæ puræ ac ſimplices ad ſignificata ipſa rapiant, non in umbras, veluti Judæorum legalia, doceant inſiſtendum eſſe denique ut gentibus & nationibus etiam infirmioribus adjumento ſint non impedimento, ut omnes mentem animumque intendant in Deum Patrem, in Chriſtum Jeſum, in Spiritum Dei noſtri. Ad hanc normam inſtituendæ ſunt preces & rogationes, non ut reductione aut imitatione legis Moſaicæ tenebras obducant Euangelio, ſuperſtitionem invehant, quod ſanctificationem & remiſſionem peccatorum ſtatuere in ſe videantur; Quod commentum ipſum fuit Pſeudoapoſtolorum ad imminuendam gloriam Chriſti, ad convertendum Euangelium, quod illi, ut docuimus, inſtigante Sathana, ſummo ſtudio, incredibili diligentia, dolo malo, operarii ſubdoli, inquit Apoſtolus, commoliti ſunt, ex quorum ludo hæc prodiiſſe non eſt dubitandum, quæ velut zizania dormientibus hominibus ſata ſuper bonum ſemen mirum in modum creverunt in agro Domini, ita ut penè granum ſuffocent. Quæ ut internoſcamus (jam etiam oratio de his properat ad finem) Attendite obſecro diligenter, quæ agantur, quæ petantur à Pontificibus & collegis,

dum ea unctio conficitur, ut ex iis actis intelligatis, quo Spiritu hæc invecta ſint in mundum. Volumen appellant Pontificiale: Secundùm ritum Eccleſiæ Romanæ in eo hæc habentur. *Recita ſanctionem de officio quintæ feriæ in Cœna Domini. Hac die in toto orbe Chriſtiano Chriſma & oleum ſanctum & oleum Catechumenorum conficiuntur. Dominus enim JeſusChriſtus, poſtquam cum diſcipulis cœnavit & eorum pedes lavit, ut Fabianus inquit, Chriſma conficere docuit.* Quod novum hoc eſt Evangelium? Quis unquam accepit ex iis quatuor, qui ad ſcribendi munus delecti ſunt à Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti? Tantámne rem tàm negligenter egerunt, ut, quod unum eſſet maximum ad ſanctificandos homines, vel neglexiſſent vel omiſiſſent? An Johannes, qui de cœna & lotione pedum omnia minutiſſimè collegit, tantum myſterium præterivit? Quid Paulus, cùm Euangelium à ſe ſcribi dicat, diligentiſſimus omnium ſcriptor atque illuſtrator, de hoc ne verbum quidem? Quid, cùm uſque adeò acclamaſſet ne legalia reſtituerentur, non unum excepit de unctione? Sed nos ad rem. Ubi quaſi geſticulariam egerunt apud tres ampullas, quæ plenæ oleo ſunt; *diſpoſita mappula, dimiſſaque ampullæ ſua* (ut ajunt) *ſerica veſte alba, Pontifex capite inclinato ſalutat Chriſma aut oleum, dicens; Ave ſanctum oleum, Ave ſanctum oleum, Ave ſanctum oleum; ſemper altius dicendo*; utar eorum ipſorum verbis: *quod poſtquam tertio dixerit, oſculatur labium ampullæ: quo facto ſedet Pontifex & accipit mitram; tùm ſinguli duodecim ſacerdotes parati accedunt ſucceſſivè per ordinem ad menſam, ſupra quam poſita eſt ampulla, & factis reverentiis genu flectunt coram ampulla, qualibet voce, ſemper altius dicendo in tono prædicto: Ave ſanctum oleum, Ave ſanctum oleum, Ave ſanctum oleum.* Quid hoc eſt, ſi idololatria non eſt? Niſi quis velit vocare E-

In Pontificiali, de officio quintæ feriæ in Cœna Domini.

Fabiani Papæ mendacium.

Ex Pontificiali verba omnia.

læola-

læolatriam. At non hæc quidem à Moyſe; Longè longè hæc monſtra abſunt à Judæis. Salutatur oleum tanquam vivens aliquod, non ſignificatione ulla, ſed quaſi ſanctitate & divinitate ipſa, quæ inſit in oleo, non modò ſalutatur ſed adoratur etiam à collegis duodecim ter ſigillatim. Hoccine Chriſtus docuiſſet? Hoccine Apoſtoli? Deſinant tandem, deſinant ſubdoli operarii illudere populo Dei, qui quoniam hæc, ut Fabianus docuit, accepiſſe à Chriſto non poſſunt oſtendere, proximum eſt, ut iis dent qui proximi fuerunt tempori, quo jacta ſunt fundamenta ſalutis noſtræ. In iis quoniam miri ſunt abuſus, qui Pſeudoapoſtolorum ingenia ex ſcriptis Pauli norit, facilè ſuſpicabitur ab illorum commentis ad Pontifices Romanos tranſiiſſe. Quod ſi inexcuſabiles ſunt ii, *qui cum cognoviſſent Deum non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum; dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & ſerpentium.* Quæ tandem amentia eſt? quæ ſuperſtitio? quæ indignitas? rejectis umbris acceptâ tantâ luce à Chriſto per Apoſtolos, ad oleum, creaturam inſenſilem, genua flectere, acclamare ad oleum illis ſalutationibus: *Ave ſanctum oleum, Ave ſanctum oleum, Ave ſanctum oleum.* An Jovis ſacerdotes aut Apollinis aliter ſua Idola ſalutarunt? An alium tenuerunt adorandi ritum, quàm provolvi genibus ad mutas ſtatuas, facta acclamatione, atque iſti ad oleum? *Recita conſecrationem olei. Exorcizo te creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis, in nomine Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti, ut in hac invocatione individuæ Trinitatis atque unius virtute Deitatis, omnis nequiſſima virtus adverſarii, omnis inveterata malitia*

Chriſmatis commentum ex epiſtolis quæ Clementi adſignantur.

Rom. I.

In Pontificiali de benedictione olei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ria Diaboli, omnis violenta inverſio, omne confuſum cæcum phantaſma, eradicetur & effugatur & diſcedat à te, ut divinis ſacramentis purificata fias in adoptionem carnis & Spiritus his qui ex te ungendi ſunt in remiſſionem omnium peccatorum. Quid hoc eſt? quàm indignum? Quid audio peti remiſſionem omnium peccatorum? At Dominus Jeſus, cujus vos fratres aquam ſalientem in vitam æternam bibere oportet, non abominationes Pontificum, Quid

Mat. 26. ait? *Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Hoc eſt ſanctum Euangelium, viri Principes, hæc eſt doctrina omnium Apoſtolorum: *Remiſſionem peccatorum accipere per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti omnes qui credunt in eum: Ablutos, ſanctificatos, juſtificatos nos eſſe in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti in Spiritu Dei.* Sufficit, ſufficit hic ſanguis ad Remiſſionem peccatorum, ſufficit hic Spiritus ad ſanctificationem animarum noſtrarum, Cognoſcimus Chriſtum Dei filium, Volumus glorificare ut Dei filium, Nolumus evaneſcere in cogitationibus noſtris, ne & cor noſtrum obſcuretur & fiat inſipiens Nam quid eſt, Viri Chriſtiani, tanto pretio ſoluto redemtionis noſtræ, divina illa effuſione ſanguinis Jeſu Chri-

Col. 1. ſti facta, *Per quam reconciliavit ſibi omnia Pater, quæ in terris ſive quæ in cœlis ſunt, ut exhiberet nos ſanctos & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo*, petere, ut ex adſperſione aquæ cum ſale, ex cineribus ramorum olivarum ſuperjectis, ex perunctione olei exorcizati, remedium ſalubre fiat omnibus gentibus & nationibus in remiſſionem omnium peccatorum, in tutelam animæ & corporis? An non ſunt hæ petitiones obſcurati cordis & vel maxime inſipientis? Prætereo conſecrationes de amictu, de alba, de zona, de cingulo, manipula, caſula, planeta, caligis, ſandaliis, Cheirothecis, annulis, vaſis. Præter-

eo benedictiones imaginis, ut ipſi loquuntur, incenſandæ, ut quicunque ob devotionem ad ipſam adorandam ſe devotè inclinaverint, ſalutem mentis & corporis conſequantur. Prætereo benedictionem pabuli animalium, hordei, avenæ in feſto ſancti Stephani, benedictionem vini in feſto ſancti Johannis Euangeliſtæ contra venenum, benedictionem panis & vini fructuum & ſeminum in feſto ſancti Blaſii contra malum gutturis, benedictionem ſegetum & ſeminum in feſto ſancti Marci, benedictionem caſei vel butyri, benedictionem Lardi ex qua una cæteras cognoſcite: Nam qui unam norit, cæteras norit. *Benedic Domine creaturam iſtam Lardi, ut ſit remedium ſalutare generi humano, & præſta per invocationem tui ſanctiſſimi nominis, ut, quicunque ex eo ſumſerint, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiant.* Quod eſt remedium ſalutare generi humano? Lardum. Ex qua re animæ tutelam petunt? Ex eſu lardi. Unde hæc ſunt? à Pontificibus Romanis. Hi ſunt præfecti Eccleſiæ? prædicatores Euangelii? magiſtri ſanctitatis? Sunt hæc quidem indigna. Non pudet hæc in lucem proferre? Ajunt tamen eſſe benedictiones: Nimirum eæ benedictiones ſunt, de quibus, quòd non ſolidam ſui nominis gloriam darent, Deus inquit per Malachiam: *Maledicam benedictionibus veſtris ô ſacerdotes.* Quæ cùm ita ſint, Principes Chriſtiani, nunc per virtutem Dei, per Spiritum ſanctificationis animarum veſtrarum petit, orat atque obſecrat vos ſervus Jeſu Chriſti, primùm ut ſeveriſſimè judicetis, deinde ut bono animo ſitis, magnamque ſpem habeatis, neve dubitetis præclarè aliquod in iis factum iri aliquando ab Eccleſia ſancta: Et quoniam nihil æquè conſolationem affert animis bonorum ac ipſum verbum Dei; nolite putare hæc quæ hodie geruntur non fuiſſe prædicta in ſcripturis ſanctis. *Omnia*, inquit

Ex Miſſali omnia curiæ Romanæ.

In Miſſali ſecundum curiam Romanam.

Mal. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Auguſ. de Catechizandis rudibus. quit Auguſtinus, *quæ nunc vides in Eccleſia Dei & ſub Chriſti nomine per totum orbem terrarum geri, ante ſecula jam prædicta ſunt.* Quid ergò eſt? Conſecratum eſt memoriæ hominum ſempiternæ in iis libris, qui ſunt nobis ſcripti divinitus, quòd vos maximè conſolari debet atque erigere.

Gen. 21 *Cùm creviſſet Iſaac & ablactatus eſſet fecit Abraham grande convivium in die ablactationis ejus, cumque vidiſſet Sara filium Agar ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham, Ejice ancillam hanc & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac*, per quem ſignificantur filii Rom. 9. promiſſionis Chriſtianus populus, *ablactetur*, deturque illi cibus ſolidus, ſolida veritas, ſolida pietas, ſolidum Evangelium, quod eſt, *Remiſſionem peccatorum accipere per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti omnes qui credunt in eum*, Hanc non per aliud aſſequi, non petere, non ſperare, debere gentes & nationes, quam per ſanguinem Jeſu Chriſti; Sanctificationem non in alio eſſe, non per aliud aſſequi, non petere, non ſperare, debere gentes & nationes, quàm in Spiritu Dei noſtri, ut oculi, mentes, animi omnium intendantur in Deum Patrem, in Chriſtum Jeſum, in Spiritum Dei. Cumque *Sara* Eccleſia ſancta videat *Iſmaëlem filium ante Iſaac* carnis filium non Spiritus, populum Judaicum aliquando populum Dei nunc non populum Dei, colludentem *cum Iſaac* cum populo Chriſtiano æmulatione legalium, obſervatione dierum, fiducia rituum & ceremoniarum, *Dicat Sara*, dicat Eccleſia delecta à Piis Auguſtis invictis Principibus, *Ad Abraham* ad cœtum Seniorum & Patrum, *Ejice ancillam hanc*, Ejicite doctrinam Judaicam, *& filium ejus* & delectu habito, quicquid ex ea doctrina natum eſt & profectum æmulatione legis, umbrarum repetitione, obſervatione legalium. *Non enim erit hæres filius ancillæ*

la cum filio meo Iſaac, Quid Judæis cum Chriſtianis? Filii ancillæ adhuc in umbris ſunt; hæreditas nulla ex umbris, ſed è re ipſa: Chriſtiani filii lucis, filii veritatis, filii excelſi omnes, hæredes per ſanguinem Chriſti, in Spiritu Dei. Non ludat Iſaac cum Iſmaële, Ejicite, ejicite ancillam hanc & filium ejus. Hæc fore aliquando, Viri Principes, tàm video animo, quàm ea quæ nunc oculis cerno: Ea ut noſtris temporibus contingant faciat Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.

RECITA CAPUT QUARTUM.

Tentaverunt Pontifices Romani DEUM, cùm pro ſuaviſſima gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quam credimus ſervari, impoſuerunt onus grave innumerabilium præceptorum, reclamante Petro & Paulo ſanctiſſimis Apoſtolis. Neque verò eſt dubitandum, Pontifices, Scribas & Phariſæos Hieroſolymanos geſſiſſe typum horum noſtratium, de quibus dixit Dominus: Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum. Teſtimonii cap. IV. Act. 15. Rom. 11. Mat. 23.

COnſequens erat neceſſariò ex tanta æmulatione legalium, ceremoniarum, traditionum, ut duriſſimum jugum imponeretur cervicibus fidelium gentium & nationum, quas ut à jugo legis liberaret Chriſtus, magnis ſuſceptis laboribus mori potuit & voluit, ut pro libertate ſuorum vitam cum ſanguine in cruce profunderet. O indignum facinus! O ſcelus horrendum! O incredibilem impietatem! Quantum Chriſtus ſuâ Declaratio Teſtimonii IV.

ſuâ morte generi humano profuit, tantum, quantum in ipſis fuit, Pontifices Romani obfuerunt. Chriſtus à lege nos liberavit, Pontifices rejecerunt in legem; Chriſtus laqueum contrivit, Pontifices non laqueum ſed laqueos reſtituerunt; Chriſtus in cœlum abiens animis noſtris pacem veram reliquit, Pontifices ad inferna deſcendentes pacis & quietis ſpem ſuſtulerunt. Quæ enim pax homini eſſe poteſt in ea turba præceptorum, quæ ſi non ſingula ſerventur, peccatum, inquiunt, eſt mortale, quod eſt, pœna animis mors eſt propoſita. Hoc multis ac multis ſeculis, conſcientiis ulceratis, univerſæ audierunt Eccleſiæ, corpus ipſum ſcilicet Chriſti, quod quoniam crudeliter, impiè, miſerabiliter confoſſum eſt mucrone iſto veſtro, Pontifices, nihil vobis mirum videri debet, ſi ea ex me audietis, quæ Caiphæ, quæ Herodes, quæ Pontii, ſi viverent, non audirent. Nam erant illi quidem manifeſti ac aperti hoſtes Chriſti, vos Domeſtici inimici & proditores. Dum vos ſervos ſervorum Dei appellabatis, nemo unquam putavit inimicos fore Chriſti; Dum vos Petri officio fungi velle ubique gentium prædicabatis, credidimus vos Chriſti diſcipulos & perfamiliares: Cujus corpus quia poſtea diſcidiſtis mirum & miſerum in modum, fateor me non habere quo vos nomine ſatis dignè appellem. Integerrimâ vitâ & admirabili Vir Bernardinus Ocellus Senenſis, cùm ex lege non eſſe juſtitiam ſed per Chriſtum Jeſum ſuperioribus annis evangelicè & apoſtolicè doceret, & vos ob id ipſum Italiâ expuliſſetis, appellavit Pontifices Romanos Antichriſtos. Parum hoc fuit, ſi quid gravius dici poſſet. Nam quis uſque adeò Chriſti nominis eſt inimicus, cujus operâ ita ablegata ſit ejus libertas ab orbe, cujus tantæ minæ fuerint in defenſores libertatis Chriſtianæ? Nulla vis

[Margin: Rom.6. Pſ.123. — Bernardinus Ocellus Senenſis.]

vis tormentorum acerrimorum à vobis prætermiſſa eſt, ita ut, crudeliſſimè quibuſdam necatis, inquiſitionis & mortis metu cæteri perterrerentur, qui longiſſimè aberant: Iis quoniam vim & manus afferre non poteratis, execrationes publicè exercuiſtis, non intelligentes pietate & juſtis precibus Deum, non devotione iniquâ concitari. Nam vetus eſt Prophetæ: *Quomodo maledicam cui Deus non maledixerit?* vobis ad libertatem Chriſti ſatis videbatur fore, ſi pileo quidam donarentur. Perbellè ſæpè illuditis populo Dei. Non pudet vos curare, ut ejus inſignia in honore ſint cujus eſtis everſores? Nolite mentionem facere libertatis, quam funditus ſuſtuliſtis. Neque verò mihi novum neque inopinatum eſt, ſi, quod ſuperioribus annis indigniſſimè fuit objectum Germanis, id nunc ego quoque audiam; Defenſione hac libertatis Chriſti, licentiam carnis quæri. Mirum profectò eſt, quam Pontifices Romani & eorum aſſeclæ doctrinâ & vitâ & convitiis Phariſæorum ſint ſimillimi. Omnia in Scribas & Phariſæos dicta à Chriſto in hoſce verti poſſunt. Nihil eſt dubitandum Pontifices, Scribas & Phariſæos Hieroſolymanos geſſiſſe typum horum noſtratium. Cùm libertatis hujus jaceret fundamenta Chriſtus, quid audivit? *Ecce homo vorax & potator vini*. Sobrietatem, ſiccitatem, continentiam & in rebus omnibus modeſtiam, ego amplector & laudo: neque hæc tollit Chriſtiana libertas, ſed facit ut omnia ſuo commodo fiant. Suillæ carnis uſum tollebat Moyſes, eam concedit Chriſtus, non ut helluonem alat, ſed ut tuo commodo, cum uſu venerit, his carnibus, non cæteris, uti poſſis. *Surge, occide*, dictum eſt Petro, *& manduca*: Non eſt ea vox licentiæ, ſed libertatis; neque enim jubet, ut uno tempore ad gulam piſces, aves, feras & pecus occidat, ut ingurgitet, ſed ut libertatem oſtendat, non minùs his quam

Num. 23.

Mirum ut omnia in Phariſæos & Scribas dicta à Chriſto videantur in Pontifices Romanos & collegas dicta. Mat. 11. Act. 10.

quàm illis, non plus hodie quàm cras & perendie veſci licere, ſobriè tamen & moderatè, *cum*
1 Tim. 4. *gratiarum actione*, inquit Paulus. Ebrietatem, crapulam, deliciarum curam, magnifica & ſumtuoſa convivia, quæ utinam nulla ſint in Pontificibus Romanis & collegis, damnat Chriſtus, improbant Apoſtoli. Nam quid illud eſt? *Attendite*
Luc. 21. *dite autem ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate.* Quid item illud? *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſic ut in die honeſtè ambulemus, non in commeſſationibus & ebrie-*
Rom. 14. *tatibus.* Modeſtum ciborum uſum admittunt & probant, gratiarum actionem inculcant, Apoſtoli, quod Sabbathum & cæteros dies & cætera
Marc. 2. omnia crearit Deus, mundarit Chriſtus, ut homini Chriſtiano ſerviant. In villa ſum, hoſpes ad me divertit, Sunt mihi pulli gallinacei, ſunt columbini, eſt grex & propterea copia agnorum & hædorum, eſt Deo gratia, excipitur hoſpes humaniſſimè & fraternè, venit illi in mentem diem veneris agi, conturbamur, neque enim ſunt piſces non ova non fortaſſe numi; quod meo commodo atque hoſpitis facere poteram ex libertate Chriſtiana, ut pullos occiderem & apponerem in cœna, Sanctione Pontificiâ non poſſum.
Act. 10. De cœlo vox eſt: *Occide & manduca*: Chriſti vox
Luc. 10. eſt: *Manducate quæ apponuntur vobis.* Pauli do-
1 Tim. 4. ctrina eſt: *Omnis creatura Dei bona eſt; & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Antichriſtus Papa denunciat, *ne manduces ne comedas ſexta vel ſeptima feria ſub pœna peccati mortalis.* Quid eſt *ſub pœna peccati mortalis*, niſi cùm hoc feceris morte æternâ morieris? itaque, quantum in Pontificibus eſt, dum judicant inter diem & diem, præcepto eorum morior Deo, qui, ut ſibi viverem, per aſperſionem ſanguinis filii ſui omni periculo liberarat. Huc illud accedit, ſi appono, offendiculo ſum hoſpiti. Quid autem inquit

quit Dominus? *Væ homini per quem ſcandalum venerit.* Per quem autem nunc venit niſi per Pontifices, per quos edictum propoſitum fuerat tantâ pœnâ? Væ ergo Pontificibus Romanis, non ego dico ſed Dominus. Ubi enim lex non eſt, nec prævaricatio nec offendiculum. Quæ ſunt ludibria iſta ſuperſtitionis? quid de iis diſſerimus, quaſi Chriſtus apertè non dixerit: *Audite & intelligite.* Non vult Pontifex Romanus ut audias: Qui Spiritum Chriſti habent, non poſſunt non audire, imò verò videntes vident, & audientes audiunt. Quid dicit Dominus? *Audite & intelligite: non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes diſcipuli ejus dixerunt ei, ſcis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt.* Nonne & nos poſſumus dicere? noſtine Domine Pontifices Romanos & eorum aſſeclas audito hoc eſſe ſcandalizatos? At Dominus, *Omnis plantatio*, inquit, *quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Non magis id dictum in Phariſæorum traditiones quàm Pontificum. Noſtis, quæ plantatio non eſt plantata à Patre? quæ repugnat Euangelio filii. *Filius* enim *& Pater unum ſunt. Sinite illos; Cœci* inquit, *ſunt & duces cæcorum.* Tàm dictum hoc de Scribis & Phariſæis quàm Pontificibus, ſi in eodem errore verſantur. *Cæcus autem ſi cæco ductum præſtat, ambo in foveam cadunt.* Id præſtant decreta, præcepta, traditiones Pontificum, ſi cum Evangelio pugnent, ut in foveam cadant tàm Pontifices quàm qui eos ſequuntur. *Reſpondens autem Petrus dixit ei; ediſſere nobis parabolam.* Utinam peterent vellentque addiſcere, ut Petrus, qui Petri ſucceſſores dici volunt; nolunt verò ipſi de iis doceri ſicut Petrus, quòd Petri ſucceſſores non ſint, & Petri doctrinam non ſuſtineant. Neque enim abs re eſt; quod potiſſimum Petrus pe-

[Marginal notes: Mat. 18. — Rom. 4. — Mat. 15. — Mat. 15. — Matth. 15. — Ioh. 10. — Matth. 15. — In declaratione teſtimonii cap. 18.]

petat ediſſeri parabolam. *Ait Dominus ergò adhuc vos ſine intellectu eſtis.* Abſit ut putent Pontifices Romani hoc ſibi à Chriſto poſſe dici, cùm ſanctiſſimi ſint & beatiſſimi, & errare non poſſint. O tempora! ô mores! quaſi verò ignoremus Babyloniæ Reges, quo Spiritu agantur. *Non intelligitis*, inquit Dominus, *quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit & in ſeceſſum emittitur, quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ;* A quibus ſi tantum abſtinere homines curaſſent Pontifices Romani, quantum à carnium eſu die Veneris & Saturni, minus certè coinquinatas haberemus gentes & nationes, quæ invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti. At hi, ut firmarent eorum traditiones, non ſunt veriti, eas præferre præcepto Dei, quibus ne ego imponere videar agam rebus minimè obſcuris. Nemo omnium eſt qui ignoret, quàm incredibili numero multos annos Romæ fuerint, immò verò floruerint meretrices, adulteri, ſcortatores, lenones, ſicarii, laniſtæ, cynædi, aleatores, harioli, vinolenti, ſcurræ; Omitto quòd nonnulli ex his in honore ſummo fuerint apud Pontifices; quod vulgare eſt dico, hoſce homines impuros non modò toleranter ferebant omnes eſſe in urbe, ſed ſalutabant, ut fit, omnes qui occurrebant. Fuit per id tempus fortaſſe aliquis vel Germanus vel Italus, qui, dicto Chriſti confiſus vel Pauli ſententiâ, docuit die Veneris & Saturni carnibus veſci licere, nihil eſſe à menſa rejiciendum cum gratiarum actione. Id ubi reſcitum eſt, omnes clamabant hæreticum eſſe, in civitate non ferendum eſſe, omnes illum aſpernabantur, omnes abhorrebant, nemo illum auditu, nemo dignum colloquio exiſtimabat. Quid hoc, Pontifices?

Extra

Extra hanc rem ne verbum quidem expeto. Præceptum Dei eſt, *Non mœchabere, Non occides, Non furtum facies, Non deſiderabis uxorem proximi tui, non ancillam, non bovem, non aſinum.* Contemtores verbi Dei eâ diligentiâ præcepta iſta ſolvebant, quaſi qui ſervarent condemnari ſolerent. Quid eſt, quod tam perditis viris, tu tu Pontifex, nil commovebare? nam utebaris familiariſſimè. Quid eſt, quòd hoſce ipſos tui tàm honorificè perſalutabant? Illum miſerum, quòd is carnes commediſſet ſexta vel ſeptima feria, omnes tanquam immanem & perniciosam aliquam peſtem fugiebant. Hîc quoniam tergiverſari non licet contra Chriſtum, qui mihi facit animum, quoniamque id mihi ſolum non reſpondes, quod ſolum audire volo, egomet dicam. *In templo Dei ſedens efferris ſupra omne quod dicitur Deus, oſtendens te tanquam ſis Deus.* Præceptum tuum ſervari vis, non verbo, ſed re; Dei præceptum verbo quidem egregiè, re nihil, ſervari curas. Non mihi, Viri Chriſtiani, ſed veritati credite, Transgreſſione præceptorum Dei potuiſtis videre ſedere Pontifices neque valdè commoveri, Transgreſſione præceptorum ſuorum ſurgere Pontifices, conturbari curiam, clamorem tolli; *I lictor, mitram impone, colliga manus, virgas expedi, detrude in ignem. Gulæ*, inquies, *peccatum eſt indignum.* Non negamus. Hîc tu reſponde. Bonus vir inops atque egens ſuo commodo die Veneris hœdinam comedit, damnatur: Ii, qui exquiſitiſſimis epulis, conchiliis, & omni genere piſcium non vulgarium menſas extruunt, adorantur. Quæ hæc eſt, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, audacia & inſcitia helluonum. Hic ubi opus eſt non verentur, illîc ubi nihil opus eſt ibi verentur. Multa eſſent dicenda, Principes Chriſtiani, quæ ne moleſtus ſim prætereo. In uno

Deut. 20.

2 Theſſ. 2.

præcepto Pontificum de eſcis pluſculum ſum moratus, ut reliqua, quæ magno hominum incommodo invexerunt Pontifices iſti, ſingillatim à vobis pro prudentia & pietate veſtra perpendantur. Sunt enim infinita propè & multò his, quæ diximus, graviora, quibus miserè onerarunt populum Dei: Qua de re Petrum audite clamantem; *Nunc ergò, quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque nos neque patres noſtri portare potuimus; ſed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari quemadmodum & illi.* Ob id etiam Paulus Apoſtolus; *Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret.* Et alibi; *Pretio redemti eſtis, nolite fieri ſervi hominum.* Omitto, quod manifeſtè jubet, *non eſſe judicandos in cibo & potu.* Quibus ſententiis commoneri & contineri non potuerunt Pontifices Romani, ut adimpleretur quod de hoc ipſo fuerat prædictum à Jeremia Propheta; *Poſuerunt offendicula in domo, in qua invocatum eſt nomen meum ut polluerent eam.* Nunc ergò tanto conventu hominum & frequentiâ expedit, ut ſolo ſolo æquentur præcepta Pontificum, ut caput tollere Chriſtiana libertas poſſit, niſi fortè expectamus, ut qui nos à lege Moyſis ſuâ morte redemit iterum crucifigatur, ut redimat à lege Pontificum. Epiſcoporum erat non onerare præceptis propriis Eccleſiam Dei, non pugnare cum Evangelio & monitis Apoſtolorum; Si quædam pia videbantur, de quibus non erat præceptum à Domino, commonere & fraternè hortari poterant, Paulumque imitari dicentem; *Præceptum Domini non habeo, conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis.* Nunc ubi vel inſcitia vel audacia elati iſti Pontifices, libertatis Chriſtianæ nullâ ratione habitâ, graviſſimis præceptis oppreſſerunt populum

Marginal references: Act. 15. Gal. 4. 1 Cor. 7. Jer. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

pulum Dei, reſiſtere ac repugnare tandem vos Principes Viri debetis, neque recuſare ſudore & ſanguine Chriſti partam vobiſque traditam libertatem piè, ſanctè & auguſtè defendere.

RECITA CAPUT QUINTUM.

Non dubitant, qui Spiritu DEI aguntur, Spiritum ſanctum locutum eſſe per Paulum Apoſtolum, cujus Euangelium ſanctum eſt. Itaque, qui Pauli inſtituta rejiciunt, Spiritum ſanctum rejiciunt, in quos adhuc clamat Apoſtolus, An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſtus? Hujus Apoſtoli doctrinam & inſtituta ita ſuſtulerunt Pontifices Romani, ut qui eorum ſedem Apoſtolicam appellent, quòd Pauli doctrinam ſequantur, dicant malum bonum & bonum malum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.

Teſtimonii cap. V.

1. Cor. 13.

NOn poſſum non mirari vehementer tanta audacia fuiſſe homines, ut iis, quæ divino teſtimonio ſancta & firma eſſent, manus inferre, & jura divina confundere, & in cœlum os ſuum ponere non ſint veriti. Qua in re quid in cauſa fuiſſe dicemus niſi prudentiam hominum? quæ, niſi probè ſe norit quam ſit infirma & tenuis, tàm eſt temeraria tamque audax, ut facilè efferatur in Deum. Hinc illæ cogitationes quorundam impietatis & ſuperbiæ plenæ, qui nonnulla vel fruſtra vel ad perniciem producta fuiſſe à Deo

Declaratio Teſtimoni. V.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

queruntur, quaſi ipſi ad rerum temperationem ſediſſent, multa melius fuiſſent diſpoſituri. Horum certè ſunt quam ſimillimi, qui Spiritus Sancti inſtituta per Apoſtolum non ſunt veriti reſcindere. De quibus Irenæus egregiè: *Deſerti*, inquit, *igitur cùm ſint à paterna dilectione, & inflati à Sathana, abſtiterunt ſententiis ab eo, qui eſt Deus, & putaverunt quod à ſemetipſis plus inveniſſent quam Apoſtoli, ſe autem ſynceriores & prudentiores Apoſtolis eſſe.* Qua de re Auguſtinus: *Opus eſt*, inquit, *miteſcere pietate, neque contradicere divinæ Scripturæ ſive intellectæ ſive non intellectæ, quaſi nos melius ſapere meliuſque percipere poſſimus; ſed cogitare potius & credere, id eſſe melius & verius, quod ibi ſcriptum eſt, etiamſi lateat, quàm id quod nos per nos metipſos ſapere poſſimus.* Utinam perpendiſſent hæc Pontifices Romani. Non enim auſi eſſent commutare, antiquare, evertere inſtitutiones Pauli, quaſi ſapientiores. Utinam vel legiſſent, quæ colligunt, in principio earum inſtitutionum, omnes propè interpretes. Nam cùm ſic eſſet exorſus, *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundum imperium Dei* commentatur Chryſoſtomus; *Porro ubique dum ſcribit Apoſtoli nomen adjungit, ut audientes erudiat, ne humana eſſe exiſtiment quæ dicuntur. Secundum imperium Dei* commentatur Anshelmus *non ſecundum ſuam præſumtionem: qui ergo ei reſiſtit, imperio Dei reſiſtit.* Theophilactus inquit, *cùm legem de conſtituendo Epiſcopo & Diacono ſit Timotheo daturus, ſe ipſum Apoſtolum nuncupat, ut ſuis dictis faciat fidem, perinde ac ſi dicat; neque enim quæ mea ſunt loquor, ſed ejus, qui me ut Apoſtolus ſim deſtinavit: Cavendum itaque ne mea hæc juſta prætereas; neque enim hanc ipſe mihi arripui dignitatem, ſed Domini, inquit, defugere mandata non queo.* Quorſum vero interpretum teſtimonia? Nihil his valdè opus eſt. Clamat Apoſtolus, *An experimentum quæritis*

Irenæus adverſus hæreſes Valentini lib. 3. cap. 12.

Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 1.

1 Tim. Chryſ. in epiſt. ad Timoth.

Anshelmus in epiſt. ad Tim. 1.

1 Cor. 13.

tis ejus qui in me loquitur Chriſtus? Quid ergo eſt? Spiritus ſanctus dicit per Apoſtolum; *Melius eſt nubere quàm uri.* At traditio Pontificum: *Damnabile eſt voventibus velle nubere.* Itaque prohibentur etiam ſi urantur. Erudit Paulus in Spiritu ſancto Timotheum, monet, rogat ut denunciet, ne quis aliter doceat quàm ipſe per imperium Dei conſtituit de Epiſcopo conſtituendo & Diaconis. *Oportet*, inquit, *Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, unius uxoris virum, ſobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui benè præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate: Diaconi ſint unius uxoris viri, qui ſuis filiis benè præſint & ſuis domibus.* At traditio Pontificum: *In conjugio conſtitutus in ſacerdotium aſſumi non debet.* Unius uxoris virum in Epiſcopatum aſſumi non debere diligentiſſimè eſt obſervatum multis ſeculis. Sed bene ſæpè aſſumti ſunt in Epiſcopatum non modò qui illis ornamentis careant, quæ ineſſe jubet Apoſtolus, ſed etiam extra modum reprehenſibiles, ebrioſi, impudici, inhoſpitales, imperiti, vinolenti, avari, multarum concubinarum viri, filios habentes impuros & in omni vita inquinatiſſimos & infames. Spiritus ſanctus per Apoſtolum aſſerit: *Vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier; uxori vir debitum reddat.* Traditio Pontificum: *Presbyter uxorem ſuam quaſi ſororem diligat & quaſi hoſtem fugiat. Id verò non intelligi poteſt ex conſenſu ad tempus.* Quid hoc eſt ſi inſtituta Apoſtoli evertere non eſt, ut firmentur traditiones Pontificum? Quid clamas Paule? Nempe ſi Pontifices Romani credidiſſent Chriſtum Dei ſapientiam in te locutum, nunquam fortaſſe tua inſtituta ſuſtuliſſent, ſi quæ in Epiſtolis ſcribis fuiſſent arbitrati eſſe ex Spiritu ſancto, qui eſt Spiritus veritatis, Spiritus intellectus, putaſſent,

1 Cor. 7.

Decreti parte prima diſt. 27.

1. ad Tim. 3.

Decreti parte prima diſt. 28.

1 Cor. 7.

Decreti parte prima diſt. 35.

credo, ea omnia objecta quæ adducuntur, ſapientiam Dei & Spiritum ſanctum, dum in te is loqueretur, non ignoraſſe. Cùm itaque tàm temerè tua inſtituta ſublata videam, illud eſt conſectarium, ut opiner, non crediddiſſe illos, te per

Ad Tim. 1.

imperium Dei, ut tu aſſerebas, ſed per prudentiam humanam ea locutum, in qua cùm illi ſeſe longè latéque ſuperiores exiſtimarent, quid eſt

Siritius Papa in Epiſtola.

quod veriti ſint in hæc prorumpere? *Quod dignum & pudicum & honeſtum eſt, ſuademus* (parum hoc fuiſſet, niſi aliquando addidiſſent, *volumus, jubemus, præcipimus*) *ut ſacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non coëant.* Quaſi verò indignum, impudicum, inhoneſtum eſſet, quòd in te loqueretur Chriſtus, dum ea inſtitueres, Apoſtole ſanctiſſi-

Verba Siritii Papæ.

me. O blaſphemias! *Hortor*, inquit, *moneo, rogo ut tollatur hoc opprobrium: Sacerdos utique omni momento paratus eſſe debet, munditiæ pietate ſecurus, ne aut ſacrificium offerat, aut baptizare cogatur, qui ſi contaminatus eſt carnali concupiſcentia, quid faciet? excuſabit? quo pudore? qua mente uſurpabit? qua conſcientia? quo merito hic exaudiri ſe credet?* Hæc Siritius. Miſeret me atque pudet hujus Epiſcopi. Nam quæ eſt hæc ſcriptorum ſacrorum inſcitia & perverſa interpretatio? illud, ut ſint unius uxoris viri Epiſcopi, non tollit, quin poſſint eſſe ſancti. Et damnatiſſima hæreſis eſt eorum, qui putant matrimonium eſſe inquinationem. Annon Dæmoniorum eſt doctrina, quæ prohibet nubere? Caſtum conjugium ita Deo eſt ac-

1 ad Tim. 4.

ceptum, ut plerique omnes affirment reputari à Deo in Sacramentum. Uſus ad generationem legitimus, ſolutio conjugalis debiti uxori, nónne ſunt ex præcepto Dei? ô homo tu quis es, ut ſtatuas in peccatum, quod Deus ſic commendavit ut cenſeatur inter Sacramenta? *Cogitationes*

Eſa. 55.

meæ non ſunt ut cogitationes veſtræ dicit Dominus. Quid tu extimeſcis Siriti? Inniteris, ut verè dicam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

cam, prudentiæ tuæ, & ſuper pectus tuum gradieris, Et, veluti Sara, ad verba Domini rides occultè: Quid contaminatum & immundum dicis, cùm ipſe, quod in te optimè intorquetur, aſſeras omnia munda mundis? per Chriſtum tamen intellige, non per nos, ut tu fortaſſe arbitrabaris, ut merita neſcio quæ humanæ infirmitatis extolleres. Sed ego ad rem. Paulus ſi quando in ſermonem incidit, prædeſtinationis ipſo nomine exultat, quodque ex ea magnum imperium, præpotens dominatus Dei, ſolidum gaudium Electorum oſtenditur, ſeriò triumphat, tollit eam in cœlum, neque ſua commendatione contentus adhibet teſtimonia Prophetarum. At Romani Pontifices ejus prædicationis ſempiterni hoſtes, nomen prædeſtinationis tàm frequens tamque ſolenne in ſcriptura divina oderunt, & ſine offenſione audire non poſſunt, atque in ea re, quod mirêre, dicunt aures ſe habere pias. Paulus non ex lege & operibus juſtificari hominem apud Deum contendit quaſi athleta fortiſſimus, fidem effert omnibus laudibus, eamque reputari ad juſtitiam proponit gentibus & nationibus. Is ſermo durus eſt Pontificibus Romanis & ſcandalum. Paulus infirmitatem noſtram exponit, neque cogitari quidem aliquid ex nobis poſſe affirmat. At Pontifices Romani neſcio quod arbitrium liberum cum aſſeclis commentati vires humanas extollunt, neque curant vulgus omne in Pelagii blaſphemias ruere. Merita hominum extenuat Paulus, paſſiones hujus ſeculi minimè dignas ad futuram gloriam oſtendit. At Pontifices Romani cum aſſeclis, neſcio quid de congruo & condigno commentati meritorios actus eliciunt, & meritorum magnitudinem ita prædicant, ut ex his mercimonia ampla ſint conſtituta, & publicè nundinentur. Propoſita veritate & luce Evangelii legalia & umbras rejicit Paulus, dierum, menſium & annorum obſervationes declarat, obteſtatur non

Gen. 18. | Paulus ubique. | Paulus ubique. | 2 Cor. 3. | Ad Rom. 8. | Indulgentiæ, confraternitates & hujusmodi cæteræ. | ad Gal.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Ponti-ficiale. Cere-monia-le. Ratio-nale. Miſſale. Paſto-rale. Ad Col. eſſe repetendas. Harum reductione & imitatione ità Pontifices Romani ſunt delectati, ut impleverint magna volumina umbrarum legalium & ceremoniarum. Invehitur Paulus in eos, qui angelos mediatores inter Deum & homines aſſerebant, quòd in veteri lege aliquid erat quod deferri preces noſtras per illos ad Deum commonebantur: Hac cauſa Epiſtola ad Coloſſenſes ſcripta eſt, in qua apertè refutat illorum commentum, monetque non niſi unum eſſe mediatorem Dei & hominum Chriſtum. Pontifices Romani non modò angelos ſed animas ſanctòrum hominum exutas corpore præter Chriſtum mediatores interceſſoreſque eſſe contendunt, quod eſt interponi inter nos, & Deum, quibus (ut illi loquuntur) mediantibus & intercedentibus nobis reconcilietur, & in eos, qui unum, unum Chriſtum affirmant pro nobis aſtare vultui Dei, patronum, advocatum, interceſſorem, ſæviunt univerſos. Quæ omnia magno ſtudio, incredibili diligentia oppugnantur à Pontificibus Romanis, advocatis etiam ſcriptoribus undique eloquentiſſimis & defenſoribus pugnaciſſimis, qui dibaphum, qui hyacinthinam veſtiant, magnis propoſitis præmiis, quòd doctrina Pauli (huc omnia ſpectant) ad quæſtum Pontificum Romanorum, ad firmandos cenſus minimè ſit accommodata. Sed ut ego jam me his expediam, Paulus

1 ad Tim. 4. monet manifeſtè, *Spiritum dicere diſceſſuros quoſdam de fide, & auſcultaturos ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum prohibentium nubere & abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus;* Hortatur Timotheum, ut hæc doceat; Addit; *hæc proponens fratribus bonus*

1 ad Tim. 4. *eris miniſter Chriſti Jeſu.* Nos hæc proponentes fratribus appellamur hæretici, cogimur in vincula, virgis cædimur, detrudimur in ignem. Crudeliſſimi Neronis & Diocletiani ſunt exempla iſta, Romane Pontifex. Liceat mihi in te Hilarii illa repe-

repetere, ubi in nos ſervitia ſilent & tormenta ipſa defeſſa ſunt; *Contra Deum pugnas, contra Eccleſiam Dei ſævis, ſanctos Chriſti occidis, religionem tollis, tyrannus non jam humanorum ſed divinorum Chriſtianum te mentiris. Chriſti hoſtis vetus es, condis fidem contra fidem, doctor prophanorum, everſor piorum, divitias ad terrorem Eccleſiæ Chriſti diſponis, ad labem, ad pernitiem, imperitos rerum ad impietatem compellis, non trudis in carcerem ad libertatem ſed intra palatium honoras ad ſervitutem, multis non gladio caput deſecas ſed animum auro occidis, ſubrepis nomine blandienti, illudis ſpecie religionis, Chriſtum confiteris ut neges Chriſti fidem, Chriſti mendax aſſertor evertis unitatem, procuras ne pax ſit, hæreſes comprimis ne Chriſtiani ſint, ſacerdotes honoras ne ſint Epiſcopi.* Hæc, quæ ille in alium, percommodè ego in te, Pontifex Romane; quòd indigniſſimum ſit, per eum Epiſcopum, quem nonnulli præſidem Apoſtolicæ doctrinæ cuſtodemque eſſe voluerunt, Apoſtolicis inſtitutis impudentiſſimè ſublatis Apoſtolicam doctrinam eſſe everſam. Ex Hilario.

RECITA CAPUT SEXTUM.

Pontifices Romani non ſunt veriti reſcindere verbum DEI, ut firmarent traditiones hominum, quos in Spiritu vidit Propheta Jeremias dicens: Et prævertiſtis verba Dei viventis Domini exercituum Dei noſtri. Teſtimonii cap. VI. Jer. 23.

ETſi ex iis quæ diximus in obſcuro eſſe non poteſt, Chriſti Spiritus loquentis in Paulo nullam habitam fuiſſe rationem, & propterea indigniſſimè reſciſſum verbum Dei, ut firmarentur traditio-

ditiones & mandata hominum: tamen ut audacia
2 Theſ. 2. & impietas ejus oſtendatur, *quem Dominus Jeſus interficiet Spiritu oris ſui, & illuſtratione adventus ſui*, pauca ſuggeram quibus teſtimonii veritas comprobetur. Deus per Moyſen famulum loquitur, repetit per Chriſtum filium: *Honora patrem tuum & matrem tuam ſicut præcepit Dominus Deus*
Ex. 20. Deut. 5. Mat. 15. Eccl. 3. Marc. 7. Col. 3. Eph. 6. *tuus.* Quamobrem tales filios jubet eſſe in parentes ut illorum ætas ingraveſcens, in officio & pietate acquieſcat liberorum. Ex traditionibus à Pontificibus Romanis probatis & firmis propter vitam monaſticam ſancitur, ut liceat homini, immò verò expediat, parentes, fratres, ſorores, liberos, relinquere. Decepti ſunt qui hoc tradiderunt, veluti Euſtathius, à quo, etſi damnato, cuculati multa accepiſſe videntur, falſa ejus dicti interpretatione quod adducunt:
Ex Concilio Gangrenſi. Matt. 19. *Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut ſorores aut patrem aut matrem aut uxorem aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.* Quod eò eſt dictum, ſi pro Chriſto filio Dei aſſerendo defendendóque ejus Evangelio, neceſſe ſit quempiam omnia relinquere, ita ſeſe accingere debet homo Chriſtianus, ut neque periculi impendentis metu neque dilectione rerum ſibi chariſſimarum ab aſſertione Chriſti, à defenſione Evangelii abducatur. Hoc illud eſt:
Luc. 9. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet illam.* Quod ſi parens tibi ſit aut frater aut propinquus, qui de Chriſto malè ſentiat, tibique eam ob rem ſit iratus, teque accuſet, curétque aut de medio tollendum aut abducendum à Chriſto, relinquendi ſunt potius illi, quàm Chriſtus deſerendus. Eam ob rem dixit Dominus;
Mat. 10. *Non veni pacem mittere ſed gladium, Veni enim ſeparare hominem adverſus patrem ſuum & filiam adverſus matrem ſuam; & inimici hominis domeſtici ejus.* At ſi pii tibi parentes ſint jam ſenio confecti

fecti, ſi ſorores nubiles, ſi fratres, ſi liberi Chriſtianè agentes & indigentes ope tua, non licet tibi abire in ſolitudines, ut agas vitam monaſticam & ocio langueſcas; multo ſudore ac labore, ut pietatem ſerves, pater, frater, liberi ſunt nutriendi, multo ſudore panis tibi & iis eſt comparandus, ut dicto Dei ſis audiens; quod, ſi pius es, mi frater, pluris facere debes quàm traditiones & mandata hominum, qui reſciſſo verbo Dei concinnunt: *Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus ubera, quibus te enutrierat, mater oſtendat, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem.* An id eſt quod declarat Apoſtolus? *Si quis autem ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit & eſt infideli deterior.* An hoc eſt quod præcipit Deus, *honora patrem tuum, per calcatum perge patrem?* At verò, quoniam vita monaſtica eo maximè commendatur quòd cœlibatum illa præ ſe ferat & colat, aliqua à nobis hîc etiam ſunt dicenda; qua in re extrema video quoſdam ſecutos. Nam qui virginitatem ita extulerunt, ut nuptias improbarent, magnoperè erraverunt; qui item nuptias virginitati prætulerunt, fecerunt indigniſſimè. Paulus ſanctiſſimus Apoſtolus laqueum injicere ſe nolle dixit, at conſilium ſalubre quidem dedit, ut unuſquiſque in ſua vocatione maneret. Solutus es neque in fornicationem te labi vides; ſat firmo corpore, firmiſſima mente, non accendi, non uri ſentis? Donum hoc non vulgare eſt mi frater, ex Deo ex Deo eſt, Non eſto ſuperbus, non immemor, non ingratus, Non hæc ſunt ex carne & ſanguine, ex Deo ſunt hæc munera, gratiæ Deo agendæ ſunt, Nam in vocatione, perſta in cœlibatu; Non tamen ex eo pii parentes & fratres deſerendi ſunt. Si ocium fugiendum eſt, non deerit ager vel alienus in quo defatigêre, ut ex iis quæ ſuperſint

Hieron. ad Heliodorum de vita monaſtica.

1 ad Tim. 5.

ſint Eleemoſynam des, *& omnia*, inquit Domi-
Luc.11. nus, *remittentur tibi.* An velut amica lutoſus amandari & ad clauſtrum tantummodò ali vis, ubi pane alieno victites, ocioſus, nunquam proximum adjuturus. Nam quod deprecatione iſthuc te facturum polliceris, potes æquè in villa atque urbe, more Pauli & cæterorum Apoſtolorum, quos imitari debemus. *At ſi ligatus es*,
1 Cor. 7. inquit Apoſtolus, *non eſt quærenda ſolutio, cuſtodienda uxor ſicuti & caro tua*; ſuccurrendum item fratribus, ſuſtentanda eſt vita patris & matris, piè educandi liberi, Eorum ratio tibi reddenda eſt veluti villicationis & hic & alibi. Nam quod documenta eam rem nobis voluit eſſe Apoſtolus in Epiſcopo deligendo, imprudenter fecerunt, qui ſignum de Epiſcopo & veluti experimenti genus non incertum ſuſtulerunt. *Filios habentem*
1 Tim. 3. inquit *deligere oportet cum omni caſtitate:* Ad quod
Concilium Carthaginenſe III. cap. 14. reſpexiſſe videtur concilium Carthaginenſe tertium: *Ut Epiſcopi vel Clerici ſuos filios à ſua poteſtate per emancipationem exire non ſinant, niſi de moribus eorum fuerint & ætate ſecuri, ut poſſint ad eos jam propria pertinere peccata.* At ſi quis in fornicationem dabitur, etiamſi in clauſtro ſit, ſi
1 Cor. 7. accendi ſi uri ſe ſentiat, *melius eſt* (inquit Apoſtolus) *nubere quam uri*: Ea remedia nulli hominum generi ſunt deneganda; ſiquidem ob id dictum, *propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxo-*
1 Cor. 7. *rem habeat.* Hìc magno numero cucullati & clerici, etſi propè omnes impuriſſimi & falſi cœlibatus involucro per quàm ſimiles ſint, ut dixit
Matt. 23. Dominus, *ſepulchris dealbatis, quæ de foris appareant hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia*; Clamant tamen & Apoſtoli dictum objiciunt: *Nemo militans Deo*
2 Tim. 2. *implicat ſe negociis ſecularibus.* Commentantur, per hæc verba Paulum mandaſſe, ut ſacerdotes conjugio abſtinerent, ne negociis ſecularibus impli-

plicarentur : Quaſi verò regnis inhiare, tyrannidem exercere, conflare bellum, hos atque illos detrudere de regnis avitis, in his ſpurios ſuos collocare aut cognatos, excitare reges, advocare Cæſares, conducere externas nationes, permiſcere omnia, perturbare bello provincias Chriſtianas ob regnum obtinendum, agere internunciis, legationibus ultro citróque, negocia ſecularia non ſint & mentes non implicent. Sed quoniam hæc ſunt ſanctiſſimorum Pontificum Romanorum propria, ad ea venio quæ ſunt eorum aſſeclarum. Quaſi verò ambitione titillari, ſubviridis pilei & roſei deſiderio ardere, & primam Cathedram in Eccleſia, ut Phariſæi in Synagoga, appetere, in faſtu illo per urbem incedere, palatia exædificare ad memoriam, piſcinas & ſepta ad gulam, equos alere & canes ad voluptatem, & ſexcenta parare ut in omni luxu vivant, negocia ſecularia non ſint & mentes non implicent. Conjugium unum negocium ſeculare eſt. Quanto melius ex hoc ipſo colligit concilium Carthaginenſe tertium, non caſtum conjugium ſed divitiarum curam & ardorem avaritiæ ab Epiſcopis & Clericis ex ſententia Apoſtoli eſſe abigendum. *Ut Epiſcopi*, inquit, *& presbyteri & diaconi vel clerici non ſint conductores neque procuratores, neque ullo turpi lucro vel inhoneſto negotio victum quærant; quia reſpicere debent ſcriptum eſſe: Nemo militas Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.* Et Carthaginenſe quartum: *Ut Epiſcopus vilem ſupellectilem, ac menſam & victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ authoritatem fide & vitæ meritis quærat.* Non loquor ad ſenſum Epiſcoporum noſtrorum; fateor; Ex Pauli Apoſtoli ſententia loquor, quam ſi ſecuti fuiſſent Pontifices Romani, non in hos abuſus abiiſſet Eccleſia. Audite vos obſecro, Principes Chriſtiani, Paulum Apoſtolum, ubi Epiſcopi nolunt audire. Scribit is ad Timotheum

Concil. Cartha. 3. cap. 15.

Concil. Cartha. 4. cap. 15.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Epiſcopum de Epiſcopis, qui & quales eſſe debeant, ut Deo militantes non implicentur negotiis ſecularibus. *Hæc doce & hortare, ſi quis aliter docet non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri*
1Tim. 6. *Jeſu Chriſti.* Quanti id eſt? *Si quis aliter docet non acquieſcit ſanis ſermonibus Jeſu Chriſti.* Pergit ſanctiſſimus Apoſtolus? *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* His, inquam, contenti ſimus. *Nam qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem; Radix enim omnium malorum eſt cupiditas.* Sunt hæc clariſſima, quæ vel ſatis eſſe deberent Epiſcopis, qui pro regno, pro cenſu firmando digladiantur & Apoſtoli dicta invertunt, veluti & illud: *Qui in carne ſunt Deo pla-*
Rom.8. *cere non poſſunt; Vos autem non eſtis in carne, ſed in Spiritu.* Quod non eò dictum eſt, ut conjugio ſit abſtinendum, ſed ne veluti carnei omninò ſimus, neve ſecundum carnis ſapientiam ambulemus, ſed in Spiritu. Nam ſi hoc eſſet *eſſe in carne*, uxorem habere, ut iſti dicunt, illud eſſet conſequens, neminem omnium qui uxorem habeat Deo placere poſſe: Chriſtiano itaque homini uxorem ducere fas non eſſet. Ecquæ commenta hæc ſunt? Pudet me horum Theologorum. Mala, inquiunt, ſunt opera carnis Eſt id profectò veriſſimum. At quæ ſunt opera carnis. Num caſtum conjugium? Num matrimonium ſanctum? Num thorus immaculatus? Minimè. *Sed forni-*
Gal. 5. *catio*, inquit Apoſtolus, *immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates & his ſimilia?* quæ in homine Chriſtiano eſſe non debent. Hæc ſi, ut par erat, fuiſſent expoſita & illuſtrata, non in Clauſtra refugiſſent multi veluti abhorrentes à
Gen. 9. præcepto Dei, quod eſt *Creſcite & multiplicamini.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Itaque perſuadendum erat iis, quibus illud virginitatis munus à Deo non erat conceſſum, ad aliud ſeſe eſſe vocatos, quod ſi pudicè ſervarint, Deo fore acceptiſſimos, dignosque ut ad omnes gradus ad omnes honores provehantur, modo curent ut conjugali Sacramento creſcant, & Domino legitimè multiplicentur, familiæ benè præſint. Nunc ſi quis fiat Epiſcopus vel Presbyter ex iis qui uxorem habeant, cœlum & terra miſcetur: Epiſcopus ſine uxore, ſi in omne genus vetitæ libidinis ruat, toleranter fertur: Si quis, ut cucullatus fiat, parentes, fratres, liberos qui in egeſtate ſint relinquat, pius habetur; At ſi jam ſenio confectis propè parentibus, ſi fratre mortuo, filiis ſuperſtitibus, infirmiſſima ætate ut miſeros ſuſtentet ac alat, à clauſtro in patriam domum redeat, Apoſtata eſt & ſacrilegus appellatur, Si in cucullatorum manus venerit, authoritate eâ, quam habent à Pontificibus Romanis, in vincula conjicitur, afficitur ſuppliciis crudeliſſimè, ut illud ſit in comperto: À Pontificibus Romanis ut firmarentur traditiones hominum reſciſſum eſt verbum Dei.

RECITA CAPUT SEPTIMUM.

Arroganter fecere homines & perversè, qui Chriſti præcepta conſilia appellarunt, ut eo verbo minus adſtringi videamur; ſanctiones autem Pontificias præcepta dici voluerunt: cùm contrà, humana illa conſilia & commenta erant appellanda atque habenda, divina verò hæc, quibus veriſſimè ſumus aſtricti, præcepta, de quibus non ego dico Teſtimonii caput VII.

ſed

Mat. 5. ſed Dominus: Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.

Declaratio teſtimonii VII. SI Chriſti mandata quædam, quod imbecillitate virium humanarum vix ſervari poſſe videantur, eò non ſunt appellanda præcepta, neque omnibus dicta ſunt, quid dicendum de præcepto Deut. 6. Dei per Moyſen: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua.* Num non omnibus eſt dictum? Quid de illo? Deut. 5. *Non concupiſces.* Num quod imbecillitate virium humanarum vix ſervari poſſe videatur, non erit præceptum? num non ad omnes ſpectat? Illa per Moyſen ſervari ſunt juſſa, hæc per Chriſtum, cujus mandata qui violarit, pollicetur ſe ultorem Deus. *Prophetam*, inquit, Deut. 18. *ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi; Qui autem verba ejus, quæ loquetur, in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam.* Quod ſi præcepta nihil aliud ſunt quàm mandata cujusquam præpotenti authoritate præditi, quibus non ſervatis pœna in transgreſſores eſt conſtituta, Ego quidem quod iſti dicant nihil video. Teſtimonium de authoritate Chriſti quærimus? dedit per Moyſen Pater ampliſſimum; proximè verò locutus eſt nobis in Heb. 1. Filium, *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi* Mat. 17. *benè complacui, ipſum audite.* Iis mandatis aſſignatis non pœna ſed pœnæ ſunt conſtitutæ, *quòd qui non ſervaverit, minimus vocabitur in regno cœlorum, quod reus erit judicio, quod reus erit* Mat. 5. *concilio, quod in carcerem mittetur, quod totum corpus ejus ibit in gehennam.* At verò in eodem capite habetur, *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis*

tis qui vos oderunt, Conſilium eſt; Quod ſequitur; *Mutuum date nihil inde ſperantes*, erit præceptum. Ex mutuo ſi quis teruncium acceperit, non eſt ferendum, Cætera ſi non ſervarit ſat poteſt ferri. Præceptum eſt ne quis uxorem dimittat exceptâ cauſa fornicationis: Quid ita? quia præceptum eſt à Chriſto: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Quicunque dimiſerit uxorem ſuam det ei libellum repudii, ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiſerit uxorem ſuam excepta cauſa fornicationis facit eam mœchari.* Hâc dicendi formulâ elicitur præceptum, Benè eſt. Perge: *Item audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua, ego autem dico vobis non jurare omninò.* Non eſt hoc præceptum? Quid ita? nonne eadem dicendi forma? nonne continuum eſt? non repetitum ab Apoſtolo Jacobo? Repetitum. Non tamen eſt præceptum, vel ſi præceptum, non ita intelligendum, ut omninò non liceat jurare. Orat hic ſervus Jeſu Chriſti, vos, Principes, in quibus habitat Spiritus Dei, ut neque humili neque levi de re audiendum & judicandum putetis. Nam quid hoc eſt? Quid querar? quò me vertam? Utinam mihi tale aliquod ingenium eſſet, aliqua dicendi facultas, ut impietatem iſtorum ſi non omni, aliqua ſaltem ex parte poſſem oſtendere! inſtituta Apoſtolorum ſublata ſunt, doctrina Apoſtolica everſa, reſciſſum eſt verbum Dei, quæ tanta iſta impietas conjuravit in divinum jus, ut iis rebus non potuerit expleri. Ea impietas ea impietas, niſi occurritis, Principes niſi reſiſtitis, rectâ ad evertendum Evangelium Chriſti recta proficiſcitur, Et quoniam prudentia humana inimica Deo eſt, cum ea hoſtes Chriſti ſocietate initâ, impietate duce, bellum inferunt Evangelio. Mirum quot tormenta quacunque potuerunt adduxerint, quot autores ex magnis commentationibus allegarint,

Luc. 6.

Matt. 5.

Jac. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

rint, ut terrâ marique oppugnetur præceptum Chriſti. Sed ego, ut belli hujus cauſam exponam, pauca dicam, Principes, quibus vos de tota re faciliùs judicare poſſitis & pro veſtra pietatè malo pernicioſiſſimo mederi. Prudenter non modò Judææ ſed & populi Græciæ veteres & Romani facere viſi ſunt, quòd juramentum in omnibus propè rebus adhiberent. Hinc juratos judices, juratos teſtes, juratos milites, juratos magiſtratus, juratum Senatum paſſim legimus, Et quid denique non juratum in ſingulis, quæ antiqui obibant tum publicè tum privatim, ut vel maximè jurisjurandi religione quæ penderent ex promiſſo firmiora eſſent? Indignum viſum eſt pro prudentia noſtris hominibus, tàm frequentem tàm ſolennem morem præcepto Evangelico omninò tolli; omnia meditati, omnia commentati ſunt, ne tolleretur ſolennis gentium uſus & conſuetudo, cùm tamen à Chriſto dictum meminiſſe poterant, qui hæc prævidebat ſic fore aliquando, *in vias gentium ne abieritis.* Alii non à juramento dixerunt Chriſtum præcepiſſe ut abſtineremus, ſed à perjurio. O miram craſſitudinem! ô ineptias ſingulares! Sic enim agunt, quaſi verba Domini obſcura eſſe poſſint. Extabat præceptum, ut à perjurio abſtineremus. Non hoc aſſumit Chriſtus ſed aliud & majus infert. Quid? *Audiſtis quia dictum eſt in antiquis non perjurabis, reddas autem Domino juramenta tua; ego autem dico vobis non jurare omninò.* An potuit dici clariùs, *quàm non jurare omnino?* Alii, quia hoc non valdè placebat, aliud commentati ſunt, Chriſtum non præcepiſſe per hæc, ne juraremus, ſed voluiſſe omninò, ut neque per cœlum neque per terram, quod eſt, neque per nomina angelorum, neque per angelos, neque per capita hominum aut creata reliqua, ſed per ipſum Deum juraremus. Eſt profectò hoc commentum illius Phariſaici

Mat 10. / Matt. 5.

ſaici quàm ſimillimum, quod improbat Dominus, qui ſua verba Lux mundi, Imago Dei, in obſcuro eſſe non patitur. *Stulti*, inquit; Quid hoc eſt? *quicunque juraverit in templo jurat in illo & in eo qui habitat in ipſo, & qui jurat in cœlo jurat in throno Dei & in eo qui ſedet ſuper eum*, Cum præcipit ergò Chriſtus, *non jurandum neque per cœlum, neque per terram, quia cœlum thronus eſt Dei, terra autem ſcabellum pedum ejus*. Præcipit non eſſe jurandum neque per eum qui in throno ſedet. Itaque ut Chriſtianè & Euangelicè nonnulli multis jam ſeculis docuerunt, & aliqui noſtris temporibus contendunt, Chriſtus vetuit omninò ſuos jurare. Quid dicitis Pontifices? non teneri præcepto Chriſti populos, an teneri? Nam quod omnia commoda noſtra, ſpem, ſalutem, vitam obtinemus à Chriſto, non puto vos apertè nobis ſuaſuros ut à Chriſto recedamus: Id quoniam clandeſtinis conſiliis, cum aſſeclis & collegis veſtris agitis, ut ſcilicet vos ſecuti recedamus à Chriſto, genus ejuſmodi hoc eſt, quod Principum animos excitare atque inflammare debet. Nam quod eo uſque vos diligitis, ut neminem dignitate exæquari patiamini, poteſt hoc, ſi velint homines, ferri; ſed quod præceptis Chriſti nolitis adſtringi homines ſed veſtris, hoc non eſt jam cum hominibus ſed exæquari cum Chriſto, imò verò & ſuperare & vincere velle: Id, ſi quid novi ego hos, Principes non ferent; qui quoniam non ut contemtores verbi Dei, ſed ut judices veritatis, pulcherrimè ſedent, recitemus omnia argumenta, quibus veſtri aſſeclæ per vos egerunt, non ut verum inveniretur ſed ut falsò abducerentur gentes & nationes.

Mat. 14.

Mat. 5.

Deus jurat: Ergò nobis licet jurare. Quanti eſt veritas, Principes, quanti eſt Spiritus Chriſti, nihil poterat adduci, quo ſenſus Domini magis eluceret *non eſſe jurandum* quàm hoc ipſum argumentum,

Argumentum primum adverſariorum.

tum, in quo, quoniam veluti ex præcedenti agunt
& conſequènti, quod Deus juret propterea & no-
bis liceat jurare, primum illud eſſet videndum ex
collatione qui nos homunculi ſimus, quis & quan-
tus ſit Deus. At ego quidem neque mearum vi-
rium tam malus ſum æſtimator tamque ignarus,
ut auſim eò ingredi, unde nulla unquam inven-
tura exitum oratio eſt. Tantum cum Propheta
Pſ. 23. Pſ. 88. colligam, *Domini eſſe terram ad plenitudinem ejus*,
Pſ. 134. *Domini eſſe cœlum & quicquid ubique eſt*, *Domini
eam eſſe potentiam ut quæcunque voluerit fecerit in
cœlo & in terra.* Quam contra ſit vis exigua vel
nulla hominum non crediderim ego melius uſquam
ex alio intelligi poſſe quam ex his verbis Domi-
Mat. 5. ni: *Non potes*, inquit, *non potes unum capillum
facere album aut nigrum.* Mira hæc virium exi-
guitas & impotentia, quæ propterea hic commen-
ſtrata eſt à Sapientia æterna Dei Chriſto ne om-
ninò juraremus, qui nihil habeamus quod juramen-
to interponere & polliceri poſſimus. *Si per cœ-
lum pollic:ris ac juras, cœlum*, inquit Dominus,
*thronus eſt Dei, ſi per terram, terra eſt ſcabellum pe-
dum ejus, ſi per Hieroſolymam civitas ea eſt magni
Regis; per caput*, inquies, *meum jurabo*, hoc *quo-
Mat. 10. que tuum non eſt: Nam omnes capilli capitis tui nu-
merati ſunt, neque ex his tam minimis capillum po-
tes facere album aut nigrum.* Quid ergo eſt, quod
tam magnificè poſſis polliceri, quod eſt jurare?
Ridicula ergo illa ſunt magni tamen cujuſdam
interpretis: *Cùm dicit quiſquam per meam ſalutem,
ſalutem ſuam Deo obligat*; quando dicit per filios
meos, oppignerat Deo filios ſuos: Quaſi hæc om-
nia non ſint Dei. Sed ego redeo ad argumenta
adverſariorum. Deus jurat. Noſtin' quare? quia
omnia unus novit, omnia ſunt ejus, is firmiſſimè
poteſt polliceri, is verè poteſt jurare, quia om-
nia novit, omnia quæcunque voluit fecit in cœ-
Pſ. 134. Gen. 22. lo & in terra. Nam per quid jurat? *Per memet-
ipſum*

ipſum inquit, juravi Dominus; quia ipſe unus eſt omnia in omnibus, ipſe ſibi regnat; tui autem filii tui non ſunt, immò verò *tu tuus non es, ſed Domino tuo ſtas aut cadis.* Cognoſce ergo quàm ſis exiguus vel melius ſine Deo nullus. Quamobrem, ait Dominus, *Audiſtis quia dictum eſt antiquis non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua; ego autem dico vobis non jurare omninò neque per cœlum quia thronus Dei eſt, neque per terram quia ſcabellum eſt pedum ejus, neque per Hieroſolymam quia civitas eſt magni Regis, neque per caput tuum juraveris quia non potes unum capillum album facere aut nigrum: Sit autem ſermo veſter Eſt Eſt Non Non; quod autem ab his abundantius eſt à malo eſt.*

Rom. 14.

Mat. 5.

Mat. 5.

At verò Apoſtolus Paulus juravit. Qui hæc dicunt, ſi ab interpretibus Græcis potius petant, quos linguæ Græcæ peritiores fuiſſe par eſt quàm à Latinis, paſſim legent, *Adſeverantis hæc ſunt Pauli non jurantis*; Hujuſmodi illa ſunt: *Quæ autem ſcribo vobis, Ecce coram Deo quia non mentior: Et Deus ſcit & teſtis eſt mihi Deus. Nam in eo quotidiè morior, per noſtram gloriam.* Nihil eſt tantoperè mirandum quod particula uſus eſt, quam Græci ſolent adhibere jurando. Tale quid eſt noſtrum per, quo utimur vulgò, cum firmiter aliquid volumus aſſeverare. Hac ipſa Græcorum voce noſtrum *Hercle & mediusfidius* neſcio quid eſt majus, quo tamen nonnulli noſtro quoque tempore utuntur: Eos ſi roges, dicent nihil à ſe longius abfuiſſe quàm per Herculem jurare: Significatum vetus receſſit, vox ipſa remanſit, quam veluti longo uſu tritam & noſtram eloquentes ſcriptores ad numerum orationis aptam non rejiciunt. Sicuti enim, cùm viam aliquam quotidiè imus ac redimus, ſingula, quæ pede terimus, non reſpicimus, ſed quàcunque pedes aptè ferunt incedimus, præſertim ſi in cogitando fuerimus occupati; ſic in progreſſu & filo orationis in ſingulis

Argumentum ſecundum Adverſariorum.

Gal. 1. Rom. 1. 1 Cor. 15.

Tale jurandi genus non rei aut negocii ſed moris & uſus eſſe Hermogenes contendit, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

[Margin: eſt frequens ſcriptoribus Græcis aſſeverantibus & non jurantibus ad venuſtatem orationis ὅρκος ἠθικὸς Hermogenes περὶ μεθόδου δεινότητος.]

gulis vocibus non inſiſtimus, ſed quæcunque opportunè nobis offeruntur, eas accipimus, ut ad majora quædam, in quibus totus eſt animus, veniamus; In minimis iſtis & in ſingulis literis atque interpunctionibus occupari, non modò Theologis, qui præpetis mentis hauſtus ex æternis illis mentibus ſequuntur, ſed etiam oratoribus antiquis puerile ac turpe fuit. Ex ſenſu Pauli nihil eſt quod pervertas præceptum Chriſti: Senſus enim ex verbis illis hic eſt apertiſſimus: Si Chriſtus non reſurrexit, ut quid nos periclitamur omni hora? *quotidiè*, inquit, *morior*, *næ gloria noſtra*, quæ ex reſurrectione eſt, de qua, inquit, quia non ambigo, omni horâ tot periculis me expono, ut quotidiè propè moriar, & libenter quidem, *Næ noſtram ob gloriam* ſcilicet reſurrectionis, quàm habemus in Chriſto Domino noſtro, in quo gloriamur, quia primus reſurrexit, ut certa eſſet fides noſtra, ſciremusque nos cum corpore, ut fecit ipſe, redituros aliquando eſſe in vitam. Nam quod quidam *per veſtram gloriam* legebant, potuit fortaſſe ea res eſſe in cauſa, ut putârint juraſſe Apoſtolum. Quòd verò idem dixerit; *Ego autem Deum teſtem invoco ad animam meam, quod parcens vobis nondum veni Corinthum.* Qui animadvertent Paulum hìc dicere

[Margin: 2 Cor. 1.]

in ea re Spiritu ſeſe agi atque actum, quòd cùm voluiſſet ad Corinthios venire tamen non acceſſerit, ut veteres eruditiſſimi interpretes colligunt, nullum alium ſenſum niſi hunc elicient: Ego autem quod Corinthum non venerim, ea fuit cauſa, ut vobis parcerem; teſtem invoco Deum & animam meam, quam deſiderium tenebat ut ad vos venirem, ſed contra Spiritus Dei nolebat; Anima mea itaque deſiderio tenebatur, ad eam teſtem invoco Deum, ad eam teſtis accedit Deus, cujus Spiritus noluit ut venirem, eâ cauſâ, ut vobis parcerem. Sæpè in iis, quæ ſcripta ſunt divi-

[Margin: Chryſoſtomus. Athanaſius. Theophilactus.]

divinitùs, dicitur anima deſiderare, ut: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Sonant ergò hæc propè idem apud Apoſtolum atque illa: *Ecce coràm Deo quia non mentior*; Et, *Deus ſcit*: Et, *Teſtis eſt mihi Deus*: quæ affectat Apoſtolus, cùm aliqua non ex ſe veluti ex ſe ſed ut ex Chriſti Spiritu ſolet aſſeverare. Sic enim hæc dicuntur à Paulo tanquam in præſentia Dei, cujus Spiritu agebatur: Quod ut melius quivis capiat, illud tractemus, quod eſt in Euangelio Johannis: *Dicit Simoni Petro Jeſus, Simon Johannis diligis me plus his? dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei iterum, Simon Johannis diligis me? ait illi, etiam Domine tu ſcis quia amo te. Dixit ei tertiò, Simon Johannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? & dixit ei: Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te.* Nunquid in his juravit Petrus? Nemo omnium eſt qui id dicat: nihil enim his verbis dici poteſt modeſtius: nemo tamen dubitat, firmiſſimè eſſe aſſeveratum: nam idem eſt, *tu ſcis, tu ſcis, quia amo te*, ac ſi dixiſſet, *Teſtis es tu, quia amo te*, & ſi dixiſſet, *quoniam tu ades, ecce coram Deo quia non mentior, & teſtem invoco te ad animam meam quia amo te*, aut ſi quid Apoſtolicè dici poteſt ſignificantius & firmius ad aſſeverandum. Omnia ergo, quæ apud Apoſtolum hujuſmodi ſunt, non jurandi cauſâ, ſed ea ratione dicta ſunt, ne cui dubium ſit, per imperium Dei eſſe dicta, cujus Spiritu plenus erat, in quo loqueretur Chriſtus. Quæ cùm ita ſint, nemo tàm audax eſſe debet, ut hæc tàm firmiter aſſeverantis Apoſtoli verba audeat uſurpare, niſi qui per imperium Dei Spiritu ſancto actus poſſit dicere: *Experimentum ejus quæritis qui in me loquitur Chriſtus.*

Pſal.41. Joh.21.

Venio jam ad argumentum illud, in quo, veluti in arce, adverſarii ſe putant conſiſtere, quòd in Epiſtola, quæ ad Hebræos ſcripta eſt, illa habeantur.

Argumentum tertium

adverſariorum. Heb. 6. beantur. *Homines enim per majorem ſui jurant, & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt juramentum.* Facilè quivis hoſce ex arce dejiciat, facillimè denique ipſa corruet arx, ſi capitis Epiſtolæ pluſculum quis admoveat. Non enim agit in ea Epiſtolæ parte Vir Dei, quòd liceat jurare, ſed ut veluti ab exemplo & more vulgatiſſimo hominum oſtendat promiſſionem quæ Abrahæ facta eſt firmam eſſe, quòd juraverit Deus. *Homines enim*, inquit, *per majorem ſui jurant, & omnis controverſiæ eorum finis ad confirmationem eſt juramentum: In quo ergò abundantius volens Deus oſtendere pollicitationes hæredibus, immobilitatem conſilii ſui interpoſuit jusjurandum.* Nam quod dictum eſt, *homines per majorem ſui jurant*, ubi adverſarii petunt, non erit ab re, ſi ea verba perpendamus, *Homines jurant.* Quid ea verba ponderis habeant ut ſciamus, ab Apoſtolo eſt ſumendum, expendente Aug. in expoſ. in Evang. Johan. tract. 1. 1Cor. 3. Pſal. 81. Auguſtino, cujus hæc ſunt: *Cùm enim dicitis, ego ſum Pauli, ego Apollo, nonne homines eſtis? quid eos volebat facere? Audite in Pſalmis; Ego dixi dii eſtis & filii excelſi omnes: Omnes ergò ad hoc vocat nos Deus, ne ſimus homines.* Ex quibus colligi poteſt, Apoſtolum hic per homines intellexiſſe gentes & nationes, apud quas vigeret hic jurandi uſus per majorem ſui, velut per primates & Regem, & quale illud eſt, *Per Meropis, Steropiſque caput*, aut quid ſimile, non Chriſtianos, quibus veluti opprobrii loco dicitur, *homines eſtis.* Sciebat Vir Dei, & confitentur iſti, ne per majorem ſui jurarent à Chriſto fuiſſe præceptum; non ergò dixiſſet, Homines Chriſtiani per majorem ſui jurant, cùm ita jurare aſſerant vetuiſſe Chriſtum & per Deum tantum jurandum dicant præcepiſſe.

Nam quod argumentantur: Erroneum eſt dicere juramentum in lege novâ ſimpliciter eſſe prohibitum, cùm in lege veteri licuerit. Quid? Si quis eorum verbis fretus dixerit: Erroneum eſt dicere divortium libello repudii dato in lege nova ſimpliciter eſſe prohibitum, cùm in lege veteri licuerit, num ferrent? Quid? Si ut Pſeudoapoſtoli poſſent dicere de circumciſione, Erroneum eſt dicere circumciſionem in lege Nova ſimpliciter eſſe prohibitam, cùm in lege veteri ea fuerit præcepta? Num ex eo concedenda eſt circumciſio? Hoc illud eſt, Principes Chriſtiani, quod principio querebar, æmulatione legis ſunt aliqui qui nos conturbant & volunt convertere Evangelium Chriſti.

Argumentum adverſariorum quartum.

Ii poſtremò, ut dicebam, initâ ſocietate cum impietate & prudentiâ, quæ Dei inimica eſt, ſic inſtant contra Evangelium: Ordo juris frequenter juramentum expoſcit, & quandoque utile eſt, quandoque neceſſarium, hominum commercia & principum fœdera juramento roborari. Hem quid id eſt? vox hæc ſonat Antichriſtum, Antichriſtum hæc vox ſonat, Principes. Nam quis non intelligat quid dicat? non debere ſervari præceptum Chriſti, ut ordo juris ſervetur, infirmari debere verbum Domini, ut Principum civitatúmque fœdera roborentur. Quis Chriſti uſque adeò eſt inimicus, qui iſta poſſit audire & perpeti? Hæc ſunt illa vulnera, quæ iis, in quibus aliquid Chriſti Spiritus eſt, non poſſunt tractari ſine dolore & gemitu. O conſilia diſſoluta & perdita hominum! vobis, Pontifices, habete regna, vobis cenſus, vobis honores, vobis cætera commoda & ornamenta, Nobis ſacrum, ſolemne, perpetuum, inviolatum relinquite Evangelium Chriſti. Quid hâc poſtulatione dici poteſt æquius? Sinite nos ſervire Deo noſtrò. Quid hoc dici poteſt humanius? Quod

Argumentum adverſariorum quintum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

eò dicimus, Principes, quod indigniſſimum ſit, Chriſtianum hominem, ſi quid nôrit in cauſa, ubi veriſſimè omnia quæ ſcit recenſuerit, evolverit, enumeraverit, invitum cogi ad jurandum. Quid ſi dicit Dominus, *Nolite jurare omninò?* Antichriſtus Papa denunciat, eo ipſo, quòd jurare nolint, ſunt habendi hæretici. Nolite putare quicquam à me fingi. Verba hæc ipſa Decreti ſunt Pontificii: *Eo ipſo quod jurare nolint ſunt habendi hæretici.* Hoc edictum publicè poſitum latumque eſt ſervarique juſſum multis ſeculis à Regibus Babyloniæ Romanæ, de quibus jure per Jeremiam conqueritur Dominus? *Verba mea non audierunt & legem meam projecerunt.* Quoniam verò dedit hoc mihi Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut omnia adverſariorum objecta facilè diluerim, illud quoque oſtendetur, quod objiciunt, tàm eſſe falſum quàm quod maximè.

Decreti parte ſecunda Cauſa XX. Quæſt. 1.

Jer. 6.

Civile & commune bonum ſine juramento non poſſe ſtare. Contra ego dico civile & commune bonum cum juramento ſtare non poſſe. Quoniam Chriſtus ipſe mihi facit animum, facilè probabo, omnia melius agi poſſe ſine juramento. Nam ſi, quid ſit in judiciis juramentum, expendamus, veriſſimè dicemus, juramentum ſicam eſſe expeditiſſimam in manibus malorum contra bonos. Eos malos appello, quos neque amor in Deum, neque metus ex præceptis Dei cohibere poteſt à malo: Hi, nolite quærere, quàm facilè pecuniâ, promiſſis, privato commodo à veritate abducantur, modò putent reſciſſum iri non poſſe, modò impunè facere, nihil eſt quod teſtimonium non divendant, non dent mutuum, non donent pro gratia ſibi concilianda civium potentiorum contra tenues & miſeros homines, mirum præterea odium, incredibilis invidia, magnæ inimicitiæ

Argumentum ſextum adverſariorum.

ſæpiſ-

ſæpiſſimè latent in hoc hominum genere. Quamobrem nihil eſt melius, quàm ſi hic mucro, quo ſe ipſos confodiunt ac jugulant, de eorum manibus extorqueatur. *Eſt enim*, ut inquit Vir Dei, *jaculum*, *gladius*, *& ſagitta acuta*, *homo*, *qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium.* Prov. 25.
Quid? Ergo, inquient, teſtium uſus eſt tollendus? Non ego id dico. At aliquam rationem excogitandam puto, quâ commune bonum fiat auctius & præceptum Chriſti firmiſſimè ſtet, *Ne juretur omninò*. Nam in teſtimonio dicendo à bonis nihil neceſſe eſt petere juramentum; ſiquidem ſi boni fuerint, ſi non turpitudine mendacii, præcepto Dei vel maximè continebuntur, quod eſt: *Non loquaris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Exod. 20. Hoc mandatum ſi mali contemſerint, neque pœnæ æternæ propoſitæ metu, neque imperantis Dei majeſtate perterrebuntur, num juramento ſeſe continebunt? Quid ſi per civitates aliqui ſeniores deligantur viri ſpectatæ fidei, qui, veluti per annum cenſores, videant, ſi quando teſtimonium eſt dicendum, an qui teſtimonium eſt dicturus dignus ſit, ut ei fides habeatur, meliùs erit conſultum teſtimoniis dicendis, etiamſi nullum interceſſerit juramentum? Ejus loco placeret, ut is ſenior, qui Eccleſiæ præeſt, commoneret eum, qui teſtimonium eſt dicturus, ut in memoria habeat Exod. 20. propoſitum eſſe præceptum Dei, *ne falſum teſtimonium loquatur*, ſtandum pro ea re non multos poſt annos ante tribunal Chriſti ſeveriſſimi judicis, proinde eo teſtimonio non agi tantum de re proximi quantum de dicentis teſtimonium ſalute. Pœnæ interim ex civili jure poſſent conſtitui, ut, ſi conſtiterit aliquem falſum teſtimonium dixiſſe Pontificum Romanorum bullâ emtâ, ut turpiſſimè fit, non poſſit pœna ſublevari, ſed ut is in civitate omnis honoris ac muneris

ſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſit expers, & æquè index, qui litem ſuam fecerit, & patronus, qui ſit prævaricatus, & is, qui teſtimonio aliquem circumvenerit, veluti cauſæ adverſarii addictus & judicii periculum & primam ſortem & litis æſtimationem præſtare debeat. Pro commerciis hominum quod objiciunt, nihil juramento opus eſt. Optimè enim caveri ſcripto & viris idoneis advocatis poteſt. Civitates verò, ſi quid inter ſe tranſigunt, ſi quid metuunt non ſervatum iri; magnorum hominum fidem accipere & obſides inter ſe dare poſſunt: Quò juramentum ad hæc non accedet, eò agetur meliùs, quòd multa excogitabuntur, quibus firmiora ſint promiſſa, & perjurio nullus ſit locus; ſiquidem naturâ ita conſtitutum eſt, ut id potiſſimum quiſque curet; in id animum intendat, quod ſibi bono eſt. Quamobrem, qui ab officio diſcedere vult, facilè cauſam repererit, vel ex jure naturæ vel gentium vel fortaſſe divino, quæ cauſa juramento aliquo, quod jurarit, ſe non putet teneri. Non deerunt, ſicuti nec defuere unquam, aſſentatores Leguleji vel Sophiſtæ, qui perſuadeant, eaque adducant, ut quod volumus facilè credamus, non teneri nos juramento. De Principum fœderibus nihil dico. Neque enim eſt dubitandum, Chriſtianos Principes optimè conſulturos, ne minuatur majeſtas præceptorum Chriſti eorum cauſâ, qui quantum imperio & dignitate tantum fide cæteris præſtare debent, cujus inprimis regium eſt ſummam habere rationem cùm fidei obſervatione, quâ nihil eſt ſanctius, tùm boni nominis cauſâ ad poſteritatem, tum quòd in excelſo atque illuſtri loco ſunt conſtituti, ut nobis exemplo ſint pii, felices, Auguſti Principes, à quibus omnia bona ſunt expectanda, idque præcipuè, ut in ſingulis præceptis Chriſti reſtituendis ſtudium, diligentiam, curam adhi-
beant

beant dignam animis tantorum Regum, ut diſci-
plina Chriſtiana ad priſcos redintegretur mores.
Eò enim perventum eſt operâ eorum, qui velu-
ti veneno illita quædam miſcuerunt Evangelio
Chriſti, ut vox illa non unius cujuſdam videa-
tur interpretis, ſed verè piæ & deplorantis Ec-
cleſiæ. *Vetat Chriſtus ne juremus omninò & pluri-* Eraſmus in Annotat Epiſt. ad Cor. 1. cap. 7.
*bus verbis inculcat; & tamen ob tris drachmas jura-
mus paſſim, ſic excuſantes, non eſt jurandum ſcili-
cet temerè. Vetat ille iraſci; mox ſubjicimus teme-
re. Vetat ille compellare quendam contumelioſius; nos
etiam colaphos impingimus, denique occidimus, &
excuſamus non lædendi ſed caſtigandi animo. Vetat
ille ne munus offeramus, nî prius reditum ſit in gra-
tiam cum fratre; excuſamus, ſi petat ille ignoſci,
& ſi ſatisfaciat. Vetat ire ad judices pro credito,
ſed rem tranſigi jubet cum adverſario; nos ob ſex obo-
los conjicimus proximum in vincula, & jure agere di-
cimur, immò definimus peccare eum & negligentiæ
reum agimus, qui jus ſuum hac via non perſequatur.
Vetat injuriam injuria retaliare etiam jure (nam an-
tiquitus retalionis pœna ſine judicio ni fallor non per-
mittebatur;) nos ob paucos nummos ſubductos hominem
ad ſuſpendium adigentes excuſamus, Jus perſequor non
vindictam. Vetat ille reſiſti malo; nos excuſamus, con-
ſilii eſſe non præcepti, licere nihilo ſecius vim vi repellere;
Et, ne ſingula perſequar, jubemur diligere inimicos,
bene mereri de male merentibus, bene precari male precan-
tibus; Excuſamus, Optabo inimicis meis mentem melio-
rem, ſigna familiaritatis non teneor exhibere. Poſtre-
mò communis excuſatio opponitur omnibus: Perfectis
hæc præcipiuntur, neque quiſquam interim ex tàm
multis, qui ſe perfectionis titulo venditant, agnoſcit
perfectæ pietatis profeſſionem, cùm exigitur officium,
ut iſta penè fruſtra dicta ſint à Chriſto.* Hæc ille.
Quæ veriſſima quidem ſunt, quibus bonorum a-
nimi maximè commoventur, quod commenda-
tionibus iſtis reſciſſum fuerit multis jam ſeculis
Evan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Evangelium ſanctum, imminuta majeſtas præceptorum, abductæ gentes & nationes à Chriſto, quem per Eſaiam, Principes, audire poteſtis his Eſa. 48. vocibus lamentantem, *Hæc dicit Dominus redemtor tuus ſanctus Iſraël, Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas. Utinam attendiſſes mandata mea; facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris, & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirpes uteri tui ſicut lapilli. Utinam attendiſſes mandata mea!* Quæ verba commovere vos debent, Principes, ut in hanc curam incumbatis. Dat nunc nobis Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut una hac ipſa re facillimè mederi huic malo poſſitis, una hac ipſa re, ſi hoc loco ad agendum ampliſſimo declarari curaveritis, divina conſilia Chriſti, ubi conſilia appellata ſunt, præferenda eſſe omnibus hominum ſanctionibus, ea denique ſacra ſolemnia perpetua eſſe præcepta filii Dei, quibus veriſſimè omnes ſimus aſtricti, ut ea declaratione vulgata, atque accepta ab omnibus gentibus & nationibus, quæ invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, illud ſit conſectarium, ut, ſi qui per donum Dei ea præcepta ſervaverint, magnas Deo gratias agant, per quem ſervarint, ſi non ſervarint, id ipſum dolentes, ubi vitam aliam inſtituerint, erecto animo gratias itidem agant, quòd per Spiritum ſanctum ſibi remiſſæ ſint iniquitates, ut ad lucem & ſplendorem gratiæ Chriſti & gloriam Dei omnes confiteamur infirmitatem noſtram & peccata noſtra, quæ tollens agnus Dei Chriſtus dilexit nos & ſeipſum tradidit pro nobis, ut uno ſanguine abluti, uno Spiritu juſtificati, ſimus omnes perfecti, non habentes maculam aut rugam. Quod ſi verum, ſi pium, Eph. 5. ſi ſanctum vobis videtur, Principes, erigite pietatem jacentem, tuemini Evangelium, proponite vobis ante oculos Chriſtum, imminuta præceptorum majeſtate humilem, contemtum, abjectum.

ctum, Id ſi quid vos tangit, declaratè jam ſententiis veſtris, neque imperia neque regna neque liberos neque vitam neque denique rem ullam majeſtate Chriſti vobis eſſe potiorem.

RECITA CAPUT OCTAVUM.

Hominum commenta, Pontificum decreta, Conciliorum ſanctiones, quæcunque ſcriptæ latæve ſunt contrariæ Euangelio Jeſu Chriſti & actis inſtitutisque duodecim Apoſtolorum, canonicis libris ſcriptis, Dæmoniorum doctrinam eſſe, neque potuiſſe ab hominibus conveniri in nomine Chriſti & congregari in Spiritu ſancto contra Chriſtum, dicente Domino, Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non congregat mecum, ſpargit.

Teſtimonii caput VIII.

Mat. 12.

ECcleſiæ cœtus, Synodi, Concilia, in quibus verè in nomine Chriſti conventum eſt, ſanctiſſima & firmiſſima ſunt & erunt ſemper, quorum authoritas ex eo colligitur, quod receperit Dominus; *Dico vobis, quod ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui eſt in cœlis: ubi enim duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quæ verba diligenter ſunt expendenda: habent enim plus ponderis quàm vocis. Nam his non benè acceptis, diſciplina Chriſtiana conciliorum licentiâ prolapſa eſt; iisdem optimè expenſis, à vobis, Principes, in quibus habitat Spiritus Dei, conciliorum ſynceritate facilè po-

Declaratio teſtimonii VIII.

Mat. 18.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

poteſt reſtitui. Conciliorum firmitudinem non facit locus, in quo convenitur: quòd indefinitè ſit dictum, *ubi duo vel tres congregati fuerint*, non magis Niceæ quàm Laodiceæ. Majorem minorémve numerum eorum, qui convenerint, non video, ut quidam putant, debere tantoperè expendi, cùm dixerit Dominus; *Si duo vel tres congregati fuerint.* Si ſexcenti, ſi mille, ſi duo aut tres fuerint, nihil refert, modò quod eſt ad firmitudinem concilii non deſit. Illud etenim eſt certiſſimum, concilia multa, in quibus incredibili hominum numero conventum eſt, ex Deo non fuiſſe; Cujuſmodi conventus ille magnus Regis Babylonii in ſtatuæ dedicationem. Talia propè infinita ut omittam, unum illud exempli cauſa ſatis erit. *Congregati ſunt Principes ſacerdotum & concilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent; Princeps autem ſacerdotum & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum.* Negabitne quiſpiam hoc ex Deo non fuiſſe? Hoc concilio non dubitate ſignificata fuiſſe, veluti certiſſimo typo & figura, concilia omnia, in quibus id agitatum eſt, ut aliquid à ſapientibus mundi excogitaretur pro firmandis hominum commentis, decretis & traditionibus, quibus reſciſſum fuerit verbum Dei, converſum Evangelium, imminuta majeſtas præceptorum Chriſti. Quæſitum eſt ſæpè falſum teſtimonium contra Jeſum, cùm congregati homines pro cupiditate explenda, dicam planius, vel avaritiæ cauſa, pro regno, pro ditione, pro cenſu, pro immunitatibus firmandis, vel ambitionis gratia, pro primatu, pro præeminentiis, pro prærogativis ſtatuendis, falſum teſtimonium quæſiverunt contra Chriſtum, mentientes ſe fuiſſe congregatos in nomine Chriſti, qui nihil minus juſſit, quàm pro hiſce rebus in nomine ſuo congregari eos, quibus illud dicebat, quos nedum harum rerum ſed ne cibi quidem aut veſtitus voluit ſol-

Dan. 3. Mat. 26. Luc. 12.

ſollicitudine teneri. Nam quod quidam expendunt verba Domini, *Dico vobis ſi duo ex vobis*, illud *Vobis* non eſt negligendum, quòd iis dicatur quibus dixerat, *Vos eſtis ſal terræ*, & cùm abiret ad Patrem de iis inquit, *De mundo non ſunt, ſicuti ego non ſum de mundo.* Quibus verbis excludi videntur omnes imperiti ſanctarum ſcripturarum & in cœno mundi obvoluti: quæ mirificè congruunt cum verbis Joëlis Prophetæ de concilio ſanctè peragendo. Ubi enim *Sanctificate Eccleſiam* dixit, ſubjunxit, *coadunate ſenes, congregate parvulos & ſugentes ubera.* Senes cogendos dixit, quòd homines id ætatis ſapientiæ plus & pietatis habere videantur; parvulos etiam cogendos & ſugentes ubera dixit, quòd ea ætas ſit purior, minus infecta pravis cupiditatibus, magis ignara malitiæ, ſuperbiæ & ambitionis omninò expers: Quam ob rem & Dominus Jeſus in medio diſcipulorum parvulum ſtatuens inquit, *Amen dico vobis, niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ex quo ſequitur, homines imperitos, impuros, infectos cupiditatibus, avaritia & ambitione ardentes, ſuperbia elatos, minimè idoneos eſſe ad conventus iſtos peragendos in concilii ſancti celebrationem. Quos verò & quales, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, hìc adeſſe video, non dubito dicere eo Spiritu adductos, ut pugnent pro traditionibus ſuis, ſeque cæteris præferant, unde & Prælatorum ſuperbiæ nomen ſibi ſtatuant, curentque ut omnia ad unum veluti ad eorum caput firmamentumque conflati regni cujuſdam deferantur, in quod regnum omnes adſpirent, quorum ſingulorum cupiditati nimis anguſtus orbis terrarum eſſe videtur. Dicent tamen ſe conveniſſe Chriſti nomine. Ii tàm audaces ſunt támque arrogantes, ut per Apoſtolos, non ſimplices purósque homines minimè cupiditatibus infectos & Chriſti

Mat. 15. Joh. 17

Joël 2.

Mat. 18.

gloriæ cupidiſſimos à Deo electos ante mundi conſtitutionem ſignificatos aſſerant, ſed ſeſe tantùm mitratos, ſuperbos, elatos, quorum typum, ut dixi, geſſerunt mitrati Pontifices, Scribæ & Phariſæi Hieroſolymani in Sathanæ cœno & mundi ſordibus, avaritiâ & ambitione, ſicut iſti hodiè, volutati. Sed ego ad rem. Illud enim, *in nomine*
Mat.18. *meo congregati*, omnia complectitur; omnia ex eo pendent; hoc eſt, ſi fideles homines in nomine Chriſti congregati ſint in Spiritu ſancto. Huic Spiritui Spiritus Mammonæ ex adverſo ſtat contrarius atque inimicus. Alter purus, ſimplex eſt atque integer, Dei gloriam præ ſe ferens, obſervator, laudator, illuſtrator beneficii ſanguinis Chriſti, defenſor doctrinæ & inſtitutionum Apoſtolorum: alter ſubdolus, multiplex, corruptus, gloriam incorruptibilis Dei in hominum aut alia-
Rom.1. rum rerum corruptibilium gloriam convertens, contemtor, detractor, obſcurator Evangelii, abrogator inſtitutionum & doctrinæ, quam per Apoſtolos ſuggeſſit Spiritus ſanctus. Habet uterque Spiritus ſua concilia & præfectos ſuos, *quos*
Mat.10. *ab operibus*, inquit Dominus, *cognoſcetis* non obſcuro ſigno. *Tradent enim vos in conciliis & ſynagogis ſuis, & flagellabunt vos.* Qua in re nolite putare defuiſſe illis involucrum falſæ pietatis, qua ſe Dei cauſa dicerent congregatos, quòd ſcilicet
Act.6. per concilia in eos ſævirent, qui ceremonias di-
Act.21. vinas confunderent, qui diſceſſionem docerent à
Act.5. lege Dei, qui nova doctrina Evangelii replerent civitatem; quibus rebus ſummi Pontificis & præfectorum Eccleſiæ, quam illi ſynagogam appellabant, authoritas & exiſtimatio minueretur. Hoc poſtremum, hoc poſtremum erat in cauſa, quo abducerentur ab ambitione veritatis. Ambitio ſcilicet, ſuperbia, avaritia, privati commodi ratio excœcabat, non oculorum ſenſum ſed mentis aciem, ne intelligerent, quæ ex ſcriptis divinitùs ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

adducebantur ab Apoſtolis in Evangelii defenſionem. Ad hæc accedebat prudentia humana, quæ Dei inimica iis, qui ad rerum temperationem ſedebant, perſuadebat, antiquos ritus, inveteratam conſuetudinem retinendam eſſe in civitate, nihil meliùs ad commune bonum, ad ocium, ad quietem civium quàm ſi quæ longiſſimo tempore fuerant recepta ea ſervarentur, in eo potiùs eſſe invigilandum, ne quid novi reciperetur à populis, unde diſſenſiones, tumultus, ſeditio facilè poſſent exoriri inter cives, in eos maximè animadvertendum qui non ambularent juxta traditiones ſeniorum. Quæ & quanta hæc prudentia, cujus tamen author erat (ut noſtis) Spiritus Mammonæ? In hoc enim Spiritu congregatus ſummus Pontifex, princeps Sacerdotum, & omne concilium, Chriſtum in crucem ſuſtulit; In hoc Spiritu à Judæis Chriſtus habitus eſt ſcandalum, à gentibus ſtultitia; Hunc Spiritum ſecuti, duce humanâ prudentiâ, Nerones, Diocletiani, Probi, Maxentii, crudeliſſimè & miſerum in modum inſecuti ſunt Eccleſiam Dei; Hic Spiritus ut longè abſit ab hoc concilio, veſtrum eſt providere, Principes. In Spiritu ſancto congregati non quærunt gloriam propriam ſed Dei, utque eorum dux & moderator Spiritus agit, Chriſti dignitatem, majeſtatem, non ambitionem ſequuntur, non avaritiæ ſtimulis ſolicitantur, verbo Dei, non prudentiâ humanâ omnia perpendentes; Ab iis omninò diverſi ſunt, fuerunt & erunt ſemper, qui rebus terrenis inhiantes mentiuntur ſe coactos in nomine Chriſti, quorum operâ, ſi quæritis, comperietis converſum Evangelium, ſublata inſtituta Apoſtolorum, ademptam libertatem Chriſti, jugum legis reductum, vulgatam ac inculcatam gentibus & nationibus doctrinam dæmoniorum. An hæc in nomine Chriſti poſſunt non dico agi ſed intentari? qua de re præclarè quidem Cyprianus; *Nec ſe quidam*

Ioh. 11.
1Cor. 1.
Joh. 7.
Cypria. Tracta.

tutertio de ſimplicitate præpoſitorum Eccleſiæ. *vanâ interpretatione decipiant, quòd dixerit Dominus, ubicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum illis ſum: corruptores Evangelii atque interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt, partim memores & partim ſubdolè corrumpentes. Quomodo poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi, quos conſtat à Chriſto & ab ejus Evangelio ſeparari? propter quos clamat Eſaias Propheta: Væ vobis filii deſertores, habuiſtis conſilium, & non per me, feciſtis conventionem, & non per Spiritum meum.* Hæc ille, quibus facile coarguuntur omnes, qui abutuntur Chriſti dicto, ſicuti fecerunt imperiti, arrogantes, ſuperbi homines, collegæ horum, quos adeſſe tanto numero videtis. Ii, ne vos multis morer, cùm in concilio Baſilienſi publicè pronunciari juſſiſſent & edictum propoſuiſſent magnâ pœnâ, nequis inſtitutionem Chriſti, Chriſti inquam inſtitutionem & primitivæ Eccleſiæ morem & conſuetudinem ſequeretur, verbis Phariſaicis illis; *Licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, Licet ſuis diſcipulis ita adminiſtraverit, Licet primitiva Eccleſia*, &c. Hæc inquam, cùm pronuntiaſſent, tamen primo quoque verbo ſe in Chriſti nomine & in Spiritu ſancto congregatos aſſerebant. Quamobrem illud potiùs eſt videndum, quo Spiritu acti ſint (quod ex eo poteſt dignoſci quod ſtatuerint) quàm quo nomine dicant ſeſe coactos. *Falſò Prophetæ, inquit Dominus, vaticinantur in nomine meo; non miſi eos, & non præcepi eis, neque locutus ſum ad eos. Viſionem mendacem & divinationem fraudulentam & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis. Audivi quæ dixerunt Prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, qui volunt facere, ut obliviſcatur populus meus nominis mei, propter ſomnia eorum quæ narrat unusquisque ad proximum ſuum. Prophetantes*, inquit, *mendaciter in nomine meo.* Hæc cùm ita ſint, magnam omninò laudem vobis primum tribuendam eſſe puto optimis

Concil. Conſt. ſeſſione 13.

Jer. 14. Jer. 23. Jer. 27.

mis integerrimisque Viris, qui veluti buccinæ cujusdam cantu mirabiliter exſuſcitaſtis gentes & nationes: Deinde cæteros omnes vehementiſſimè laudo, qui non mobilem aut inanem ſed firmam & ſtabilem de Chriſto ſententiam habetis, cujus gloriæ & majeſtatis, quoniam ſtudioſiſſimi eſtis, ſanctiones, commenta & decreta hominum, quæcunque lata ſcriptave ſunt, examinanda diligentiſſimè cenſetis, ne cum Evangelio pugnent aliudve doceant. Deinde, quoniam ut par eſt deſideratis, ut inſtituta ſanctiſſimorum Apoſtolorum reſtituantur & ritus in Sacramentis quàm maximè fieri poteſt puri ac ſimplices, ex quibus pietatem haurire non ſuperſtitionem poſſint fratres noſtri non ſat firmi, quibus pro charitate conſulendum eſt, Hortor ego, oro atque obſecro vos per eum, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum, ut in ea ſententia permaneatis, neve cujuſquam vis aut minæ à propoſito abducant, utque ego ſuperioribus annis Germanos per Epiſtolam commonui contendendum putetis à Principibus Chriſtianis, ut eorum opera delectus habeatur in Galliis, Britannia, Germania, Italia, Hiſpaniis cæteriſque Chriſtianis provinciis ex iis, qui rerum divinarum benè periti, quàm minimè ſuſpicionis & Pontificiæ corruptelæ affines ſint, ii provideant, ne quid Reſp. Chriſtiana detrimenti capiat. Quod ſi quid conſuetudine uſuve, conciliis, diſciplinis, imprudentia dolove malo, receptum fuerit pugnans cum præceptis inſtitutiſque Chriſti, quæ à Matthæo, Marco, Luca, Johanne ſcripta ſunt divinitùs, quódve diſcrepet ab iis actis, quæ Apoſtolorum inſcribuntur, ita ut exempli, aut admonitionis aut doctrinæ illorum rationem non habeat, quodve alienum ſit ab eo, quod Petrus, Paulus, Jacobus, Judas, Johannes, celebratiſſimis epiſtolis docuerunt, non obſcuro iſtorum edicto, nul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

nullum, inane, futile ſit. Hoc ut ab Imperatore, Regibus, Principibusque civitatum, prece, admonitu, obteſtatione impetretis, ſi Reſpublica Chriſtiana loqui poſſit, vos vehementer etiam atque etiam rogat.

RECITA CAPUT NONUM.

Teſtimonii cap. IX.

Et quoniam Phariſaici homines habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, qui veluti Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi ita & ipſi reſiſtunt veritati, interpellatione factâ ſperant ſe poſſe illudere populo DEI; occurrendum eſt. Objiciunt enim: Quî ſcitis hos libros eſſe Canonicos? Quî ſcitis Chriſtum eſſe Filium DEI? Dicimus ab Eccleſia veluti Samaritanos audiviſſe de Chriſto & de his libris. At ubi myſterio DEI inenarrabili ad Chriſtum venimus, revelatum nobis, neque per carnem neque per ſanguinem, ſed per Patrem Domini qui in cœlis eſt & per Spiritum ſanctum, divinum quiddam mirabiliter eſſe impreſſum atque inuſtum in cordibus noſtris, ita ut baptizati Spiritu ſancto & igne, firmitatis & non ſuperbiæ pleni, dicamus verbis Evangelicis: quia non jam propter tuam loquelam credimus; ipſi enim ſcimus, quia hic eſt verus Servator mundi Filius DEI vivi. Itaque & Spiritus DEI teſtatur Spiritui noſtro, quod per Matthæum, Marcum, Lucam, Johannem, Paulum, Jacobum, Petrum, Judam,

Judam Jacobi fratrem, evangelizatum eſt & ſcriptum, quod unum eſt & idem, eſſe ſanctum Evangelium Jeſu Chriſti, & quòd hi libri, quos legimus, veriſſimi ſunt: Et quod ſcimus loquimur: & ſcientia noſtra verax eſt, non ab homine, neque per hominem, ſed quia unctio, hoc eſt, ipſe Spiritus ſanctus, qui hoc nomine in Scripturis appellari conſuevit, docet nos. Quamobrem inquit fidelis Johannes: Nec neceſſe habetis, ut aliquis vos doceat, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt & non eſt mendacium. 1Joh.2.

Declaratio Teſtimonii IX.

MAgna eſt audacia, mira improbitas, incredibilis impietas adverſariorum, qui obnixè pedibus & manibus majeſtatem verbi Dei imminuere nituntur. Excœcavit illos Deus, ut videamus quo Spiritu agantur. Rogavit me ſuperioribus annis præfectus quidam Eccleſiæ, Quî ſcirem Chriſtum eſſe filium Dei, cumque reſpondiſſem, Quoniam id rogaret quod magis pro comperto haberem quàm omnia quæ oculis cernerem, quòd veriſſimè ſcirem id me firmiſſimè credere, fidei authorem non eſſe vulgarem, & propterea neque carnem, neque ſanguinem, ſed Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, Spiritumque Dei teſtari Spiritui meo id eſſe veriſſimum, neque me Turcæ, Chriſtiani nominis hoſti, ſi quando uſu veniat, aliter eſſe reſponſurum, excanduit iracundiâ homo, quòd ex libello, qui circumferebatur, non reſpondiſſem, ſcire id me non ob aliud quàm quod ita teneret Romana Eccleſia, ſeſe de Chriſto id non ob aliud credere, niſi quia ſic Eccleſia Romana ſtatuiſſet credendum, Si ea Eccleſia aliter decreverit, aliter ſe Mat.16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

crediturum. Ejus ſententiam veluti infirmam atque inſtabilem cum minimè probarem, neque à pia Eccleſia aliud ſtatui poſſe dicerem, quàm quod ab Apoſtolis & quatuor illis fuerit evangelizatum, quod unum eſt & idem, indigniſſimè quidem ille tulit. Videtis quid ferant turbinis iſtæ nebulæ exagitatæ, Sophiſtæ Diaboli, contentionis cupidi homines, non ut Eccleſiæ ſanctæ autoritatem ſtatuant, ſed ut abominationem ſedentem in loco ſancto firment, & veritatem in profundo abſtrudant, ſcriptisque divinitus cogi non poſſint, quorum majeſtatem ut infringant atque imminuant, ut illis, inquam, cogi non poſſint, ſic primo quoque verbo rogant & rogandum docent: *Quî ſcis hos libros eſſe Canonicos?* Deinde addunt, *Chriſtus non ſcripſit aliquem librum, Chriſtus non præcepit, ut diſcipuli deſcriberent, ſed ut prædicarent; Ite, inquit, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quæ eſt iſta perverſitas? qui iſte animi furiis agitati ſenſus? quæ Diabolica fraus? Hic Pontifices Romani non clamant, hos ſcriptores non devovent, non execrantur, non damnant, horum ſcripta non prohibent legi, imò verò honorant & colunt. Si quis vel concionator vel ſcriptor Chriſti gratiam & pretium redemtionis noſtræ honorificâ & copioſâ oratione longiùs proſecutus eſt per hoſce annos, meminiſſe, Principes, debetis, quæ turbæ, qui clamor, quæ vociferatio; Tonare, fulgurare, permiſcere omnia viſi ſunt Pontifices Romani. Utinam, Principes, utinam in hanc cogitationem incumbatis, ut veſtigiis aſſequamini cauſam, cur quibuſdam tantoperè commoveantur, Pontifices, Epiſcopi, Presbyteri, Cucullati, quædam negligenter admodum ferant. Utinam intelligatis, quî & quantoperè ſit cavendum ab iis, qui in Spiritu Sancto emendo & vendendo exercitati in hoc curam, cogitationem, mentem fixerunt, ne vectigalia, quæſtuoſis traditionibus

Dolus Johannis Eccii.

nibus imminutis, ſibi fiant deteriora. Nam quid hoc eſt? *Quî ſcis hos libros eſſe Canonicos? Chriſtus non ſcripſit aliquem librum, Chriſtus non præcepit ut ſcriberent.* Quorſum hæc ſpectat oratio? Quid hoſce aliud velle putatis obſecro vos, Principes, in quibus habitat Spiritus Dei, niſi ſuadere ne tanti faciamus Euangelium, & ea quæ ſunt nobis ſcripta divinitus? Quamobrem ſubdolè agunt ex dicto Jeremiæ: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël & domui Juda fœdus novum, non ſecundum pactum, quod pepigi patribus veſtris; ſed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſraël: poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero ipſis in Deum & ipſi erunt mihi in populum.* Quid tum? Num ex eo, quod prædictum erat ſcribendam eſſe legem Dei in cordibus fidelium gentium & nationum, colligi poteſt non ſcribi oportuiſſe Evangelium à Matthæo, Marco, Luca & Johanne? An, quia ſcribendum in cordibus dixit, ſequitur Euangelii veritatem non contineri ſcriptis illis divinitus, ſed pectore tantum quorundam, veluti ſacrario, in quorum corde non Dei ſed benè carnis lex ſcripta eſt atque impreſſa, non atramento ſed cœno Sathanæ impuriſſimo, *A quorum fallaciis & hæreſibus ut caveremus*, ut Theophilactus inquit, *voluit nobis Deus hæc extare monimenta conſecrata memoriæ hominum ſempiternæ. Quemadmodum*, inquit, *magni illi atque divini Viri, qui ante datam legem Moyſi vixerunt, non diſcebant ex literis & libris, ſed munda præditi mente Spiritus illuſtratione illuminabantur, atque hoc modo Deo ipſis ore ad os colloquente Dei voluntatem cognoſcebant. Tales fuêre Noë, Abraham, Job, Moyſes. At poſtquam vitiis contaminarunt ſe homines & indigni facti ſunt ne à Spiritu ſancto illuſtrarentur & docerentur, conceſſit tandem miſericors Deus Scripturas, ut per illas divinæ voluntatis eſ-*

Jer. 31.

Theophilact. in principio comm. in Evangel.

ſent memores. Ita & Chriſtus Apoſtolos coràm in ſua perſona locutus eſt, & Spiritus ſancti gratiam miſit, ut eos inſtrueret. Verùm, quoniam hæreſes pullulaturæ erant, quæ mores noſtros depaſcerentur, operæ precium viſum eſt, ut ſcriberentur & Evangelia, quò edocti veritatem ex illis non ab hæreſeon mendaciis deciperemur moreſque noſtri non prorſus diſſolverentur. Hæc ille de Euangelio, quod quia Chriſtus non ſcripſit, quid tùm? Si per eos tamen ſcriptum conſtat, quibus Chriſtus ex Spiritu ſuo ſuggeſſit ut promiſerat. *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in* Joh. 14. *nomine meo, ille vos docebit omnia quæcunque dixi vobis.* Hæc promiſſio ſi ad Apoſtolos & diſcipulos Domini veriſſimè attinet, quibus id imprimis & indubitanter eſt dictum, quid oblatrant blaſphemi? Cur non intelligunt, ſuggerente Spiritu ſancto poſt ejus Spiritus effuſionem ex voluntate Chriſti eſſe plenum atque perfectum magiſterium admirabile Spiritus ſancti, ſcriptum ſcilicet Evangelium Filii Dei, ut impleretur quod prædictum fuerat, per Ezechiëlem Prophetam in viſione quatuor animalium, *In quorum rotis*, inquit, *erat Spiritus vitæ & ſonus alarum eorum velut ſonitus ſublimis Dei.* Quid hoc eſt? an tale quid ſcriptum legimus tanto teſtimonio de iis, quos impudenter quidam conferunt cum magnis Apoſtolis & ſcriptoribus Evangelii? Quid, inquam hoc eſt? *In quorum rotis erat Spiritus vitæ, & ſonus alarum eorum velut ſonitus ſublimis Dei.* Ex eo ipſo, quod Dominus dixerit, *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*, ex eo ipſo, inquam, aptè colligi poteſt, Spiritu ſancto afflatos Apoſtolos & diſcipulos Domini intellexiſſe, quod non intelligit animalis homo, Per hæc ſcilicet verba juſſum fuiſſe à Domino, ut ſcriberetur Euangelium: quod ex iis quæ conſecuta ſunt, facilè intelligere poſſumus.

Reſpondetur iis qui magiſterium Spiritus ſancti petunt. Ezec. 1.

Marc. 16.

Quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Quomodo enim ab Apoſtolis itum eſt in univerſum mundum? quomodo prædicatum omni creaturæ? cùm id pro multis creaturis etiam diceretur, quæ poſt Apoſtolos crediture fuerant per verbum eorum, quomodo id præſtitiſſent omni creaturæ niſi (ut ita dixerim) ſucceſſione prædicationis Euangelicæ. Et eorum ſcriptorum lectione aliquando hoc erit conſummatum, ut illud ſit effectum, *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in finem orbis terræ verba eorum*, quodque recepit Dominus magnum miniſterium, *Et eritis mihi teſtes in Hieruſalem & in omni Judæa & Samaria & uſque ad ultimum terræ.* Teſtimonio ſunt Apoſtoli Domino, ubi ubi, modò hîc, modò illîc, hiſce vel illis temporibus, recitantur ſcripta Apoſtolorum & diſcipulorum Domini ex Apoſtolis accepta. Eâ oratione oravit Dominus pro iis, qui crediturì erant per verba eorum. Ubi verò, obdormientibus Apoſtolis, verbum eorum? niſi quia ſcriptura verba eorum. Quod verò legem ſuam Deus promiſerit ſcripturum ſe in cordibus eorum, id porrò ſignificat, futuram fuiſſe gentem Chriſtianam Dei obſervantiſſimam, quæ ita ejus amore teneretur, ut nunquam memoria eſſet depoſitura legem Dei viventis. Atque hoc eſt, *ſcribi legem in cordibus hominum*, non quòd, ſcripto Evangelio Filii Dei & ſuggeſto per Spiritum ſanctum, eo omiſſo & contemto ſtandum eſſet traditionibus & aſſertionibus Pontificis Romani & aſſeclarum, quorum tanta eſſet authoritas, ut præ ipſis parvi facienda eſſent ſcripta divinitùs. Nam quod objicit homo corruptiſſimus & impudentiſſimus quidam, ut ſtatuat in templo Dei ſuum Idolum tanquam Deum, poteſt facilè retorqueri. *Fruſtra Deus*, inquit, *miſit Filium ſuum, fruſtra Spiritum ſanctum, fruſtra Apoſtolos, martyres, doctores, confeſſores, ſi per Lutherum ſolum lux veritatis aperienda erat. Cur Deus non unum miſit*

Pſal. 18. Act. 1. Joh. 17. Johan. Ekkius cap. de Eccleſia & ejus authoritate.

miſit Lutherum pro omnibus? Ego quidem Lutherum non novi. At dedit mihi Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut animi tui ſenſum benè norim invidia excœcati, ambitione & avaritiâ flagrantis; Iis abductus quoniam contra Evangelium Chriſti & ſcripta divinitus ita efferris ut quicquid velis dicas, nihil mirari debes, ſi ea audieris quæ nolis. Si ſcriptum Evangelium à Matthæo, Marco, Luca & Johanne, ſi ſcripta ab Apoſtolis parvi facienda ſunt præ authoritate Pontificis Romani, & verè tantùm Evangelium eſt, tantúmque firmum quod ſcriptum eſt in corde, quodque exit ab ore ejus. Fruſtra ergò Deus miſit Filium ſuum, fruſtra Spiritum ſanctum, fruſtra Apoſtolos, fruſtra martyres, doctores, confeſſores, Addo fruſtra Prophetarum monimenta tàm diu nobis aſſervantur, fruſtra Evangelium ſcriptum eſt, fruſtra Epiſtolæ nobis relictæ ſunt, ſi ab hoc oraculo omnia ſunt petenda, omnia ita in uno poſita ſunt & locata, per quem ſi tantum ſcripturæ authenticæ ſunt, Chriſtus jam minus authenticis ſcripturis uſus eſt, quòd ante Pontifices Romanos fuerit, & fundamentum quod Paulus dixit ita eſſe poſitum, ut aliud nemo poſſit ponere, ſine authoritate Pontificis Romani non ſit benè

1 Cor. 3. poſitum. Quæ quoniam tàm falſa ſunt quàm quæ maximè, illud profectò eſt veriſſimum, Quæ ſcripta ſunt divinitùs, ea authentica ſemper fuiſſe, non ab homine neque per hominem, ſed quòd eorum author fuerit Spiritus Dei, ſine quo nihil fuit, eſt, erit ſanctum firmumque, quod iſti vocant authenticum, in quavis Ecclesia. Illud eſt conſectarium, tàm Lutherum quàm Pontificem Romanum, ſi Chriſtiani eſſe velint, teneri ut fateantur, ſcripta illa excellere ſupraque ſe eſſe, ita ut omnia eorum commenta prius neceſſe ſit evaneſcere quàm horum verbum vel unum præteriri. Quam ſententiam non modò Cæſares & Reges probaverunt

Lutherum & Pontificem Romanum ſi Chriſtiani eſſe velint,

runt ſed Pontifices ipſi aliquando, qui ad Euangelii lectionem recti & nudo capite ſtare conſueverunt, ut oſtendant non humana ſed divina ea eſſe quæ recitentur. Quamobrem perversè faciunt adulatores, cupidi corruptique homines quidam, qui ut aucupentur Pontificum gratiam quibus nominibus non appellant? quæ non licere dicunt? quas lites non intendunt? Si cum Euangelio & ſcriptis divinitùs docent concertandum de authoritate, Eccleſiæ nomine, quam nemo pius eſt qui non revereatur & colat ſumma obſervatione, Eccleſiam ſcilicet ſanctam, cujus caput eſt Chriſtus, dux Spiritus ſanctus, membra Prophetæ, Apoſtoli, Diſcipuli Domini, martyres, fideleſque omnes Chriſti Jeſu. Hæc Eccleſia cum Evangelio & ſcriptis illis divinitùs non poteſt contendere, niſi ſecum ipſa contendat, quòd ejus caput ſit Chriſtus, dux Spiritus ſanctus, quo authore ſcripta illa ſunt à Prophetis, ab Apoſtolis & diſcipulis Domini, qui ſunt lectiſſima membra ipſiusmet Eccleſiæ. Horum ſcriptorum quantò eſt illuſtrior laus & major authoritas, tantò eſt & Eccleſia ipſa, quæ veluti totum nihil aliud eſt quàm ſuæ partes, ex quibus tota ipſa eſt atque conſiſtit, quibus remotis nihil omninò Eccleſia eſt, quæ non ob aliud à Spiritu ſancto regi dicitur, niſi quod ii filii Dei omnes à Spiritu ſancto reguntur; Iis, cùm unum ſit caput Chriſtus, unum quoddam corpus efficitur, quod uno Spiritu informatum, nihil mirum videri debet, ſi, ubi à matre Eccleſia audiverit de Chriſto, ita afficitur, ut in animos ea à Patre Domini prius opinio inſita videatur non à carne & ſanguine, quando ea ita hæret in cordibus fidelium, ut, ſi cœlum ruat omne, omnia miſceantur, titubare pro tempore fortaſſe poſſit, evelli non poſſit. Ita etiam & ſuggeſta illa à Paracleto per matrem Eccleſiam nobis aſſervata cùm legimus, incredibili dul-

[Margin: ſubjici debere verbo Dei.]

[Margin: Eph. 4.]

dulcedine tangimur, complentúrque non aures ſolùm ſed animi noſtri, quòd is Spiritus, qui per Chriſtum eſt effuſus, veluti oleum lætitiæ, ut in
Pſ. 44. Pſalmis eſt, atque unctio exhilaret ſuos, mirificus conſolator bonorum, bonus dator gaudii, lator meri Evangelii, quod mundus non poteſt accipere; Hoc qui accipiunt & Spiritum unà accipiunt, quo liquidiſſimè cognoſcunt, quod per Matthæum, Marcum, Lucam, Johannem, Paulum, Jacobum, Petrum, Judam Jacobi fratrem evangelizatum eſt, & ſcriptum unum & idem eſſe ſanctum Euangelium Jeſu Chriſti. Horum ſermo verus eſt, & quod eſt loquuntur, & veritas eſt in eis, qua pleni qui Spiritu Dei aguntur fideles, non neceſſe habent ut aliquis eos doceat. Unctio enim docet eos, quos niſi doceret neque unde id ſciret haberet Eccleſia. Quod ut magis perſpicuum fiat,

RECITA CAPUT DECIMUM.

Teſtimonii caput X.

Eccleſia DEI ſancta ſemper nixa eſt verbo DEI, ante adventum Domini ſuſtentata eſt verbo DEI per Prophetas, Chriſti tempore teſtimonio ſcripturarum defenſa eſt verbo DEI per ipſum etiam Chriſtum, poſt aſcenſionem Domini in cœlum Apoſtoli paracleto accepto defenderunt adminiſtrarunt probaverunt omnia verbo DEI, lectiſſimi Viri, quos DEUS prædeſtinarat ante mundi conſtitutionem, ſuggerente Spiritu ſancto evangelizarunt verbum DEI unum & idem, eâ conditione, ut in perpetuum, qui ali-
Gal. 1. ud evangelizaret, anathema ſit. Qui igitùr

ſcri-

ſcriptis Canonicis coërceri nolunt, & ut authoritate ſuperiores ſint verbo DEI contendunt, neque putant audiendum, ſi contra eorum traditiones ſcripta divinitùs adducantur, manifeſtè reprobi ſunt, & eorum ſententiæ judicioque ſtandum non eſt, quòd ad Eccleſiam DEI nihil attineant, dicente Domino, Qui ex Deo eſt verba Dei audit, propterea vos non auditis quia ex Deo non eſtis. Joh. 8.

CUm frequentiſſimè, etiam cum minimè opus eſt, diſtinctionibus affluere ſoleant homines contentioſi Pontificiarum partium, quid dicemus eſſe in cauſa, quod in re maximè neceſſaria ad explicationem quæſtionis de Eccleſia tergiverſantur & tantoperè à diſtinguendo refugiant? Si Eccleſiæ nomen multiplex eſt, quomodo in magnas difficultates quivis non incurrat, ſi de ea quæſtio ſit, niſi explicetur? Eccleſia, ut omnes norunt, Græca vox eſt, quæ apud nos cœtum, concionem, congregationémque ſignificat. Eccleſia templum aliquando minus propriè dicta eſt, locus ſcilicet, quò convenitur, ut ſit continens pro contento; quam ſignificationem nunc omittimus: nihil enim ad rem. Eccleſia item dicta domeſtica familia, ut, *Eccleſiæ quæ in domo tua eſt gratia & pax*, & in ſingulis provinciis Eccleſiæ quoque multæ ſunt appellatæ, *Salutant vos*, inquit, *omnes Eccleſiæ Aſiæ*. Hujusmodi erant particulares dictæ Eccleſiæ, ut Laodicæa, Corinthia, Theſſalonicenſis. Cœtus etiam quidam ſeniorum, Senatus quidam ex civibus bonis non ut nunc ex ſacrificulis imperitis, qui per civitates delecti conſtituebantur ad æqui bonique

Declaratio teſtimonii X.

Ad Philemon.

Rom. 16.

con-

conſervationem, ad inſtitutionem prædicationis Evangelicæ, ad veros, non inanes Diaconatus ut nunc fit, gerendos, presbyterorum, id eſt, ſeniorum dicebatur Eccleſia, ad quam deferebatur ſi quis fraterna admonitione teſtéque adhibito
Mat. 18. aliam non inſtituiſſet vitam. Aliæ provinciales Eccleſiæ ſunt, ut Africana, Græca, Latina. Adhuc ex omnibus provinciis, quæ invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, Chriſtiana Eccleſia dicitur, in qua quoniam multæ gentes & nationes vulgóque mali & boni ſunt, comparata eſt à Domino ſagenæ miſſæ in mare ex omni genere
Mat. 13. piſcium congreganti. At quoniam ad conventus peragendos, non omnes qui ad hanc Eccleſiam tàm amplam copioſámque attinent, convenire poſſunt, inſtitutum eſt, ut aliqua (repræſentativam quam vocant) Eccleſia ſit, in qua boni & mali eſſe poſſunt. Hiſce diſtinctionibus de Eccleſia facilè ſolvuntur multa, quæ ingeniis ſunt propoſita, propterea porrò quod non omnia dicta omnibus Eccleſiis conveniant. At hiſce ipſis diſtinctionibus aſſertionibusque Eccleſia ea non comprehenditur, de qua celebre illud; *Una eſt*
Cant. 4. *columba mea, perfecta mea, Tota pulcra es amica*
Cant. 6. *mea, & macula non eſt in te.* Nam in illis Eccleſiis, in quibus mali cum bonis mixti ſunt, maculam eſſe oportet inſignem, quâ mali denique peribunt. Quæ eſt igitur Eccleſia in qua macula non eſt? Ea certè eſt, quæ obediens Chriſto Spi-
Eph. 5. ritu ſancto agitur, ſine macula & ruga, de qua Paulus Apoſtolus; Et ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita mulieres ſint viris ſuis in omnibus, pro qua Chriſtus ſeipſum tradidit, ut illam ſanctificaret mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ſibi ipſam glorioſam Eccleſiam *non habentem maculam aut rugam aut aliquid ejuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata.* Hæc cum illis pulcherrimè conveniunt, *Et macula non eſt in*

Eccleſia ſancta Catholica non ex hæreticis ſed ex ſanctiſſimo Apoſtolo Paulo.

in te, quòd ſcilicet tota ex iis ſit, neque aliud omninò ipſa ſit, quàm abluti, ſanctificati, juſtificati per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti & in Spiritu Dei, præordinati ad vitam æternam, pii omnes, ſancti omnes, omnes filii Dei, de quibus Propheta: *Ego dixi, Dii eſtis & filii excelſi omnes*, Pſal 81. Ex *quibus Deus dedit huic* ſanctæ Eccleſiæ *quoſdam Prophetas, quoſdam Apoſtolos, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum fidelium in Opus miniſterii in ædificationem corporis Chriſti*, hoc eſt, ut confletur hæc Eccleſia ſancta Dei, quam ipſe Deus prædeſtinavit ante mundi conſtitutionem. Unde in Pſalmis, *Memor eſto Eccleſiæ tuæ, quam poſſediſti ab initio:* Cujus quoniam caput petra & fundamentum, Chriſtus, unus eſt ſalus omnibus credentibus in eum, illud eſt certiſſimum, quod aſſerit Auguſtinus; *Omnes, qui ante Domini adventum fuerunt Spiritu ſancto informati, fide hæſerunt in Chriſto venturo, ſpeque pleni mentem animumque fixerunt in Servatore, in quo & nos qui jam venerit fide hæremus, totóque animo amplectimur ſalutem noſtram, Chriſtum crucifixum. Tempora*, inquit ille, *variata ſunt, non fides*. De ea re Paulus: *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, bibebant autem de conſequenti eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Quæ cùm veriſſima ſint ex iis omnibus, qui vel ante adventum Domini fuerunt, vel per id tempus, quo is egit apud mortales, vel quo nos ſumus, quóve alii erunt aliquando verè credentes in unigenitum Dei ad noviſſimum uſque diem, quo dabit is regnum Deo Patri, ex iis, inquam, omnibus, communione capitis & Spiritus quoddam veluti corpus conficitur, quæ ſancta Eccleſia, ſponſa Chriſti, civitas Dei dicta eſt, & cœ-

Eph. 4.

Eccleſia ſancta Catholica ex Propheta non ex hæreticis. Aug. Pſ. 50.

1 Cor. 10.

ſtis Hieruſalem, non ab hæreticis, ut impudentiſſimè obtrectant corruptiſſimi homines quidam, ut veritatem in profundo abſtrudant, ſed à Prophetis ubique, ab Apoſtolis & ſanctis diſcipulis Domini paſſim. De qua magnus ille Johannes, *Et*
Apoc. 21. *venit ad me unus de ſeptem angelis dicens, veni, & oſtendam tibi ſponſam, uxorem agni, & ſuſtulit me*
Eccleſia ſancta Catholica ex Johanne non ex hæreticis. *Spiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi civitatem ſanctam Hieruſalem, deſcendentem de cœlo, habentem claritatem Dei, cujus cives dixerat eſſe ſignatos magno numero ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis.* Hanc civitatem quæ ſanctam & univerſam Eccleſiam Dei ſignificat, ſic
Auguſ. de catechizandis rudibus cap.20. exponit Auguſtinus. *Hieruſalem verbum eſt Hebræum, & interpretatur viſio pacis, cujus cives ſunt omnes ſanctificati homines, qui fuerunt, qui ſunt, qui futuri ſunt, In hac neque macula eſt, neque ruga, Eccleſia Spiritu ſancto plena: Adde omnes*
Eccleſia ſancta Catholica ex Auguſ. non ex hæreticis. *illas laudationes, Dei vivi columna, quæ errare non poteſt ullo modo quo inferi portæ in eam prævaleant.* Hanc unam ſibi ſtatuit Chriſtus ſponſam, quæ una eſt ex lectiſſimis partibus omnium illarum Eccleſiarum. Non eſt bigamus Chriſtus, hac cum una eſt uſque ad conſummationem ſeculi, nimirum
Mat.28. cum iis, ex quibus tota illa conſtituitur, ablutis, ſanctificatis, juſtificatis, prædeſtinatis ante mundi conſtitutionem, præordinatis ad vitam æternam, quibus Chriſtus, quantum ſe aperit, quantum Spiritus ſanctus communicat, quantum Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti revelat, tantum ab his ipſis novit Eccleſia illa quæ ſagenæ comparata eſt. Iis enim dilectis, vocatis, ſanctis, qui Spiritu Dei aguntur & filii Dei ſunt, aſpergit Deus nunc majori nunc minori numero, ut ſibi placitum eſt, Eccleſias illas, quæ continent
Mat.10. malos & bonos. Boni, quia, ut docet Dominus, ſemper odio fuerunt, ſunt & erunt mundo, ni-
Luc.21. hil mirandum eſt, ſi pauci ſint, & aliquando habeantur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

beantur in deſpectu, & eorum vita æſtimetur inſania: Quin, ut aptè quivis colligere poteſt, ſæpiſſimè in exiguum atque anguſtum locum adducta eſt Eccleſia Dei, *quæ*, inquit Auguſtinus, *ſemper pauciori numero contenta fuit*, ita ut Prophetarum tempore vix quidam veluti pro ſemine à Deo ſervati ſint, clamante Propheta; *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus & quaſi Gomorræ ſimiles eſſemus.* Hæc ſancta Eccleſia ſæpè ex admirabili providentia Dei aucta, ſæpiſſimè in anguſtum adducta locum, exacta eſt atque excluſa, ſubſtituente ſe in ejus locum Phariſaicâ & mundanâ; ut (quod exempli causâ dicimus) Chriſti tempore Phariſæi ſummique Pontifices & ſacerdotes arrogato ſibi nominè Eccleſiæ Chriſtum in crucem ſuſtulerunt, Dei Eccleſiâ depreſſâ reprobaverunt lapidem, qui erat conſtituendus in caput anguli, ejecerunt Apoſtolos, occiderunt ſanctos Dei. Quamobrem nihil mirum videri debet, ſi ab iis, qui in cœno mundi obvoluti ſunt, ſæpiſſimè ſtatuantur pro Eccleſiarum præfectis ii, qui non plus ad petram Chriſti attinent quàm Judas, *in cujus typo*, inquit Auguſtinus, *ſignificati ſunt mali Epiſcopi.* Favet mundus ſuis, nobilitatem generis, prudentiam hominum, peritiam rerum humanarum & hujuſmodi ampullas amplectitur: Quamobrem ſæpè contigit, ut ab iis gubernata fuerit Eccleſia, in quibus non modò non ſit Spiritus Dei, ſed benè Spiritus Sathanæ ſolitus transfigurare ſe in angelum lucis, ſæviens in Eccleſiam Chriſti ſummo conſenſu gentium & populorum, qui pietatis fuco & Eccleſiæ titulo per hæreſes aliquas mundanæ prudentiæ acceptiſſimas & probabiles verbo Dei non probatas ab hac Eccleſia ſancta abducuntur. Undè Cyprianus: *Quid verò aſtutius, quàm ut Chriſti adventu detectus ac proſtratus inimicus, videns idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas*

Sap. 5.
Auguſ.
Eſai. 1.
Auguſ. in expoſitione Evang. Johan. tract. 50.
Cypr. de ſimplicitate præpoſitorum Eccleſiæ.

ſuas ac templa deſerta, excogitaverit novam fraudem, ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? Hæreſes invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unitatem. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe jam lumini atque evaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit, ut cum Evangelio Chriſti & cum obſervatione ejus & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent, & ambulantes in tenebris habere ſe lumen exiſtiment, blandiente adverſario atque fallente, qui ſecundum Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros juſtitiæ, aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti. Hæc ille, ex quibus patet, nihil eſſe potius Eccleſiis, in quibus boni & mali permixti ſunt, quàm ut traditiones & inſtituta, quibus longo temporis ſpacio nonnihil vitii potuit accedere, expendant atque examinent omnia, verbo Dei, quod ex lectiſſimis membris illius Eccleſiæ per Spiritum ſanctum non uni aut alteri Eccleſiæ ſed univerſis relictum eſt, ut purâ atque incorruptâ doctrinâ irrigari poſſint corda fidelium gentium & nationum manante ex fonte puriſſimo verbi Dei. Nam quod quædam ex iis Eccleſiis inani cogitatione tumeant atque inflentur, ſimillimæ ſunt Synagogis Judæorum jactantium, *Semen*
Joh. 8. *Abrahæ ſumus*, quæ veluti ex hoc ſibi perſuaderent non poſſe errare: At Deus illis odioſis & ſuperbis rejectis ſuſcitavit ex gentibus veros filios Abrahæ; Quamobrem inanem illorum fiduciam reprehendit
Matt. 3. Johannes Baptiſta inquiens: *Et ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham.* Hujuſmodi oſtentationes ſunt eorum, qui dicunt: *Errare non poſſumus*
Mat. 28. *quia promiſſum eſt, Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*, Quaſi id ſibi tantum & non Apoſtolis potiùs & verè piis ſit dictum, quibus cum
ſem-

ſemper eſt Spiritus Chriſti. Videant priùs qui & quales ipſi ſint, luſtrent animo, an ab Eccleſia illa ſancta diſceſſerint, an aliud Euangelium receperint, vitalique mortiferum miſcuerint, ſeductione Sathanæ, an oppugnent an velarint beneficium ſanguinis Chriſti, an contumeliis inſecuti fuerint Spiritum gratiæ; Putabat ſe populus Judaicus populum Dei; appellatus ita in ſcripturis ſanctis perſæpè fuerat, & tamen non erat jam populus Dei. Vide ne id tibi contingat, quæ ſuperbè admodum efferris, quæ in ſanctos Dei ſævis, Eccleſiæ nomine. Id ut ſcias tibi potuiſſe contingere, ſi quid te commonere poteſt Apoſtolus Paulus, audi commonentem Apoſtolum. *Vobis ego dico gentibus*, Rom. 11. *quandiu ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo*, ubi dixiſſet gentes eſſe velut oleaſtrum inſertum in ramis populi Dei, Judaici ſcilicet, ſubdit. *Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Rom. 11. *Vide ergò bonitatem & ſeveritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt ſeveritatem, in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioqui & tu excideris.* Quid ergò tumes? Non ſunt hæc ex hæreticis, ſed ex Apoſtolo ſanctiſſimo Paulo. Lege hæc, perpende etiam atque etiam, fatere nihil eſſe tutius, quàm ſi verbo Dei, quo ſe Prophetæ, quo ſe Apoſtoli, quo ſe diſcipuli Domini, quo ſe martyres, robora illa Eccleſiæ Dei, ſuſtentarunt, defenderunt, confirmarunt, itidem omnes Eccleſiæ, omnia expendant atque examinent, & ad Deum converſæ cum cœleſti Hieruſalem, cui oportet omnes Eccleſias, quæ ſanctæ eſſe velint, eſſe conjunctiſſimas, ad quam veluti communionem ſanctorum ſe referunt omnes credentes, infirmi etiam, ſi quid in dubio eſt, ut piè ſanctéque credant, cum hac, inquam, cœleſti Hieruſalem, ſancta ipſa Catholica & Apoſtolica Eccleſia, quæ ſine ruga & ſine macula eſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Cant. Apoc. 21. Pſ. 118. quæ habet claritatem Dei, omnes unà ſapienter concinant: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.*

RECITA CAPUT UNDECIMUM.

Teſtimonii caput XI. Scripta peritorum hominum, quantalibet ii ſanctitate doctrinâque ſint, nullo modo cum ſcripturarum canonicarum excellentiâ comparari poſſe monet Auguſtinus. Huic ſententiæ conſona eſt illa Cyrilli; Optimum fuerit, Hermia, non curare aliorum procacitatem, qui probatam mentem nobis auferunt, ſed magis fidei canonem rectum & non perverſum, hoc eſt, ſermones ab Apoſtolis factos, nec aliis quàm illis applaudere nos decet, ac dicere, Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

Cyrill. lib. 4. dialogorum.

Declaratio teſtimonii XI. QUi negant contentionis cupidiſſimos eſſe Pontificios ſcriptores, quid hîc dicent? quo ſpectant illa jurgia & magnæ contentiones miſerè excogitatæ ad æquè benedicta maledicta Germanorum oppugnanda? qui in re perſpicua difficultatem afferunt, quid facient in obſcura? pudet me diu de hac re apud tales Viros dicere, apud quos ſatis eſſe arbitror, ſi dicto Cyrilli & aliorum omiſſis Auguſtini ſententiam recitem. Ad quem autem ſcribit Auguſtinus? nempe ad Hieronymum excellenti doctrinâ & acri judicio ſummóque ingenio virum, deſcendentem propè in arénam & campum. Num in ſe adductam

ctam ſententiam rejecit Hieronymus? minimè. Quid igitur rabulæ contendant, non ſat ſcio. Quid verò ait Auguſtinus? *Ego fateor charitati tuæ: Solis eis ſcripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, ut nullum eorum authorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiter credam: alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per authores illos Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreant, perſuadere potuerunt. Nec te, mi frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo, prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum aut Apoſtolorum, de quorum ſcriptis, quod omni errore careant dubitare nefarium eſt.* Et alibi: *In opuſculis poſteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, ſed nullo modo illi Sacratiſſimæ Canonicarum ſcripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscunque eorum invenitur eadem veritas, longè tamen eſt impar eorum authoritas.* Quæ ſi veriſſima ſunt cur magnis commentationibus oppugnantur Germani, qui idem quod Auguſtinus, quod Cyrillus dixerunt. Quid tot clamoribus opus eſt? In iis ego ne Auguſtos & pios Principes multis morer,

Auguſ. epiſtola XIX. ad Hieron.

Auguſ. contra Fauſtum, Manichæum lib. XI. cap. V.

RECITA CAPUT
DUODECIMUM.

Interpretes, quos Doctores vocant, Oratorum, Poëtarum, Philoſophorum perſtudioſi fuerunt, nonnunquam abierunt in commenta cogitationesque eorum. Non protinus ergo aſſerenda, quæcunque ab illis dicta ſunt, ſed expendenda verbo DEI:

Teſtimonii caput XII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Eſa. 43. Scriptum eſt enim, Et interpretes tui
Eſa. 49. prævaricati ſunt in me, & venerunt ſtructores tui deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt.

Declaratio teſtimonii XII.

TEſtantur ii ipſi, qui magna Volumina commentis interpretationibúsque impleverunt, ſe Oratorũm, Poëtarum & Philoſophorum fuiſſe perſtudioſos. Alii enim Rhetoricen publicè docuerunt, alii ſe Ciceronianos eſſe putarunt, quidam in Ariſtotele interpretando ætatem conſumſerunt, alii Platonicos propè Chriſtianos eſſe rati ſunt. Poëtis verò quàm ſeſe oblectarint, quivis intelliget, qui eorum libros videat ſæpè verſibus aſperſos. Quamobrem nihil eſt mirandum, ſi ex jucundiſſima eorum lectione quaſi ex conſuetudine hæſerunt aliqua animis, quæ, dum legerent in ſcripturis Canonicis, quaſi id concinentibus, offerebantur. Solet enim id fieri, ut quod vel opinione, vel perſuaſione tanquam probabile in animum induximus facilè credamus, videaturque quodcunque legimus idem perſuadere ac probare. Etenim ad motus quoſdam & impreſſiones animorum faciendas permagni refert, quibus autoribus familiariter utaris, quos quotidiè libros habeas in manibus. Ariſtotelis ſtudioſus facilè arbitrii libertatem credet, quòd à Peripatetico didicerit, ſi ex neceſſitate omnia fierent, fruſtra conſultatio, fruſtra eſſet prudentia, fruſtra quæ in homine Ratio dicitur. Qui Stoico operam dedit, in illud fertur procliviùs. Non ſunt hominis viæ ejus, quod fato agi omnia acceperit aliquando. Putabit alter hoc, alter illud poſſe ſtare cum ſcriptis divinitùs. Quamobrem, cùm variæ ſectæ ſint Philoſophorum, Oratorum & Poëtarum, quibus non vulgares adoleſcentes ſe à pueris dediderunt,

derunt, & firmiore ætate his etiam delectati Theologiam profeſſi ſunt; & dictionis genus facilè recognoſcimus, & aliqua etiam, quæ Philoſophum potiùs, aut Oratorem, nonnunquam Poëtam, redoleant, quàm Apoſtolum purum, gravem & firmiſſimè hærentem verbo Dei. Optima ergò Cyrilli & Auguſtini ſententia eſt, quam ſuperiori capite recitavimus: De ſcripturis Canonicis, in quibus neque retractationes, neque lapſus, neque errata legimus, ut in iis, qui interpretationibus & commentariis magnoperè excellere videntur. Quid ergò (inquiet aliquis) eorum dicta ac ſententias adducis in medium, ac veluti patronos atque advocatos adeſſe jubes ſententiarum tuarum? Dicam, Et in quod authores ipſi non adſpirarunt, nunquam ego id deferam doctiſſimis & pudentiſſimis viris. Quid ergò eſt? Incidimus in tempora perdita ac miſera, addite etiam ſi velitis ſuſpicioſa. Cùm aliquid dicimus, dubitant homines ne nova, ne efficta ſint à nobis aut ab iis accepta, qui in invidiam rapti ſunt, veluti perturbatâ religione. Huic ſuſpicioni medemur, ſi ab iis, qui laudati, qui idonei authores diutiſſimè fuerunt habiti, oſtendamus aliquando fuiſſe probata. Doctores itaque iſti atque interpretes in opinionem adducere poſſunt, fidem facere plenè non poſſunt. Ut ergò nemo ea, quæ proponimus & dicimus, à nobis primùm ſine pietate excogitata & dicta putet, & è numero eorum eſſe, quæ in aliquorum, qui probi ſunt & periti habiti, cogitationem minimè unquam ceciderint; adducimus dicta & ſententias veterum interpretum, quos non propterea conferimus, aut conferendos putamus cum ſcriptoribus illis primis, non humano ſed divino teſtimonio probatis: Quin fatemur, hoſce doctores lapſos interdum. Atque utinam eorum ſiniſtrâ patientiâ aliâve causâ non itum ſit in abuſus. Si enim tùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

primùm reſtitiſſent, cùm tàm multi tamque firmi non erant abuſus, difficillimo hoc tempore non laboraremus. At ex iis quidam peritiores auguſtioresque de Gratia fundamentis præclarè jactis, cætera contemſerunt, quaſi ſurgente ingenti hoc ædificio parietinæ ſuperſtitionum & perverſarum opinionum ſtare non poſſent, collapſura per ſe mirum in modum; quidam imprudentiores demulſerunt plebeculas, variis ritibus inſtitutis, propè Ethnicis, & rithmis compoſitis, commentisque poëticis quibuſdam receptis; alii ſuffarcinatione umbrarum veluti legalium, quibus augeretur ſtudium pietatis, cùm minùs nihil ſit factum, ſed benè invectus incredibilis cumulus ſuperſtitionum, offuſaque nox luci Evangelicæ, imminutaque magnâ ex parte fiduciâ illâ in Deum Patrem, in Chriſtum Jeſum, in Spiritum Dei noſtri: Quod factum hodiè liquidiſſimè videmus, recognoſcimusque prædictum à Spiritu ſancto, compellante Eccleſiam his vocibus. *Et interpre-*
Eſa. 43. *tes tui prævaricati ſunt in me, & venerunt ſtructores*
Eſa. 49. *tui deſtruentes te & diſſipantes à te exibunt.*

RECITA CAPUT
DECIMUMTERTIUM.

Teſtimonii cap. XIII.

Commentum ignis purgatorii à Pythagoricis, Platonicis & Poëtis magna ex parte eſſe ſumtum, per aſſertionem ejus commenti remiſſionem peccatorum infringi, reclamantibus omnibus Prophetis, ſanguini teſtamenti ſingularem injuriam fieri, Apoſtolis longè aliter docentibus, Ne evacuetur
1 Cor. 1. crux Chriſti.

Hoc

HOc commento ignis purgatorii nihil quicquam infirmius, nihil tamen quæſtuoſius unquam fuit Epiſcopis, quorum cupiditati nimis anguſtus viſus eſt orbis terrarum. Ii ſimillimi ſunt eorum, de quibus Ethnici dixerunt: *Exhauriunt domos, & ſuperſtitione animos implent.* Miſſa facio incommoda accepta, abuſus, blaſphemias, quæ præter omnium opinionem, qui tùm commentum primum naſcens tolerarunt, ſecuta ſunt. Unum dico, remiſſionem peccatorum hoc commento infringi, merum Evangelium: *Venite ad me omnes*, inquit Chriſtus, *qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos; tollite jugum meum ſuper vos; & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Falleris, inquiunt Pſeudochriſti, ſi poſt Baptiſma mole peccatorum laborans & oneratus, Chriſto licet te quantumvis commendes jugúmque crucis quod ille tulit ſuper te expendas, aliámque inſtituas vitam, putes poſt mortem ſtatim requiem inventurum, niſi te mercimoniis noſtris redemeris. Chriſtus, inquies, pro me mortuus eſt. Quid tum? Reſpondent illi, Culpâ ob Chriſti mortem es liberatus, pœnæ tamen temporariæ ſunt pendendæ. Falſa ergò tot oracula Prophetarum recipientium majora quædam de Chriſto, ejus ſcilicet morte delenda eſſe non modò peccata ſed memoriam etiam peccatorum. Iſti autem non modò memoriam, ſed cruciatus & tormenta multis ac multis annorum millibus reſtare aſſerunt. Quid autem Eſaias pro Chriſto pollicetur? *Ego ſum, ego ipſe ſum qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor amplius.* Quid hoc eſt? *Deleo.* Quid? *Non recordabor amplius.* Et, *Delevi*, inquit, *ut nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulas peccata tua.* Et quoniam, ut conſecratum eſt memoriæ à ſanctiſſimis Apoſtolis, *Huic omnes Pro-*

Declaratio Teſtimonii XIII.

Mat.11.

Eſa.43.

Eſa.44.

Act.10. *Prophetæ teſtimonium perhibent*, *Remiſſionem pecca-*
Jer.50. *torum* recipit Hieremias: *Quæretur iniquitas Iſraël & non erit*, *& peccatum Juda & non invenietur.* Quid eſt *non erit?* Quid eſt? *non invenietur.* Et
Jer.31. alibi: *Et peccati eorum non memorabor ampliùs.* E-
Ezech. 18. zechiel item: *Omnium iniquitatum ejus quas operatus eſt non recordabor.* Et Micheas: *Deponet ini-*
Mich.7. *quitates noſtras & projiciet in profundum maris om-*
Pſ.102. *nia peccata noſtra.* Et David: *Quantum diſtat ortus ab occidente*, *longè fecit à nobis iniquitates noſtras.* Quæ omnia ut eſſent plena ac firma, Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ſedetque ad dextram Dei Patris apparens vultui Dei pro nobis, qui per Eſaiam ea de re peramanter exultat, gratulaturque quodammodo nobis de pleniſſima
Eſai. 1. remiſſione peccatorum. *Venite & arguite me*, *dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra ut coccinum*, *quaſi nix dealbabuntur*, *& ſi fuerint rubra ſicut vermiculus*, *velut lana erunt.* Si dicerem nivem eſſe atram, quis ferret? Si fuloni dicerem in lana optimè curata reſtare ſordes eluendas, excandeſceret iracundiâ homo, qui peritiſſimus ejus artis, in ea lana curanda ſummam diligentiam impendiſſet, & meritò, ſi fuiſſet optimè curata. Qui ergò dixerit ob Chriſti mortem non omnem remiſſionem peccatorum eſſe factam, quantum in ſe eſt dicit: Ecce ego venio, ecce ego arguo: Peccata noſtra non ſunt dealbata ſicut nix, non ſunt munda velut lana. Tu vide jam, quàm hæc verba repugnent promiſſis Dei, quàm ſint immemores beneficii ſanguinis Chriſti, quàm ingrati ii, qui abierint in has blaſphemias. Sunt alia propè infinita, quæ adduci poſſunt ex Prophe-
Eſa.53. tis: Inter quæ & illud tritum: *Verè languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portavit. Verè portavit* dixit, ne tu inanem aliquam ſed plenam remiſſionem delictorum factam eſſe putes. *Et languores & dolores* dixit, ut quivis intelligeret, cùm

cru-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

crudeliſſimè, graviſſimis pœnis inquam, fuiſſet affectus innocentiſſimus Chriſtus, has pœnas fuiſſe penſas pro iis pœnis, quibus debuiſſent affici ob eorum delicta electi Dei. Nam certè ob quid aliud pœnæ acerbiſſimæ penſæ ſint ab innocentiſſimo Chriſto, nihil poteſt dici, niſi pro pœnis ob delicta electorum ſuorum. Neminem verò tàm impium eſſe arbritror, qui auſit dicere, pœnas acerbiſſimas Chriſti non fuiſſe ſatis pro pœnis, quæ vel ante Baptiſmum vel poſt Baptiſmum deberentur ob delicta electorum Dei. Nam ſi hæ non ſunt ſatis, nullæ unquam erunt ſatis, aut, ſi ſunt ſatis, tantùm pro pœnis delictorum ante Baptiſmum, non expedit baptizari, niſi cùm propè abeundum eſt è vita. Hæc hæreſis proximè accedit ad eam, quæ fuit de lapſis poſt Baptiſmum. Quaſi verò Spiritus ſanctus & benignitas Dei non ſit ſemper eadem, quâcunque horâ converſus fuerit peccator à vita mala, & merita Chriſti ſint ad menſuram, & ejus crux non ſatis fuerit pro nobis diu viventibus, niſi nos ipſi pœnis noſtris ſuppleverimus. At quidem ille majori benevolentiæ ſigno non potuit declarare quàm nos amaret, quàm ut peccatorum noſtrorum pœnas ultrò luerit, ne nos lueremus. Quam ob rem jam fermè moriens, ut Spiritus Sanctus per Davidem prædixerat, piè admodum clamabat è cruce: *Deus, Deus meus, quare dereliquiſti me? Verba delictorum meorum.* Pſ. 21. Suſcipe jam cogitationem dignam homine Chriſtiano. Quidnam is, de quo ſcriptum eſt, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*, dicat? *Verba delictorum meorum.* Eſa. 53. Age cum his perpendamus verba Patris: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Eſa. 53. Viden', quod iſti petunt (ut eorum verbis utar) plenariè pœna ſatisfactum ſit divinæ juſtitiæ? Qua de re audi communionem ſanctorum. Omnes enim, qui ad Chriſtum attinent, gratias agunt, & non modò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

modò ore fatentur, ut Pſeudochriſtiani multi,
ſed corde etiam id firmiſſimè credunt ad eorum
juſtitiam, & Chriſtum volunt, fatentur, ample-
Eſa. 53. ctuntur juſtificatorem. *Ipſe autem vulneratus eſt
propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſce-
lera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum & li-
vore ejus ſanati ſumus. Pacis noſtræ* dixit, *& ſanati
ſumus* dixit, ut oſtenderet, relicto in nobis fo-
mite peccati, non inducias, non curationem va-
letudinis infirmam, ſed, quotiescunque ad ipſum
redierimus, remiſſione plena peccatorum, pacem
& ſalutem veram datam nobis per Chriſtum. Qua
2Cor. 5. de re audi Apoſtolum: *Quoniam quidem Deus erat
in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans
illis peccata.* Nunquid pro his, in ignem conji-
cieris ad cruciatus temporarios? An hoc eſt non
Rom. 5. imputare? Item alibi inquit; *Juſtificati ergò ex
fide Pacem habemus ad Deum per Dominum noſtrum
Jeſum Chriſtum.* Et, *Ne evacuetur crux Chriſti,*
2Cor. 5. *inquit: Charitas Chriſti urget nos æſtimantes hoc,
quoniam, ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergò o-
mnes mortui ſunt,* Et, *pro omnibus mortuus eſt
Chriſtus, ut, qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed
ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Itaque,
ſi redemti per ſanguinem Chriſti, in ignem cru-
Col. 2. ciarentur, non ſibi cruciarentur, ſed Chriſto,
qui, inquit, *eſt donans vobis omnia delicta.* Quo-
Auguſ. de doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 27. Irenæus adverſus hæreſes. Valent. lib. 3. cap. 12. modo *donans?* Tutiſſimum eſt, inquit Auguſti-
nus & Irenæus, ſcripturam per ſcripturam expo-
nere. Idem ait Apoſtolus: *Donantes vobiſmetipſis,
ſi quis adverſum aliquem habet querelam, ſicut &
Dans donavit vobis, ita & vos.* Num, ſi quis in-
juriam nobis intulit, jubet Dominus ut abeſſe illum
à culpa dicamus, at ſupplicium nihilominùs ali-
quod ſumamus pro tempore? minimè. Sed li-
beraliſſimè condonandum monet; ſi peccaverit,
non modò ſepties ſed ſeptuagies ſepties, ſem-
Mat. 18. per ita condonandum jubet, ut ne iræ veſtigium
ſit

ſit, ita ut ne meminiſſe quidem injuriarum velimus, & de illis ipſis benè mereamur: Id non ſequeretur, ſi non & ita ipſe ſemper nobis, cùm redierimus, donaret: *Donantes*, inquit, *vobiſmet ipſis ſi quis adverſum aliquem habet querelam, ſicut & dans donavit vobis; ita & vos.* Dubiúmne id eſt, quid ſit *ut dans donavit vobis?* Hæc vel piis animis ſatis ſunt: ut impiis aliqua ſint ſatis, non eſt requirendum. Quamobrem credere debemus, quod uno ore tàm firmè teſtantur Prophetæ, quâcunque horâ converſus fuerit peccator, Spiritu Dei commonitus, & dono gratiæ Dei in viam redierit, extare Deum, divinâ illâ liberalitate, non peccati, non vindictæ ullius memorem, ſed paratiſſimum ad excipiendum per Jeſum Chriſtum ſummâ etiam lætitiâ, *per quem*, inquit Apoſtolus, *reconciliavit ſibi Deus quæ ſunt in cœlis & quæ in terris.* Nam, quòd contra tot tantáque teſtimonia Prophetarum & Apoſtolorum, tres vel quatuor ſubobſcuros & incertos locos ſcripturæ pervertunt, faciunt ut ſolent cætera. At præponenda ſunt à vobis, in quibus habitat Spiritus Dei, multa paucis, certa incertis, firmiſſima infirmis, in quibus, quoniam ad aliud properat oratio mea, nolo multum morari. Locum, quem ex Epiſtola ad Corinthios prima de igne adducunt, Chryſoſtomus & Theophilactus ea in Epiſtola non de purgatorio igne ſed Gehennæ interpretantur. Auguſtinus non modò interpretatur ſed argumentatur probatque per eum ignem tribulationis, tentationem, debere intelligi. Quod ex Matthæi Evangelio colligunt, id tale eſt, ut quivis intelligat ingenium eorum, qui abuſus defendunt. Si qui ſunt, qui plus nimio dialecticentur in ſacris libris, hi ſunt Scholaſtici homines: Tamen, ut pervicaciâ vincant, non pudet eos colligere ex negativa propoſitione affirmationem, quem dolum Sophiſtarum omnes Dia-

1 Cor. 3. Chryſoſtom. Theophilact. Auguſ. in Enc. ad Laur. cap. 68.

Axioma Dialecticorum omnium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Dialectici rident. Ii, ut nobis illudant & populo Dei, cùm placet, Dialecticæ regulis omnia examinant atque obſtringunt, cùm rurſus placet, rejiciunt eam omnem diſciplinam, & intra cancellos ipſi contineri nolunt. Aſtutè. At Augustinus & Hilarius antiqui & doctiſſimi interpretes, non his dolis. Ii, cùm ſingillatim ea verba ponderaſſent atque illuſtraſſent magnis commentariis, nihil tale viderunt poſſe colligi. Concluſionem elicit Hilarius aſſimilem præmiſſæ. Omninò peccata cujuſque generis remittenda, blaſphemiam in Spiritum S. non remittendam. At iſti magni Dialectici ratiocinantur ex eo: Quod de aliquibus negatur, patet, quod de quibuſdam conceditur: Undè hoc Dialecticæ genus? Negatur de aliquibus homo, ſi dixero Homo neque lapis eſt neque lignum: ergò concedendum eſt aliquem hominem eſſe lignum. At ne in his diutiùs; Auguſtinus tandem abſolvit quæſtionem his verbis: *Quod ſcriptum eſt in Evangelio Marci; Non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti, Quid eſt aliud quàm id quod ſecundum Matthæum legitur, Non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Aliis quippe verbis & alio loquendi modo, eadem ipſa eſt expreſſa ſententia, alium Evangeliſtam non deſtruit alius ſed exponit.* Ex Malachiæ verbis firmi nihil habent adverſarii. Loquitur enim is de Johanne Baptiſta, quemadmodum declarat Dominus ipſe in Evangelio, proſequitur poſtea Propheta conjunctim, ut ordo poſtulat, adventum Meſſiæ, qui dicitur Chriſtus; Si de alia re ſermo eſſet, ſenſus ille de Johanne Baptiſta & Meſſia conjunctiſſimus & continuus divideretur. Nihil eſt quod de adventu primo non optimè quadret. Quod in Apocalypſi dictum eſt, facilè omnes intelligent, qui norint tropos ſcripturæ. Sæpè enim à brutis inanimis atque inſenſibilibus laudari & benedici Deus dicitur, non quòd ore quædam

quod

Hilarius in Mat. Canone 12.

Ineptiæ Scholaſticorum.

Auguſ. de verbis Domini ſupra Matth. ſerm. 11.

Mal. 3.

Apoc. 5.

quod non habent Deum laudent, ſed quòd ex iis tam bellè diſpoſitis eáque ſapientia productis, quæ in admirationem traduxit ſemper omnes homines, laus ingens atque immenſa redundet in Deum. Huc ſpectant cantica illa: *Laudate Dominum beſtiæ & univerſa pecora, ſerpentes & volucres pennatæ. Benedicite ignis & æſtus Domino; benedicite noctes & dies Domino.* Quódque iſti videntur non animadvertiſſe, de iis (quos Spiritus vocant) omnibus pariter eſt dictum. *Omnis Spiritus laudet Dominum.* Quis hæc intellexerit, niſi tropum ſcripturæ intellexerit? Nam ſi quis ob hæc dicta deducat, ergo nix benedicit Dominum, ineptiſſimus eſt. At, ſi quis ex omnibus quæ ſunt in cœlo terra & inferis cumulatiſſimè laudem referri in Deum aſſerat, ad cujus gloriam facta ſunt quæ ubique ſunt, veriſſimè aſſeret, ita ut veluti uno ore æquè omnia concinant: *Sedenti in throno & agno, benedictio honor & gloria.* Sunt & aliæ interpretationes non rejiciendæ. Sed quid ego apud tales viros de his diutius? Cùm præſertim doctiſſimi homines ad hæc & cætera, quæ objiciuntur, appoſitè & copioſè reſponderint. Commentum de purgatione animorum à Pythagoricis Platonicis & Poëtis ſumtum non diſſimili argumento ex fabulis Græcorum potuiſtis noſſe, quod Latini Poëtæ ſecuti verſibus celebrarunt.

Pſ.148.

Apo. 5.

Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes, penituſque neceſſe eſt,
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Inveſtum eluitur ſcelus aut exuritur igni.

Commentum undè ſumtum ſit videtis. At quod ſpectris authoribus ab Evangelio Chriſti de firma plenáque remiſſione peccatorum, reclamantibus Prophetis & Apoſtolis, abduci potuerunt, fuit quidem indigniſſimum. Ajunt enim, animos duorum hominum, qui mortem obierant, in balneis, ſqualidos, ſordidos, Gregorio eſſe viſos, hos petiiſſe, ut prò ſe fierent oblationes, quæ Gregorianæ hodiè appellantur, eas remedio fuiſſe, ut illi pœnis liberarentur, aſſecutique remiſſionem peccatorum in regionem piorum convolarint. Nolite dubitare, Principes, dæmonia quædam formâ hominum induta, non hominum animos, fuiſſe emiſſa ad Chriſti gloriam imminuendam, ad evacuandam crucem Chriſti, ne ſcilicet remiſſionem peccatorum, nobis piè abeuntibus è vita, omni ex parte factam plenam atque perfectam eſſe Chriſti morte crederemus. Gloriæ crucis Chriſti malum dæmoniorum genus eſt inimiciſſimum. Dæmonia illa fuerunt, ad ſolicitandos homines, ut ingrati immemoreſque eſſent beneficii accepti ob mortem Chriſti, ut, precium redemtionis ſolutum eſſe negantibus hominibus, quos ſanctos appellaremus, aliqua ex parte quod omni ex parte eſſet ſolutum, ſingularis injuria fieret ſanguini teſtamenti in perniciem animorum noſtrorum ſempiternam. Qui à dæmonibus vexantur, ſæpè, cum ſuper eos nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti à piis invocatur, clamant eſſe ſeſe aut occiſorum quorundam hominum animos aut eorum qui ſuſpendio perierint aut morte aliqua tetra: quod magni Theologi falſum eſſe docent, aſſeruntque non dubias eſſe illuſiones dæmonum, qui ſuperſtitiones & tenebras vellent offundere humano generi, certas eſſe animis aſſignatas à Deo ſedes ſive cruciatus ſive quietis. Id illi tandem in nomine Jeſu convicti fatentur, & cujus legionis ſint coguntur dicere. Quod ſi verum eſt, quis tum non videat hujuſmodi monſtra illuſiones fuiſſe dæmo-

dæmoniorum, quæ perſuaderent animos hominum vagari poſt mortem, & ad balnea quoque relegari, ut Poëticis fabulis ſancta conſpurcaretur Chriſti religio & ad illud laberemur *Centum errant annos volitantque hæc balnea circum?* Facit enim Deus aliquando poteſtatem dæmoniis, illudendi in portentis & ſignis, ſive ob peccata noſtra, ſive ut illuſionibus iis illuſtratione Spiritus ſancti mirum in modum rejectis effulgeat gloria Chriſti, cujus Evangelium nos qui in lucem admirabilem vocati ſumus ſequi par eſt, neque modò dæmoniis credere ſed ne angelis quidem de cœlo, ſi aliud evangelizent quàm quod receptum eſt debemus. An, ſi conſtet nos optimè eſſe ablutos, imò verò ſanctificatos & juſtificatos, & dixerit aliquis poſt mortem abluendos & purgandos, non aliud evangelizat? Teſtimonium dæmonia cùm dare vellent, reſpuit Chriſtus, & minas etiam addidit. Et de purgatione animorum doctrinam ad minuendam gloriam crucis ab his recipiet Eccleſia cujus dux & moderator eſt Chriſtus? ecquid aliud illuſores illos voluiſſe putatis? niſi ut perſoluto precio, & pœnis depenſis pro peccatis noſtris, à Chriſto tàm amanter, tàm liberaliter, plus etiam quàm oportebat, aliqua à nobis injuria fieret Spiritui gratiæ & ſanguini Teſtamenti per quem ſanctificati ſumus, ut periremus culpa noſtra, qui, ſi nos eo ſanguine verè ablutos crederemus & Chriſtum juſtitiam noſtram fateremur, ſalvi eſſe poſſemus. Obſecro, quid ſit illud, quod in edicti formam iis verbis Spiritus ſanctus juſſit pronunciari, perpendite etiam atque etiam: *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum dixerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit;* Hæc addidit cùm prius dixiſſet, *Et peccatorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius. Ubi autem horum remiſſio, jam*

Marc. 15.
2 Theſ. 2.
Gal. 1.
1 Cor. 6.
Marc. 3.
Heb. 10.

non eſt oblatio pro peccato; Quibus illud videtur conſectarium; Qui Chriſto ſemel pro nobis oblato peccatorum & iniquitatum Deum recordari aſſerit, Qui remiſſione peccatorum gratis per Spiritum Dei facta oblationem jam eſſe pro peccato aſſerit, is reclamantibus Prophetis, reclamantibus Apoſtolis, conculcat filium Dei, evacuat crucem Chriſti, & ſanguini teſtamenti ſingularem injuriam facit. Quæ ſi indigna & non diutiùs toleranda viderentur, ea ne jam fiant, vobis ad gubernacula Reipublicæ ſedentibus, providete, Principes, ipſi, in quibus habitat Spiritus Dei.

RECITA CAPUT
DECIMUM QUARTUM.

Teſtimonii caput XIV.

De Cœna Domini Sacramentum eſt ſanctiſſimè inſtitutum à Chriſto, quod à Paulo cæterisque Apoſtolis & diſcipulis Domini & multis poſtea ſeculis, quibus optimi fuerunt Chriſtiani, ſummâ diligentiâ eſt obſervatum. Verùm in hoc ut in cæteris videndum, ne arrogantia quorundam, qui omnia ſibi licere putarunt, itum ſit in abuſus. Quod ſi ipſe Apoſtolus in hoc ritu nihil ſibi temerè faciendum putavit, quam moderationem adhibere cæteri debuiſſent, facilè intelligimus. Quid autem inquit Apoſtolus? **Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.**

1 Cor. 11.

Declaratio teſtimonii XIV.

CUm dormientibus hominibus jam olim inſtigante Sathana aliud ſemen ſuperſeminatum ſit in agro Domini, & incredibiles abuſus cre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

creverint in Eccleſia crebritate traditionum hominum reſcindentium verbum Chriſti & inſtituta Apoſtolorum, accuſantur adverſarii. Ii ut in aliquo loco conſiſtant, in dicto quodam Pauli præſidia defenſionis conſtituerunt. Locus eſt apud Paulum in epiſtola prima ad Corinthios, quos inter cùm eſſent contentiones, quas ille ſciſſuras vocat, cujuſmodi fortaſſe, niſi majores, hoc tempore ſunt in Eccleſia, De manducatione Cœnæ Dominicæ eos arguit, quòd non invicem ſeſe expectarent commonens his verbis: *Itaque fratres mei, cùm convenitis ad manducandum, invicem expectate: Si quis eſurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis, cætera autem cùm venero diſponam.* Sunt hæc conjuncta & continua, quid iſti hæc ad abuſus defendendos vertunt, cùm de ritu & uſu Cœnæ Dominicæ loquatur Apoſtolus? Agite verò per Jeſum Chriſtum iſtorum hominum ingenium conſiderate. Ex hoc loco volunt tueri propè omnes ritus, quos, ubi per ſcripturas Canonicas non poſſunt oſtendere ſibi ab Apoſtolis traditos, velut acceptos per manus aſſerunt. Videamus quî tueantur. Videte quantum ipſis concedam: Si in hoc ritu ſervando fideles fuerunt & veluti depoſitum aliquod integrè cuſtodiverunt, in cæteris omnibus fatebor fideles fuiſſe; At ſi, quo integritatem ſuam in cæteris volunt probare, hunc ipſum ritum, quem non eſſet auſus Apoſtolus alium facere ab eo, quem Chriſtus inſtituerat & diſcipulis adminiſtraverat, & quo primitiva Eccleſia illa uſa eſt, quæ incredibili hominum ſanctitate floruit, ſi hunc, inquam, ritum tantis authoribus Chriſto, Paulo, cæteris Apoſtolis & primitiva Eccleſia firmum ſanctúmque, audaces iſti homines conturbare, permiſcere, & non modò clàm multa addere, ſed publico edicto multa demere non ſunt veriti, Quid credamus in cæteris ritibus, in quibus neque tales neque tantos authores poſſunt oſtendere, continuiſſe ſeſe intra cancellos, intra pietatis terminos, ullis

1 Cor. 11.

officii & reverentiæ legibus? Nam certè, quàm inſtitutionis Chriſti, Apoſtolorum & primitivæ Eccleſiæ rationem habuerint, obſecro cognoſcite ex edicto eorum in ſeſſione decima tertia Concilii Conſtantienſis. *Recita edictum. Licet Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit & ſuis diſcipulis adminiſtraverit ſub utraque ſpecie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, hoc non obſtante, & licet in primitiva Eccleſia hujuſmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraque ſpecie panis & vini, poſtea à conficientibus & à laicis tantummodò ſub ſpecie panis ſuſcipiatur. Quapropter dicere, quòd hanc conſuetudinem aut legem obſervare ſit ſacrilegum aut illicitum, cenſeri debet erroneum, & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici arcendi ſunt & graviter puniendi.* Quæ hæc eſt in verbis Phariſaicis audacia? quæ in edicto Antichriſti impietas & truculentia? *Licet*, inquiunt, *Chriſtus poſt Cœnam inſtituerit & ſuis diſcipulis adminiſtraverit, tamen hoc non obſtante.* Quid ergo obſtat, ſi hoc non obſtat? *Licet*, inquiunt, *in primitiva Eccleſia hoc venerabile Sacramentum reciperetur ſub utraque ſpecie, hoc non obſtante, petentes laici communicari ſub utraque ſpecie, tanquam hæretici arcendi ſunt, & graviter puniendi.* Si Chriſti, ſi Apoſtolorum, ſi diſcipulorum Domini, ſi primitivæ Eccleſiæ ratio habita non eſt, cujus rei habitam olim ab iſtis putatis rationem aut habendam unquam? Si tanti ac tales authores, Chriſtus, Paulus, Apoſtoli, Diſcipuli Domini, primitiva Eccleſia, non obſtiterunt iſtorum audaciæ, quorum judicio & monitis arbitramini impios ſacrilegos potuiſſe aut poſſe cohiberi? Neque verò me fugit multas adverſarios comminiſci cauſas, quibus ab inſtituto Chriſti, à conſuetudine primitivæ Eccleſiæ ſit receſſum, ut ne ſub vini ſpecie ſervatum Sacramentum coaceſceret, nève cùm per urbem circumferretur lapſu Sacerdotis poſſet effundi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Hoc illud eſt quod dicebam: Si tam diligentes fuiſſent Epiſcopi Romani in excogitando, ut præceptum Chriſti ſacrum, ſolemne, integrum, perpetuum maneret, quàm fuerunt in ſanciendo, ne aliqua ex parte ſervaretur, ô felicem Rempublicam Chriſti! Quid opus eſt ſervari Sacramentum in ære? quid circumferri per urbes, ſi domi poteſt confici & exhiberi ægroto? An Sacramentum hoc in templo Salomonio inſtituit Dominus, vel domi potiùs alicujus? Omnia ſunt excogitanda, ut præceptum, ut inſtitutum Domini ſtet. Cauſæ, ſi quæ obſtare videntur, tollendæ ſunt, non excogitandæ cauſæ ad pervertendum & tollendum præceptum & inſtitutum Domini. Quòd verò quidam non modò Laicis tenuioribus ſed Imperatoribus & Regibus ſacrificulos & Saliſubſulos quoſdam de grege eorum, de quibus dicemus, putent præferendos & acceptione Sacramenti diſtinguendos, primitiva Eccleſia, quæ ſervavit traditionem Apoſtoli, in qua non erat iſta diſcretio, teſtimonio eſt, quòd ambitione faciant non Apoſtolico inſtituto. Nam quòd Chriſtum Pontifices ſibi inſtituerint antecurſorem in itineribus & laterna, & præſidio circumſtant, faciunt & indignè & aſtutè, ut ferociorum animos contineant, & plebeculæ undique effluentes provolvantur ad pedes eorum, quos, ut ipſi volunt perſuaderi, Chriſtus ipſe concomitatur. Sunt Pontificum Romanorum hæ propriæ artes: In his nolite quærere quàm ſint excellentes. Quòd autem mercimonia quoque ex hoc Sacramento inſtituta ſint nolo commemorare. Diſertiſſimè enim & graviter ea de re dictum eſt, & dicetur fortaſſe ab aliis. Neque eſt dubitandum, ut ea à Piis, Auguſtis, Optimiſque Principibus tollantur, quos ſervus Jeſu Chriſti (quantum nomen Chriſti commovere poteſt) orat atque obſecrat per Jeſum Chriſtum, ut hoc Sacramentum quàm

fieri poteſt puriſſimum reſtituatur ex veſtigiis doctrinæ Apoſtolicæ, non per modum oblationis novæ & ſacrificii, ſed commemorationis tantùm
Heb. 9. oblationis ejus ſanctiſſimæ & ſacrificii, quod ſemel factus eſt Chriſtus pro nobis, quo à ſeipſo tàm amanter pro nobis oblato, & in ſacrificium libentiſſimè accepto à Patre, omnes oblationes & ſacrificia ceſſerunt in abominationes. Undè vox Domini obteſtantis: *Qui offert oblationem quaſi*
Eſa. 66. *qui ſanguinem ſuillum offerat.* Oblationes enim & ſacrificia in hoc tantum pro tempore erant conſtituta, ut veluti umbræ ſignificarent hoc unum Domini ſanctum & ſalutare, in quo ſalus facta eſt omnibus invocantibus nomen ejus. In Commemorationem ergò Domini Cœna eſt manducanda,
Luc. 22. qui inquit, *Hæc facite in meam commemorationem.*
1 Cor. 11. Et Apoſtolus: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Hoc ergò tantùm faciendum, dum in commemorationem divino inſtituto manducamus panem illum & calicem bibimus, ut mortem Domini annunciemus, donec veniat. Sed tu jam,

RECITA CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Teſtimonii cap. XV. Preces, rogationes publicæ, imprudenter fortaſſe nonnullæ irrepſerunt rudibus ſeculis, nonnullæ ſuperſtitioſis. Quamobrem in hanc quoque curam eſt incumbendum, viri DEI, ut ſint puræ caſtæque deprecationes, modique orandi Evangelici, ut & imperiti etiam benè petere aſſueſcant. Verba

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

enim Apoſtoli commonefacere nos debent. Petitis & non accipietis, eo quod male petatis. Jac. 4.

QUòd Chriſtus ipſe formulam orandi dictarit, univerſæ Eccleſiæ permagni refert: Quòd autem receperit, quicquid à Patre per ſe petierimus, id nos impetraturos, manifeſtè à Patre per Filium docet eſſe petendum. Atque hoc Ambroſii illud eſt. *Filius vult rogari Patrem: Pater vult rogari per Filium.* Progredientibus ſeculis ſenſim (quæ eſt infirmitas hominum) aliæ formæ ſunt excogitatæ, quæ nunc à contentioſis & ſuperſtitioſis defenduntur ex locis ſubobſcuris & incertis ſcripturæ, ſiniſtrâ nonnunquam interpretatione depromtis. At ſi certiſſima dubiis, perſpicua obſcuris, optima cæteris præponenda ſunt, hanc unam deprecandi formam cæteris præferemus. At eò proceſſit impietas & audacia latronum, qui à Pontificibus Romanis omnibus locis diſpoſiti ſunt, ut quæſtuoſas traditiones tueantur, ut ſi quis concionetur, hoc orandi genere aſſuefaciendum populum Dei, alia genera intra modum adhibita, peritioribus fortaſſe non eſſe periculoſa, infirmioribus & imperitis periculum aliquod poſſe creare, ut ſi in orando cultum, qui uni Deo debetur, creaturæ dent, ſi ſanctorum patrocinia toto animo complexi, ſpei minùs minúsque fiduciæ in Chriſto habeant, eâque re impediantur, ne toto corde & mente omni diligant Dominum Deum, quod maximum præceptum eſt, in hac rogandi formula, quam Chriſtus inſtituit, nullum periculum ineſſe. Ita, inquam, ſi concionetur, eò proceſſit impietas & audacia hominum Pontificiarum partium, ut magnum periculum impendeat homini Apoſtolicè & Evangelicè docenti. Ignorantia verò & confuſio per-

Declaratio Teſtimonii XV. Matt. 6. Joh. 15.

verſioque primi & maximi præcepti, de uno Deo tantùm colendo totâ mente & corde & animo, excuſationem ullam non habet: ſiquidem *plus*
Ad Coloſſ. *quàm oportet, non neceſſe eſt ſapere, ſed quantum oportet ſapere omninò neceſſe eſt.* Nam quòd, ut diximus, Apoſtolus gentium ob idipſum Epiſtolam ſcribat, & tantopere contendat, angelos neque eſſe credendos neque appellandos, neque invocandos mediatores Dei & hominum, ſed unum Jeſum Chriſtum, commonefacere gentes ſatis debet, nunquam fuiſſe daturum Apoſtolum, ut animas hominum, qui è vita deceſſerunt quantâlibet ſanctitate fuerint, appellaremus atque ſolemniter invocaremus patronos, interceſſores aut mediatores. Quæ non eò dico, ut Virginis clariſſimæ & glorioſæ & ſanctorum hominum memoriam delendam putem, immò verò peregregiè conſervandam. Verùm ea tollenda arbitror, quæ ſi illi viverent, non ferrent. Novimus
Act. 14. Barnabam & Paulum, cùm ipſis de aris ponendis turbæ Lyſtris cogitarent, conſciſſis tunicis exiliſſe & proclamaſſe: *Viri quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus, & ſimiles vobis homines.* Novimus
Act. 10. vimus Petrum, cùm ad ejus pedes abjeciſſet ſe Cornelius Centurio, apertè recuſantem hujusmodi cultum & arguentem his verbis: *Surge & ego ipſe homo ſum.* Hæc cùm ita ſint, tamen nos de templis ponendis & de cultibus iis cogitamus, quos illi omninò vetuerunt. Quid hoc eſt? Utrum honoribus afficere ſanctos viros, an verò graviſſimis injuriis onerare? De ſtatuis autem & pictu-
Pſ. 113. ris cum Propheta dicimus; *Simulachra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confi-*
Pſ. 69. *dunt in eis. Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis.* Nam quòd aliquibus ſeculis quædam conceſſa fuerunt, habuit fortaſſe ea res excuſationem, quòd per
id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

id tempus lacte opus erat & non ſolido cibo. Nunc verò, cùm jam non ſimus parvuli fluctuantes, occurramus, Viri fratres, *in unitate fidei, in virum perfectum, in agnitionem plenitudinis veritatis.* An ignoramus hoc abuſu in Idololatriæ ſpeciem incidere plebeculas, majores fieri concurſus ad hanc ædem quam ad illam, ſtatuæ aut picturæ alicujus gratia, ante quas vulgò ſe homines abjiciant atque provolvant. Quod malum quoniam neque nunc primum repit, haud nunc primum admonuit Spiritus Dei, qui in concilio aliquando meminit ſuæ voluntatis. Nam quæ ea vox eſt? *Placuit picturas in Eccleſia Dei eſſe non debere, ne, quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.* In cordibus enim fidelium non modò pictum ſed fixum eſſe debet, Viri fratres, quod in Spiritu coli debeat & adorari, dicente Domino, *Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate*, nam & Pater tales quærit qui adorent eum. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare.* Cujus rei gratiâ extant Spiritus ſancti monimenta illa æterna Canonicæ Scripturæ, ex quibus ut puram integramque pietatem hauriant homines, ſanctiſſimi Apoſtoli inſtituerant, ut Presbyteri, non ſacrificuli, ſed ſeniores quidam ſpectatæ vitæ & doctrinæ per civitates conſtituerentur, ad prædicandum verbum Dei, non ad ponendas ſtatuas, picturaſque exornandas, ut ex his (quod ajunt) ruſtici & imperiti edocerentur, ſed ex vivo & efficaci ſermone Dei, *qui penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac Spiritus, diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Id enim imprimis eſt cavendum, Viri Principes, ne indulgentiâ ſtatuarum occaſio detur infinitæ hominum multitudini ad Idololatriam, quâ illi quidem peribunt, Sed eorum animas Dominus de manu veſtra requiret. Id ne vanum

Concilio Eliberitano cap. XXXVI.

Joh. 4.

Act. 14.

Heb. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

num aut futile putetis, conteſtatur hodiè vobis ſervus Jeſu Chriſti, quod illi in impietate peribunt, animas autem eorum Dominus de manu veſtra requiret. Hoc zelo Imperatores quidam olim graviter commoti, vi Pontificum Romanorum nihil profecerunt. Ii Pontifices, ne vobis impedimento ſint, providete, Principes vos, in quibus habitat Spiritus Dei, eorum apertiſſimam impietatem, ad reſiſtendum ſemper Spiritui ſancto, ſicuti & patres eorum, ne ſequamini. Audite quàm indignè, quàm inſipienter ex iis unus quidam maximus falſæ pietatis involucro, quo ſe ille ſæpè obtexit, reprehenderit Servium Epiſcopum Maſſilienſem, qui, ad Idololatriam ruentem populum cum animadvertiſſet, ſtatuas omnes in Eccleſia confregerat. *Perlatum*, inquit, *ad nos fuerat, quòd inconſiderato zelo ſuccenſus ſanctorum imagines ſub hac quaſi excuſatione, ne adorari debuiſſent, confregeris, & quidem, quia adorari eas vetuiſſe laudamus, omninò fregiſſe reprehendimus. Dic frater, à quo factum ſacerdote aliquando auditum eſt quod feciſti?* Ut omittam de Paulo Apoſtolo illud, *quod, cùm Athenis eſſet, incitabatur Spiritus ejus, videns Idololatriæ deditam civitatem;* Nonne ô Gregori legimus, Ezechiam Regem Deo gratiſſimum, illum ipſum, de quo ſcriptum eſt, *qui fecit quod erat bonum coram Domino juxta omnia quæ fecerat David pater ejus, ipſe diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes; ſiquidem uſque ad illud tempus filii Iſraël adolebant ei incenſum;* quem tamen ſerpentem fecerat Moyſes, poſueratque ex juſſu Dei, & erexerat ad ſalutem conjicientium oculos in eum, fregit ſignum ipſum Chriſti Domini, cùm idololatriæ periculum ex eo immineret, confregit, inquam, Ezechias ſignum crucifixi, *Et erat Deus cum eo*; Propter quod laudatur Ezechias in ſcripturis ſanctis, Reprehenditur Servius à Pontificibus Romanis.

[Margin: Ex Epiſtola Gregorii Papæ ad Servium Epiſcopum Maſſilienſem. Act. 17. 4 Reg. 18. — Num. 21.]

Non

Non eſt idem Spiritus qui laudat & qui reprehendit. Ecquid erat, inquam, ſerpens ille æneus, niſi ſignum ipſum referens Chriſtum Domini? Hoc tamen ſignum tàm ſacrum, tàm ſolemne poſitum, ut eo commonerentur omnes de Chriſto, in quo ſpes omnis ſalutis eſſet ponenda, Imminente periculo Idololatrias, confringi debere, Spiritus Domini pungens monuit Ezechiam. Eodem Spiritu, qui eſt Spiritus intellectus & ſapientiæ, punctus & commonitus Servius, ſuccenſus dicitur Spiritu & zelo inconſiderato. Sunt hæ blaſphemiæ in Spiritum ſanctum propriæ Pontificum Romanorum, per quos non eſt dubitandum, ſæpè illuſiſſe Sathanam gentibus & populis præ ſe ferentem angelum lucis. Sed ego hæc miſſa facio. Ad illud potiùs venio, quod authores ipſi, quibus nituntur, tametſi aliquando non ita conſtanter locuti ſunt, ea tamen vis eſt veritatis ut ſæpiùs graviſſimè commonuerint firmiterque aſſeveraverint; Quod operæ precium eſt audire; *Qui habet aures audiendi audiat, quid hic Spiritus dicat Eccleſiæ. Aliter orare, quàm Chriſtus Filius Dei qui veritas eſt docuit, non ignorantia ſola eſt, ſed culpa, quando ipſe poſuit & dixit; Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis.* Quid eſt, *non ignorantia ſola eſt ſed culpa?* Dicant jam, ignorantiam ejus rei minimi eſſe faciendam, operarii Sathanæ. Hæc Cyprianus & Auguſtinus in Euangelio Johannis multis ac multis agit, ne in ſanctis, quos montes appellat, ſpem ponamus & collocemus. *Non poteſt*, inquit, *eſſe in pace, qui ſpem ponit in homine. Nolite ſic erigere oculos in montem, ut putetis in homine ſpem veſtram eſſe collocandam, Et ſic dicite, Levavi oculos meos in montes undè veniat auxilium mihi, ut ſtatim ſubjungas, Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram. Undè enim & montes acceperunt, ibi & ſpes noſtra ponenda eſt. Mons erat & ille Baptiſta Jo-*

Cypr. in ſermon. de oratione Dominica.

Auguſt. in expo. Evang. Johan. tract. 1. cap. 1.

Johannes, qui dixit, Non ſum ego Chriſtus, ne quiſquam ſpem in monte ponens caderet ab illo, qui montes illuſtrat. Et Chryſoſtomus, cùm ea verba interpretaretur, *Unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet, fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*, ſubdit, *Super hoc ergò ædificemus, & pro fundamento habeamus tanquam palmitem vitis, Nullum ſit medium inter nos & Chriſtum, Quod ſi medium aliquod intercederet, id quamprimùm aboleamus.* Quæ etſi veriſſimè dicta ſunt, quia tamen ejus non ſunt authoritatis quâ ſcripta illa divinitùs, ab illis non recedamus, ex quibus docendi ſunt populi ut firmiſſimis hæreant, & fiduciam in Deum per Chriſtum habeant. Juſtificati, inquit Apoſtolus, gratis per gratiam ipſius, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ejus, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, non ergò ut te ex operibus tuis juſtum oſtendas, ſed ut ipſe Chriſtus clarificetur, quod eſt, ut omnibus ſit compertiſſimum, quia ſolus ipſe eſt juſtus, per ſe ipſum tantùm juſtificans nos, juſtitia ipſe noſtra, lavans nos in ſanguine ſuo. Eſt ergò perpendendum, quòd noſtrâ causâ veniâ digni non ſumus, quod mediatore opus eſt ad Deum, ſed firmiſſimè credendum, unum mediatorem Dei & hominum eſſe Chriſtum, cujus ſanguinis & vitæ effuſione pro nobis placatus eſt Pater, ita ut quicunque quâcunque horâ, ut pollicitus fuerat per Prophetam, ad Deum revertemur, nos benignè excipiet. Quamobrem aſſiduum propitiatorem habemus apud Deum præpotentem & volentem. *Unde & ſalvare* inquit Apoſtolus *in perpetuum poteſt accedentes per ſemet ipſum ad Deum.* Et rurſus; *Non enim in manufacta introiit Chriſtus exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Sunt hæc firmiſſima, quibus nemo

Chryſ. in epiſt. 1. ad Corint. cap. 3.

Rom. 3.

1 Tim. 2.

Heb. 7.

Heb. 9.

eſt

eſt tàm ſtolidus ut putet comparari poſſe quæ adducunt adverſarii eruta ex locis obſcuris & incertis: Cujuſmodi eſt illud, *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* Viden', inquiunt, cùm jam olim è vita diſceſſiſſent Moyſes & Samuel, de ipſis tamen dicitur, *Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me.* Non pudet hæc proferre in lucem? Tropi ſunt quidam ſcripturarum, qui & frequenter apud Latinos; his non benè acceptis, nihil mirandum ſi cætera malè accipiantur. Conditionis nota nihil habet firmi, nihil aſſerit, nihil ex ea ſequitur, niſi antecedens poſtea affirmes ac ſumas, ex quo conſequitur id quod eſt annexum; at per ſe nota nihil complectitur. Tale eſt illud, Jer. 15.

Non tali auxilio nec defenſoribus iſtis
Tempus eget, non ſi ipſe meus nunc afforet Hector.

Neque enim ſequitur; Si viveret Hector, Troja non caperetur, Ergò ſignum eſt Hectorem vivere. Sed benè Tropus eſt, quo oſtenditur nullam eſſe ſpem de ſalute Trojæ. Sic neque ſequitur, ſi Moyſes & Samuel orarint, non flectar, ergò ſignum eſt Moyſen & Samuel mortuos orare. Sed benè colligitur, nullam eſſe ſpem in flectendo. Tropo item illud eſt involutum. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quis eſt qui recipit in æterna tabernacula? Quis eſt qui dat vitam æternam? nempe is qui dicit. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me,* Et, *Ego vitam æternam do eis.* Nam ſi quòd unicuipiam ex minimis Chriſti fecerimus Chriſto fecerimus, & quia pro ea re, quæ fidem non inanem conſequitur, nobis Chriſtus dat vitam æternam, dicuntur quodammodò Luc. 16. Joh. 10. Mat. 25.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

& illi dare nobis vitam æternam. Ut ſi quis furtum fecerit avarus, & ob ſubreptam pecuniam infelici arbori reſte ſuſpendatur, dicimus, pecuniæ illum ad furcas adegerunt, cùm tamen ad furcas non pecuniæ ſed lictores hominem adegerint. Horum ſimilia multa ſunt ineptiſſimè ab adverſariis adducta, quæ, ne vobis faſtidio ſim, omitto. Nam quod viventes orant pro viventibus, non puto vos expectare ut diluam. Ab iis (inquiunt Theologi) qui ſunt in ſtatu promerendi, charitas exigitur. Hîc inſurgunt. Non eſt credendum charitatem minui in animis beatorum. Quare, cùm ii charitatem habuerint viventes, eam, non eſt credendum, amiſſam in meliore vita. Conjectura hæc eſt non ſat firma. Quid ſi id eſt, quod nonnulli aſſerunt, omnem illorum charitatem, quæ, ut ipſi loquuntur in duos ramos, diviſa erat, (in dilectione Dei & proximi) poſtquam à nobis eſt deceſſum, in unum ramum cohæſiſſe, in dilectione ſcilicet ſolius Dei; Ad ejus majeſtatem, potentiam, gloriam contemplandam converſi, aliud præterea nihil cogitare dicuntur, Chriſti gloriam expectantes & regnum Dei tanto deſiderio, ut de vindicta clamare etiam dicantur, & charitate tamen ardeant, amore ſcilicet illo in Deum. Adde, quòd etſi in ſinu Abraham eſſe dicantur, qui tamen ſit ille ſinus, qui ſtatus dormientium, ad diem uſque judicii non liquet. Qua de re Auguſtinus. *Sed quinam ſint illi beatiſſimi, qui jam ſint in ea poſſeſſione, quò ducit hæc via magna, quæſtio eſt. Et angeli quidem ſancti quòd ibi ſint, nulla quæſtio eſt. Sed de ſanctis hominibus jam defunctis, utrum ipſi ſaltem dicendi ſint jam in illa poſſeſſione conſiſtere, meritò quæritur.* Et Irenæus inquit: *Cùm enim Dominus in medio umbræ mortis abierit, eò ubi animæ mortuorum erant, poſt*

deinde

Apoc. 6.

Auguſ. libr. I. c. XIV.

Irenæus adverſ. hæret. Valent. lib. V.

deinde corporaliter reſurrexerit, & poſt reſurrectionem aſſumtus eſt, manifeſtum eſt, quia diſcipulorum ejus, propter quos & hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inviſibilem locum, definitum eis à Deo, & ibi uſque ad reſurrectionem commorabuntur ſubſtinentes reſurrectionem. Prætereo aliorum opiniones, & de dormitione quædam, & cætera nata ex conjecturis, quæ nihil habent firmi & comperti. At modus iſte rogandi à Patre per Filium non eſt ex conjecturis, firmiſſimus eſt, nuſquam dubitabilis; quia ex verbo Dei. Quæ amentia tandem eſt aſſuefacere gentes & nationes rebus incertis & conjecturis? Annon hoc illud eſt? *Et ad fabulas convertentur.* Verbum Dei conferre cum conjecturis nunquid eſt Apoſtolicum? Euangelicum mandatum non pluris facere quàm traditiones hominum, nunquid Epiſcoporum, qui Petrum, qui Paulum agunt? qui columnas Eccleſiæ? Hic modus Euangelicè orandi eſt certiſſimus, & propterea præferendus, & longè latéque præponendus & prædicandus. Quid ad hæc reſpondent? Hæc Chriſti verba ſunt. Si Chriſto non credunt, quod re faciunt, declarent jam verbis animi ſententiam. Quid inquit Chriſtus? *Quodcúnque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Peccator, inquies, ſum. At ipſe dicit, *non veni vocare juſtos ſed peccatores.* Quomodo verò vocat? quàm benignè, quàm liberaliter. *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis; & ego reficiam vos: tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris: jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve.* Si quis ad Chriſtum Mediatorem tàm humaniter invitantem non venit, ſed aliò diffidens divertit infeliciter, ne dubitate, Principes, eorum factum eſſe culpâ, qui maximam curam, incredibilem diligentiam adhibue-

Joh.14.
Matt.9.
Mat.11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

hibuerunt in firmandis eorum traditionibus. Quòd ſi vos illos eſſe memineritis qui eſſe debetis, nihil vobis erit potiùs, quàm ut omnes intelligant, nihil vos in hoc concilio voluiſſe minùs quàm ſuperſtitionis, nihil plus quàm veræ & ſolidæ pietatis, ut quantum in vobis fuit per ſententias veſtras & benefacere & benepetere diſcerent Gentes & Nationes, quæ invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti.

RECITA CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Teſtimonii caput XVI.

Magna eſt licentia Epiſcoporum & Clericorum, qui, ut vitæ integritate & innocentiâ in Eccleſia lucerent quaſi divinum aliquod lumen, & cæteris præeſſent, ampla ab Imperatoribus & Regibus privilegia ſunt aſſecuti, quibus freti in omne genus ſceleris irrumpunt, & coërceri legibus civilibus non poſſunt; quæ ſicuti olim juſtis de cauſis fuêre conceſſa, ſic nunc juſtis de cauſis poſſunt tolli. Quæ multa ex ſcripturâ divinâ adducunt Pontifices Romani, ut eorum decreta fulciant, ne omninò accuſentur, ne in eos animadverti poſſit, ne judicia ſubeant, duriſſimè eſſe detorta & nulla eſſe. Pleraque enim, quæ de Chriſto Domino dicta ſunt, ſibi arrogant; nonnulla, quæ ad fideles omnes æque ſpectant, veluti ad ſe ſolos dicta convertunt; multa jejunè collecta inanem verborum volubilitatem habent, præterea nihil: Poſſe nunc Imperatorem Romanum & Re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ges Principeſque Reipublicæ Chriſtianæ privilegia, quibus illi abuſi ſunt multis ſeculis, abrogare, edictum proponere, ut, quorum vita ſpectatæ non fuerit integritatis, à plebe ſancta & populo DEI de gradu dejici poſſint, & alii ſpectata vitâ & doctrinâ ſubſtitui, ut Spiritus, quem DEUS ſuſcitabit in populis, Vendentes & ementes in templo ejiciat, & menſas numulariorum & cathedras vendentium columbas evertat. Marc. 11.

Quod Imperatorum & Regum privilegia perpetua eſſe non poſſunt, ſicuti verbum Dei, quod ſumma eſt authoritate, huc appulerunt animum Pontifices Romani, ut Decretis agerent veluti ex ſcriptis divinis, quibus tàm ſe quàm aſſeclas & collegas eximerent legibus & pœnis, quæ civiles appellantur; undè & forum ſibi aliud à Laicis conſtituerunt: cui rei juſtiſſimis olim de cauſis faverunt pii Imperatores & Reges. Nam eo tempore, quo non penitùs recepta fuerat religio Chriſtiana, ſed veluti nova & propterea invidioſa pullulabat, magnis opibus ſummâ potentiâ oppugnabatur ab iis, qui Deorum cultum, antiquos ritus, paternam atque avitam religionem tolli videbant. Eam ob rem, ſi pius aliquis per id tempus Imperium Romanum eſt aſſecutus, id imprimis curavit, ut Eccleſiæ præfecti tuti eſſent ab laicorum vi Regulorumque potentiâ. Iis Principibus orta ſunt privilegia & donativa, quæ illis temporibus fuerunt quidem neceſſaria; At ubi gentes & Nationes vulgò Idolorum cultibus rejectis ad Chriſtum veniſſent, privilegiis nihil valdè opus erat, cùm

Declaratio teſtimonii XVI.

Ex Aug. de civ. Dei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

præſertim Eccleſiarum præfecti ſummo apud omnes in honore eſſent, Qua data eſt via ad tyrannidem non modò humanarum rerum ſed etiam divinarum. Perſtiterunt nihilo ſecius in incepto Pontifices, & indies magis ſe privilegiis munierunt. Concedebant omnia Imperatores & Reges, vel ſpecie pietatis allecti, vel lactati ſpe à Pontificibus Romanis quæſtuosâ interpretatione Scripturæ, quâ aſſererent ſibi unis eſſe poteſtatem fores cœli aperiendi tranſmittendique animas in cœlum, licet eæ ad inferna etiam loca eſſent deſtinatæ, ut præter alias fabulati ſunt de Trajani & de Dagoberti (Francorum Regis) anima apud Lyparim extorta de manibus Dæmoniorum: vel quòd privilegia & dona non Pontifices, ſed Divum Petrum ipſum à Principibus accipere confinxerunt; undè cùm ab aliis multis multa dona tùm ab Honorio fundi coëmti etiam beato Petro dicuntur. Et perbellè Gregorius ad Ricardum Regem Uniſigothorum Petri nomine reſcripſit his verbis: *Beatus Petrus Apoſtolorum Princeps quàm libenter munera excellentiæ veſtræ ſuſcepit:* vel quòd his artibus, rudibus ſeculis, Pontifices Romani magna authoritate præditi partáque Monarchia imperium jam haberent in Principes, ut nihil quòd vellent non impetrarent, ita ut Henrico Pontifex Romanus potuerit dicere; *Te Imperatoria adminiſtratione Regiaque dejicio:* Et Toletano Archiepiſcopo Romam venienti & in verba Pontificis juranti pallium & privilegia conceſſerit eundémque totius Hiſpaniæ primatem inſtituerit. Hujuſmodi exempla infinita qui velit ex hiſtoriis petere poteſt. Quæ copioſiſſimè dici poſſunt, à me ne quidem attinguntur, tùm quòd hic mihi labor non eſt propoſitus, tùm quòd res altera non eſt notior. Quod ſuſcepi id exequar. Nam quòd hominum privilegiis contenti non fuerint Pontifices Romani, ſed vim etiam attulerint ſcripturis divinis, ut per eas

De fundis coëmtis ex Platina in vita Calixti Papæ.

In Epiſt. Gregorii Papæ ex tomo 1. conciliorum.

In Gregorii ſeptimi Papæ vita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

eas tyrannis in omne hominum genus & in verbum Dei ſtatueretur, meum officium eſt, ut oſtendam indigniſſimè eſſe factum, veſtrum reliquum eſt, Principes, in quibus habitat Spiritus Dei, ut quid vobis agendum ſit cogitetis. Maximum commentum fuit ſemper Pontificum Romanorum omnium de poteſtate Epiſcoporum & Clericorum immunitate, in quo nihil aliud cogitatum, nihil aliud ſuſceptum, nihil aliud actum eſt, niſi ut Pontifices Romani provinciarum omnium totius Reipublicæ Chriſtianæ, regnorum, gentium, nationum, orbis denique terrarum Domini conſtituerentur: quam cupiditatem non modò in Decretis ſed ne in precibus quidem ipſis ad Apoſtolos occultare potuiſſe dicuntur. *Agite* (inquit Gregorius) *Apoſtolorum ſanctiſſimi Principes, & veſtra authoritate interpoſita confirmate, ut omnes nunc demùm intelligant, ſi poteſtis in cœlo ligare & ſolvere, in terrâ quoque, imperia, regna, principatus, & quicquid habere mortales poſſunt, auferre & dare nos poſſe.* Quid Petrus? Quid Paulus audiit unquam indignius? quorum nomine hæc tyrannis exercetur in terris. Pontificum ſumma cura fuit in ſingulis propè Decretis, quæ magno numero Tomis conciliorum continentur, ut imprimis agerent, Epiſcopos omninò non eſſe accuſandos, Epiſcopos non eſſe judicandos ab hominibus, homines omnes Epiſcoporum at Epiſcopos Dei judicium expectare; perinde atque non idem æquè ſit conſtitutus judex vivorum & mortuorum, cujus adventum tàm illi quâm nos expectemus. Ubi de hac re Imperatorum & Regum reſponſis frigidè & jejunè conficitis egerunt, inſurgunt ex dictis quibuſdam veluti divinæ ſcripturæ: *Criminatores contra doctorem nemo ſuſcipiat, quia non oportet filios reprehendere patrem.* Quid hoc ſit ſi poſtules; ſcriptum eſt, inquiunt; *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*; In quo dicto ſibi impudenter arrogant, quòd Chri-

In vita Gregorii Papæ 7. ex Platina.

In Tomo concil. 1. & 2.

In reſponſis Conſtantino adſcriptis. Eleutherus Papa in Decretis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Ex Decretis Sylveſtri Papæ. ſtus de ſe ipſo veriſſimè pronunciat, eâ arrogantiâ elati, ut non intelligant, quid moneat Chriſtus, quòd neque pater aliquis neque magiſter nobis eſt appellandus in terris: *Et patrem*, inquit,
Luc. 6. Mat. 23. *nolite vocare vobis ſuper terram; unus eſt enim pater veſter, qui in cœlis eſt: Nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* At Pontifices Romani, ut noverimus quàm ſint dicto Chriſti audientes, non modò patres ſeſe, ſed patres ſanctiſſimos & beatiſſimos inſtituerunt appellari. Ab hominibus, inquiunt, non ſumus judicandi nos,
Pſal. 81. de quibus eſt ſcriptum. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum; in medio autem Deus dijudicat*, Et, *Ego dixi, Dii eſtis.* Impudentia ſecunda hæc eſt Pontificum Romanorum, ut quod ad omnes Chriſti fideles attinet, Epiſcopis unis dent. Nam iſthuc
Auguſt. in Evangel. Johannis. ipſum, *Ego dixi dii eſtis & filii excelſi omnes*, Auguſtinus & cæteri interpretes de Chriſti fidelibus omnibus æquè aſſerunt dictum, de quibus illud;
Joh. 1. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*; Et, ne multis morer, Chriſtus ipſe
Joh. 10. aperit: *Ego dixi dii eſtis. Deos*, inquit, *appellat omnes, ad quos ſermo Dei factus eſt.* Huic ſimile illud eſt: *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Pro-*
Pſ. 104. *phetis meis nolite malignari.* Id de omnibus Chriſti fidelibus æquè dictum eſt, qui videntes, qui ſervi Dei, filii Abraham, & filii Jacob electi dicuntur, quod ipſimet Pontifices liquidiſſimè videbunt, ſi non unum aut alterum Pſalmi verſum, ſed Pſalmum omnem legent, in quo hæc habentur: *Semen Abraham ſervi ejus, filii Jacob electi*
Gal. 4. *ejus, Nos autem*, inquit Apoſtolus, *ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus.* In quem errorem turpiter ſæpiſſimè ſunt lapſi, quod, ut in principio propè querebar, luci Evangelicæ offuſis tenebris de unctione Spiritus ſancti, rejecerunt ſe in umbras Judaicas. Chriſti enim dicuntur omnes, qui credunt in Unigenitum Dei, quod de fidelibus teſtatur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tur Johannes. *Vos unctionem habetis à ſancto.* Hinc
uncti vocamur, hinc Chriſti omnes à Propheta, 1Joh.2.
hinc regale ſacerdotium ab Apoſtolo, non quòd
unctione exteriori quadam perunctum caput haberemus aut aliud, ſicuti ſacerdotes illi veteres, quibus id contingebat in umbris, ut nos ipſi præfiguraremur, ſed unctione quadam interiore Spiritus, ex qua Spiritus ſancti opera prodeunt, quam qui non habent non poſſunt intelligere, non ut haberemus linoſtimas Zoſimi, aut Sotheri pallam & conſecrata veſtimenta Pontificum, ſtoláſque Levitarum, ſed corpora munda & ſanctificata, vel purum cœlibatum vel legitimum ma- 1Cor.6.
trimonii jus ſervantes in caſtitate & ſynceritate, vaſa miſericordiæ impolluta, ſcientes quia corpora noſtra membra ſunt Chriſti, membra noſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in nobis eſt, quem habemus à Deo. Omnes igitur, qui per Spiritum ſanctum credimus in unigenitum Dei, Chriſti appellamur, quòd unctionem habemus à ſancto, baptizati Spiritu Dei, ut ex nobis Chriſti corpus ſit, quæ Eccleſia ſancta appellatur, in qua licet neceſſe ſit eſſe quoſdam ſpectatæ integritatis homines & probatæ vitæ, quales proponit Apoſtolus ad Diaconatus & Epiſcopatus gerendos, vel ob prædicandum verbum Dei, vel ob egeſtates ſanctorum ſublevandas: Ii quanquam à nobis colendi & obſervandi ſunt, non tamen pro eis magis id dictum. *Nolite tangere Chriſtos meos*, quàm pro quovis eorum, de quibus Dominus:
Quidquid feciſtis uni de his fratribus meis minimis Matth.
mihi feciſtis. De his nunc dicit per Prophetam: 28.
Qui vos tetigerit, tanget pupillam oculi mei. Qui Zac. 2.
ſenſus cuique erit apertiſſimus, qui, quæ prædicta ſint, quæ contigerint, animadvertet. Sine muro prædixit futuram *Hieruſalem*, *quod eſt*, *Eccleſiam*; hoc eſt, ſanctos Chriſti fideles, nudatam auxilio, quod accidit martyrum tempore; quos, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ut ibi minatur Propheta, mirabiliter ultus eſt Deus, gente ſcilicet illa Romana, quæ ſæviebat in Chriſtos, illa orbis Domina deleta, urbe direpta atque incenſa, occupata omni Italia, Imperio amiſſo. Annon huc illa omnia ſpectant? *Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Et *qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.* Perge, ut quæ res ſecutæ ſint cogno-
Zach. 2. ſcamus. *Quia ecce ego levo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his, qui ſerviebant ſibi.* Hæc Propheta, quæ de Chriſtis Domini, hoc eſt, Chriſti fidelibus dicta ſunt, qui fortiter ceciderunt & in ſuppliciis mortui ſunt pro teſtimonio Chriſto dando; quos mirabiliter ultus eſt Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti: Quæ ſi perpenderent quidam conſultores magnorum Principum, non uſque adeò inflammarent Reges & Nationes in
Pſal. 75. defenſores Evangelii. Meminerint, meminerint, quòd polliceatur Deus is, qui aufert Spiritus Principum, terribilis apud omnes Reges terræ, etſi
Pſ. 104. nos minimi ejus ſervi ſumus, pollicetur correpturum ſe pro nobis Reges, vocaturum famem ſuper terram & omne firmamentum contriturum. Sed ego me ad Chriſti pedes abjicio, cui ſervio in Spiritu, ad quem levo manus meas. Aliud, quo nituntur firmare eorum Decreta Pontifices, eſt quod dixerit Dominus: *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Conſtat hoc à Chriſto Apoſtolis eſſe dictum, per quos Dominus multa erat inſtituturus, quibus propterea recepit ſe miſſurum Spiritum ſanctum. *Ille*, inquit, *ſuggeret quæcunque dixi vobis: Qui ergo vos audit me*
2 Theſ. 4. *audit, qui vos veſtraque inſtituta ſpernit me ſpernit.* Quem ſenſum declarat Paulus dicens: *Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit ſed Deum.* Viderint jam Pontifices Romani, qui nihil magis curarunt quàm ut traditionibus ſuis inſtituta Apoſtolorum tollerentur, quos ſpreverint, Paulúmne & Petrum

an Chriſtum ipſum? Quæ ſunt hominum ingenia, diſcite jam quî interpretentur ſcripturas, volunt hoc dictum ſic exponi: Qui vos Pontifices audit, me audit, qui vos Pontifices ſpernit me ſpernit, & non, qui vos Apoſtolos ſpernit me ſpernit; & tamen ad Apoſtolos ſciunt hoc dictum à Domino: Primùm ergò ad Apoſtolos attinet, deinde ad eos, quorum typum gerebant Apoſtoli: gerebant autem typum verè fidelium: Quomodo verò fideles iſti eſſe potuerunt, qui hoc ipſum dictum quod tanti faciendum putant, nihili fecerunt? nonne ipſiſmet judicibus judicati ſunt? Si Chriſtus dixit Apoſtolis, *qui vos ſpernit me ſpernit*, cur prætulerunt prudentiam ſuam inanem inſtitutionibus Apoſtolorum, ita ut abrogatis Apoſtolicis inſtitutis ſuas traditiones ſervari mandarint: Vel non hoc eſt ſpernere Apoſtolos? Sperni Apoſtolos dicunt, Si Pontificibus palatia & Epiſcopis præclaræ ædes non exædificentur, ſi vectigalia fiant deteriora aut de cenſu dematur, quo minus in veſtibus precioſis incedant glorioſi minúsque in auro bibant; ſperni mirum in modum Apoſtolos, ſi præter magnos cenſus, quos ſunt aucupati jam multis ſeculis, decimæ non perſolvantur aut impediantur; ſperni item ſi quis commonſtret & clamet cavendas decipulas indulgentiarum, quibus nullus eſt tàm cuſtoditus nummus quem non intercipiant. Quæ omnia quàm ſint Apoſtolica, jam omnes norunt. Sed ego redeo ad commentum illud Epiſcoporum, ne accuſentur. *Si enim ſine crimine ſacerdos eligi præcipitur, nullatenus ab hominibus criminibus irretitus accuſari & calumniari permittitur.* Hoc ſi verum eſt, non modò accuſatorem ſed nec ſacerdotem (excipio ſemper Chriſtum *qui peccatum non fecit nec inventus eſt dolus in ore ejus*, qui veriſſimus eſt ſacerdos) habebimus. Quis enim eſt ſine crimine? At quod Paulus dicit, *Oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem*, intel-

Ex Epiſt. Anacleti Papæ.

Eſa. 53.

1 Tim. 3.

Mat. 19. intellige tu virum bonum qui homo eſſe poſſit; *verè* enim *bonus ſolus eſt Deus*: Ita & accuſatores, ſi viri boni ſint, erunt magis idonei. Nam fac eſſe quòd vir aliquis ſimulator ac diſſimulator pulchrè ſe continuerit, tantiſper dum in Epiſcopatum proveheretur, deinde ad ingenium redeat, Mat. 18. non eſt ex præcepto Chriſti commonendus fraternè? Si malus eſſe non deſinet, adhibito teſte non eſt arguendus? Si tandem non audierit, non eſt accuſandus apud Eccleſiam ſeniorum aut præfectum Eccleſiæ? Nam quod Paulus dixerit, *Ac-* 1 Tim. 5. *cuſationem adverſus Presbyterum noli recipere niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*, non dixit, non eſſe recipiendam, ſed duobus aut tribus teſtibus aſſerentibus eſſe recipiendam. Quod Evariſtus affert, In Epiſt. Evariſti Papæ. non convenit Epiſcopis, qui non ad ferendum gladium ut Principes terræ, ſed ut exemplar vitæ ſpiritualis, Speculum religionis, obſervatores Evangelii eſſe debent. Ii, ſi opinionem fallunt, cogendi ſunt ab Eccleſia ſancta, ut Epiſcopatu ſe abdicent, aliique meliores inſtituantur, ſi fures ſi parricidæ fuerint pœnis afficiantur, quæ civilibus legibus proponuntur; Quod fieri non poteſt, niſi quod vulnus Imperatores & Reges fecerunt, Imperatores & Reges ſanent, ut privilegia nulla ſint, quæ commune bonum impediant, & magnis divitiis & regnis auctos Epiſcopos in infinita poteſtate & ſummâ copiâ rerum omnium in eum ſtatum redigant, ut verè jam Epiſcopi neque dominationes neque regna quærant, ſed mediocri cenſu contenti tranquillam & quietam vitam ſequantur. Id cùm ipſis optamus, optamus etiam ut verè beati ſint. Quod ſi recuſarint, cogan- 1 Tim. 6. tur ut dicto Apoſtoli ſint audientes: *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti ſimus: nam qui*, inquit, *volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditio-*

ditionem. Quam ſententiam divinitus ſcriptam Carthaginenſe concilium ſecutum decrevit, *Ut Epiſcopus vilem ſupellectilem & menſam & victum pauperem habeat & dignitatis ſuæ authoritatem fide & vitæ meritis quærat*: Et rurſus, *Ut Epiſcopus nullam rei familiaris curam ad ſe revocet, ſed ut lectioni & orationi & verbo prædicationis tantummodò vacet.* Non impediet hîc me, Pontifices & collegæ Pontificii, veſtrum inimicum edictum, quo declaraſtis: *Hæreticos eſſe habendos omnes, qui affirmarent Chriſtum ejuſque diſcipulos nihil privatim habuiſſe; In ignem eſſe conjiciendos omnes, qui affirmarent ipſis diſcipulis vendendi, donandi, teſtandi, acquirendi, ſuopte ingenio jus non competere.* Quorſum hæ minæ ſpectent, Principes iſti etiam conſiderabunt. Ne in me declamate, Pontifices: minitamini iſta mitratis veſtris & iis qui procurvaverunt genua ſua ante Baal. Ego, non modò his Principibus audientibus & univerſo populo, ſed Chriſto ipſo, qui cœlum incolit, dicam, Apoſtolos non modò integritate vitæ ſed etiam patientiâ paupertatis fuiſſe ornatos; Chriſtum non modò pauperem fuiſſe ſed hac voce veluti propriâ appellatum in Pſalmis; Cujus denique vox eſt, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput ſuum reclinet.* Quòd verò ſimuletis ad Chriſtum ad Apoſtolos magis quàm ad vos ipſos hæc regna hos cenſus pertinere, id non ſat ſcio; ad fratrum filios, ad ſpurios adoleſcentes quoſdam, & minimè ſobrias mulieres ſpectaſſe perſæpè hiſtoriæ ipſæ teſtantur. Illud verò periniquum omninò & non ferendum, quòd cum ſummâ avaritiâ & incredibili cupiditate Pontificum infinita poteſtas conjuncta ſit. Sæpiſſimè enim, quicquid mali habuit Italia, quicquid calamitatis ex incendiis bellorum Chriſtiana Reſpublica accepit, id omne à Pontificibus Romanis eſt conflatum. Quòd ſi in eâ felici quidem paupertate, quam

Concil. Carth. quarto cap. 15.

Concil. Carth. quarto cap. 20.

In Concilio.

In vita Johannis Papæ 23. ex Platina.

Pſ. 101. Mat. 8.

1 Tim. 6. quam Apoſtolus inſtituit Tito, non recedere Epiſcopos juſſiſſent, pii Principes, qui cupidos homines imprudenter in opulentiam conjecêre, minus aliquando laboraviſſemus, plus laudatæ pietatis haberet Eccleſia. Sapientiſſimi Imperatores, cùm in hybernis legiones collocant, ſi qua oppida contingant, quæ bonitate agrorum & rerum affluentiâ excellant, nonnihil verentur, ne invictos militum animos & dura corpora eorum, qui à pueritia ſub pellibus ſtare & vigilare noctes & graviſſima quæque perpeti ſunt aſſueti, copia corrumpat & laſcivia molliat: Et nos ocioſis iſtis, dubitabimus, an immenſi cenſus, regiæ divitiæ, peramœni fundi, voluptuaria domicilia periculum crearint? quos conſtat millies à regionibus officii & continentiæ abductos, abducendóſque ſemper, niſi modum aliquem licentiæ poteſtatique eorum feceritis, vos Principes, in quibus habitat Spiritus Dei. Nam majores veſtri eò privilegia, regna & cenſus ingentes iis conceſſerunt, ut Eccleſiæ Dei bono eſſent. Id cùm vos falſum eſſe comperiatis, antiquare privilegia, aliquid inſtituere poteſtis, quo cenſus illi Eccleſiæ bono ſint. Adminiſtratores Eccleſiæ dicunt ſe eſſe Epiſcopi. Sint ſanè. At ſi abuſi ſunt ea adminiſtratione ſexagies ſepties, coactis ſæpè conciliis ſtatutum eſt ne abutantur, ſi rurſus ac rurſus ad vomitum, quouſque tandem hæc patientia Principes? Statuite, ut cenſores quidam annui per civitates deligantur, qui à præfectis Eccleſiæ rationem repoſcant adminiſtrationis, ne præter alimenta & honeſtum veſtitum quicquam habeant. Ex fructibus quæ ſuperſunt, ut monet Chriſtus, Eleëmoſynam dent, ſcripturæ ſanctæ interpretes, Evangelii prædicatores alant, cenſuum rationes in tabulis publicis accepti & expenſi conſcribantur aſſerventúrque apud ſeniores non ſacrificulos & ſalios præcentores & ſuccentores quoſdam collegas Epiſcopi, ſed apud ſenatum

[Margin: Synodos vocant Græca voce.]

[Margin: Luc. 11.]

&

& eos qui ad Reipublicæ gubernacula ſedeant: Ii à cenſoribus accipiant rationes, animadvertántque, ne in præfectorum affines erogata pecunia ſit, cenſúsque malè effuſi. Quòd ſi Epiſcopi culpa factum eſſe compererint, advocata plebe ſancta decernatur ne teruncium poſthac attingat Epiſcopus is, præter victum & veſtitum, &, ſi ad regendam Eccleſiam non ſit aptus, de gradu dejiciatur & privatus eſto. Electionis formula de Epiſcopo & præfectis Eccleſiæ per ſuffragia populi conſtituendis ea ſemper mihi viſa eſt optima, quam legimus apud Auguſtinum de creatione Eradii. Eam ut perpendatis, orat vos ſervus Jeſu Chriſti. Nam ut omnia ad Epiſcopum unum aliquem deferantur non eſt ferendum. Omnes jam intelligimus, his artibus tyrannum Eccleſiis eſſe quæſitum, ut iis, qui gratia plurimum poſſent, velut Alexander aliquis regna ſuis commilitonibus, divideret. Veriſimilius eſt civitates ipſas melius ſibi malle quàm quemvis alium exteris. De piis Hoſpitiis nihil dico, quæ præter mentem eorum, qui iis exædificatis teſtamentum fecerunt, neque parvulos alunt, neque egentes excipiunt neque miſerè ægrotantibus ſubſidio ſunt, conſciis Pontificibus (nihil excuſent, conſciis inquam Pontificibus) quæ hoſpitia opera Pontificum præter mentem mandatúmque eorum, qui exædificarunt, curatoribus rejectis atque excluſis uni cuipiam ſerviunt aſſignata ſæpè homini, qui involet unguibus in oculos Chriſti, qui hauriat ſanguinem innocentum. A quo aſſignata ſint, nolite quærere. Quid creditis? Ab hoc ipſo tyranno humanorum & divinorum, Babyloniæ rege, Antichriſto Romano, qui non modò vivis hominibus ſed etiam mortuis vim affert, quem Deus propediem ulciſcetur probè, quando ita loquitur: *Ecce ego ad te Mons peſtifer, qui corrumpis univerſam terram.* Quo jure, Pontifex Romane, in teſtamenta ſanctorum ma-

Auguſt. tom 2. in Actis de Eradio ſucceſſore deſignando.

Jer. 51.

manus intuliſti? Quia hoc libet, licet. Id tu non modò his gentium Dominis, ſed ne aſſentatoribus tuis, quibus ſtipatus ſedes, pileo ad ſervitutem coëmtis probaturum te eſſe arbitror. Magna ſunt, incredibilia, infinita cætera, quibus iſte jura humana atque divina confundens perturbavit atque permiſcuit omnem Rempublicam Chriſti, cujus vos moderatores & duces eſſe par eſt, Principes, in quibus habitat Spiritus Dei. Neque vos deterreant quidam, *qui*, ut ait Apoſtolus, *aberrantes ſunt converſi in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur neque de quibus affirmant.* Ii dolo malo inculcant cavendum omninò vobis, ne in animum cadat ad vos attinere curam rerum Eccleſiaſticarum, quòd ſacerdotibus ſolis id muneris ſit adſignatum, ut arcam Domini deportent. Hîc commemorant Ozam quendam inclinatam arcam ſuſtinere volentem miſerè periiſſe, quòd is ſacerdos non eſſet. At verò parietes iſtos dealbatos ſi quis roget, qui fuerit iſte Oza, num è Sacerdotio regali & ſancto pius aliquis Imperator, num rex, num populi princeps & dux, quem vobis ita proponant, quid reſpondebunt? Si quis poſtea roget, quis eduxit de Ægypto populum Dei? Reſpondeant neceſſe eſt, non ſacerdos aliquis, ſed Moyſes ipſe dux & Imperator populi. Quis ut multa prætercam declaravit ac conſecravit Aaronem & ſacerdotes cæteros, niſi Imperator populi Moyſes? Quis præcepta Dei propoſuit ſervanda? Quis ritus & ſolemnitates inſtituit? Quis arcæ iſti primum ex voluntate Dei formandæ præfuit niſi Moyſes cum Imperio? Quis poſtea arcam fœderis iſtam rectè exportari juſſit ſacerdotibus? annon Joſue, filius Nun, dux exercitus Iſraëlitarum? cui Dominus inquit; *Tu autem præcipe Sacerdotibus qui portant arcam fœderis.* Quis arcam Dei neglectam à ſacerdotibus reduxit? Nempe Da-

1 Tim. 1.

Quo argumento maximè nituntur Pontifices in abigendo Cæſare & regibus à cura rerum Eccleſiaſticarum.

Ex. 14. Ex. 29.

Joſ. 3.

2 Reg. 6.

David, Rex bonus, pius & felix. Quis arcam iſtam in templo & ſancto ſanctorum collocavit? nónne Salomon ſumma & admirabili ſapientia Rex cum optimis Principibus? Quamobrem ſi arca iſta Eccleſiam ſignificat, qui melius præerunt, ut ea ad voluntatem Dei conformetur? Qui præcipient, ut plauſtro verbi Dei vehatur per ſacerdotes? Quorum eſt officium, ut curent, ut à ſacerdotibus diu neglecta reducatur? in qua impuri quidam Ozæ, non uncti Spiritu ſancto, arrogantes contemptores præcepti Dei, dum arcam ſuſtinere volunt, ipſi cadant. Quorum tandem eſt in illuſtri loco & ſancto collocare Arcam iſtam ut quieſcat, niſi magnorum Imperatorum, ſanctorum Regum, Invictorum Principum, in quibus habitat Spiritus Dei? Quibus verò magni Principes id oneris imponent, ut arca comportetur? Num Ophni & Phineæ, aut iis qui Domino ignem alienum offerunt; minimè; at è populo acquiſitionis, ex regali ſacerdotio, è gente ſancta delectis viris, qui, ſi per vos nunc liceat, Principes, neglectam jam diu ab impiis ſacerdotibus tandem pulcherrimè reducent & in loco illuſtri & ſancto collocabunt Eccleſiam Dei.

3 Reg. 8.

2 Reg. 6.

RECITA CAPUT
DECIMUM SEPTIMUM.

Testimonii caput XVII.

Non modò non hæreticos ſed pios eſſe eos, qui firmiter crediderint, Eccleſiam DEI eſſe ædificatam ſuper Petram Chriſtum. Hanc opinionem ſi ſecuti fuiſſent Epiſcopi Romani, minus haberemus abuſuum & abominationum. Freti enim eâ opinione, quòd ſuper Petram, hoc eſt, Petrum, &, ut ipſi deducunt, ſuper Pontifices Romanos

& eorum doctrinam ædificata ſit Eccleſia DEI, in quæ non manus intulerunt? quid non ſibi licere putarunt? ut Scriptura im-
Jer. 49. pleretur: Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui, qui habitas in cavernis petræ, & apprehendere niteris
Jer. 50. altitudinem collis. Grex perditus factus eſt populus meus, Paſtores eorum ſeduxerunt eos.

Declaratio teſtimonii XVII.

QUi ad unum Pontificem Romanum omnia deferunt, & verbo quidem Epiſcopum, re verò in Gentes & Nationes, in Cæſares & Reges Principesque univerſos, tyrannum conſtituunt, hoc imprimis argumento inſtant, quòd Petro uni ſit
Mat. 16. dictum à Domino: *Tibi dico; tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Conſulto nunc prætermittam reſponſa doctiſſimorum hominum qui non ex his paucis verbis ſed ex toto capite Evangelii ſenſum Domini colligendum ſapienter monent. Dominus enim, cum haud unum Petrum, ſed omnes Apoſtolos interrogaſſet, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* pro omnibus reſpondit
Mat. 16. Petrus veluti os quoddam Apoſtolorum; *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Hoc ſive reſponſum ſive confeſſio, ſi una eſt omnium Apoſtolorum, immò verò fidelium omnium, & propterea Eccleſiæ totius ſanctæ, non uni Petro ſed Apoſtolis omnibus univerſisque fidelibus & toti Eccleſiæ, cujus typum gerebat Petrus, dictum eſt quod ſequitur: quod vel ex eo ipſo adverſarios etiam concedere neceſſe eſt, quòd promiſſa quædam ingentia ex confeſſione illâ non negant ad omnes Apoſtolos attinuiſſe; & nunc ad omnes Epiſcopos & cæteros, qui per civitates Presbyteri conſtituti ſunt, atti-

attinere aſſerunt atque affirmant. Quæ ſunt iſta promiſſa? *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Quæ ſunt iſtæ Claves? obſecro, ne quid anile aut ſuperſtitioſum cogitemus, ferreas aut argenteas aut aureas fuiſſe claves, ſed poteſtatem illam quæ his verbis declarata eſt. *Et quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quicquid ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Annon hanc eandem poteſtatem dedit omnibus Apoſtolis, dicens? *Amen dico vobis: Quæcunque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt & ſoluta in cœlo.* At ibi in cœlis dixit, hîc in cœlo. Ridicula hæc ſunt quaſi de eodem non dicatur à Propheta; *Deus autem noſter in cœlo eſt: & qui habitat in cœlis irridebit eos.* Pudet me tàm frigidarum commentationum. At Petro dixit: Et tibi dabo claves regni cœlorum. Rogo rurſus, quæ ſunt iſtæ claves? An aliud quàm Spiritus ſanctus, per quem fores cœli aperiuntur & clauduntur hominibus, quòd dimittendo peccata ſolvuntur, retinendo ligantur homines? Quamobrem claves dat Dominus dicens: *Accipite Spiritum ſanctum, quorumcunque remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorumcunque retinueritis retenta ſunt.* Quæ ſi veriſſima ſunt, deſinant jam opponere nomina ſcriptorum, ex quibus ſumunt, ſuper Petram, hoc eſt, ſuper Petrum ædificatam Eccleſiam Dei. Nam ex alterâ parte ſtant authores vel nobiliſſimi, quos ſummis laudibus celebravit ipſa etiam Eccleſia Romana & declaravit primarios, qui ſæpius meminerunt, Eccleſiam Dei ſuper Petram Chriſtum ædificatam eſſe. Quæ expoſitio magis cum prædictionibus Prophetarum quadrat, qui Petrum Chriſtum non ſemel appellarunt, & Pauli ſententiæ conſona eſt, qui fundamentum & Petram Chriſtum eſſe ſcriptis illuſtravit ſuis. Age verò, quid inquit Auguſtinus: *Quando Petro eſt dictum,*

Mat.16. Mat.18. Pſ.113. Pſ. 2. Joh.20.

Auguſ. in expoſ. Evang. Johan. tract. 124.

Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcúnque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, univerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ fundata eſt ſuper Petram, unde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro Petra, ſicut non Chriſtus à Chriſtiano ſed Chriſtianus à Chriſto vocatur. Itaque non magis ſignificat Petrus Epiſcopos Romanos quam cæteros immò verò quam omnes fideles qui ſunt Chriſti. Quid ergo tument? Quid inaniter inflantur Pontifices Romani? tanquam firmiſſimum eſſet, quod magnorum authorum interpretatione neceſſe eſt vel aliter accipi vel haberi pro infirmo. Quamobrem inquit Auguſtinus: *Si bonus es, ſi ad Chriſti corpus pertines, quod ſignificat Petrus, habes Chriſtum in præſenti & futuro.* Et in libro de Agone Chriſtiano inquit: Cùm Petro dicitur, *amas me, paſce oves meas*, ad omnes dicitur. Quid id eſt? *Cùm Petro dicitur, Paſce oves meas, Ad omnes dicitur.* Quàm vellem hæc legiſſent, qui uni Petro hoc aſſerunt fuiſſe dictum veluti ex promiſſo ſingulari. Quod ſi omnibus fidelibus eſt dictum, nemo dubitarit multa ſibi unis arrogaſſe Pontifices Romanos vel temerè vel imprudenter. Accedat teſtimonium Origenis antiquiſſimi ſcriptoris. Quòd Simon Petrus reſpondens dixit, *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, Si dixerimus quemadmodum dixit Petrus, non à carne & ſanguine nobis revelatum eſt, ſed à luce quæ illuxit cordi noſtro à patre qui eſt in cœlis, & tanquam non acceptâ hujusmodi revelatione à carne & ſanguine ſed luce cordi noſtro illuceſcente à Patre qui eſt in cœlis efficimur Petrus, & dicetur quod hunc ſermonem ſequitur, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam; Et, tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, quodcunque ſolveris, erit ſolutum & in cœlis.*

Auguſ. in expoſ. Evang. Johan. tract. 50.

Auguſ. de agone Chriſtiano cap. 30.

Orig. tract. 1. Matth. cap. 1.

Hæc

Hæc ſi à Pontificiis hominibus fuiſſent perpenſa, nunquam eorum aſſentationibus tumuiſſent Caiphæ Romani. Auguſtini verba ſunt. *Ideò quippe ait Dominus ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, quia dixerat Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei vivi: Super hanc ergo, inquit, Petram, quam confeſſus eſt, ædificabo Eccleſiam meam. Petra autem erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Hæc Auguſtinus, quæ ſexcentis locis confirmat, ac probat. Quòd ſicubi aliter eſt interpretatus, hanc tamen propriam Auguſtini ſententiam fuiſſe, nemo eſt qui in ejus ſcriptis verſetur qui neſciat. Quæ ſi impia eſt, Impius eſt Auguſtinus, Si pia, omnes pii, qui eam ſequuntur. At verò impia eſſe non poteſt, quæ ex Prophetis & Apoſtolis deſumta eſt; qua in re ut notiſſima nihil morabor. Hilarius etiam inter antiquos ſcriptores laudatiſſimus interpres minimè ſuper Petrum ædificatam eſſe Eccleſiam Dei contendit, ſed ſuper fidei Petram illam & confeſſionem ingenuam de Chriſto, quam confeſſus eſt Petrus, ita ut ſententiam Prophetarum, Apoſtolorum, Auguſtini, cæterorúmque fidelium propè ſcriptorum complectatur, Eccleſiam Dei ex his conſtitui, qui eam fidem habuerint, quam habuit & confeſſus eſt Petrus. Qua de re inquit: *Unum igitur hoc eſt immobile fundamentum, una hæc eſt felix fidei Petra, Petri ore confeſſa: Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Et alibi: *Super hanc igitur confeſſionis Petram Eccleſiæ ædificatio eſt, hæc fides Eccleſiæ eſt fundamentum, per hanc fidem infirmæ adverſus eam ſunt portæ inferorum, hæc fides regni cæleſtis habet claves, hæc fides quæ in terris ſolverit aut ligaverit, ligata ſunt in cælis & ſoluta.* Theophilactus item ait: *quia enim confeſſus erat eum Dei filium Petrus, dixit, quòd hæc confeſſio, quam*

[Margin notes: Auguſt. in expoſitione Johan. tract. 124. — Hilar de Trinit. lib. 2. — Hilar. de Trinit. lib. 8. — Theop. cap. 16. in Mat.]

confeſſus es, Fundamentum erit futurum credentium. Et Cyrillus inquit: *Per Petram aliud nihil quàm inconcuſſam & firmiſſimam diſcipuli fidem vocavit, in qua Eccleſia Chriſti fundata & firmata eſſet, ut non laberetur & eſſet inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens.* Quæ, quoniam magnorum authorum ſunt, & ad Prophetarum & Apoſtolorum ſenſum proximè accedunt, ſi jam ut cœptum eſt illuſtrentur, quid fiet ampullis & inani illa verborum volubilitate, quæ frequentiſſima eſt in Decretis? Ex quibus, ut infinita propè omittam, recenſebo quod ad orientales Epiſcopos reſcribit Papa quidam. Vos interea videte tumorem verborum, perpendite levitatem. *Decuerat vos adverſus ſanctam Romanam Eccleſiam & Apoſtolicam limatè & non ironicè loqui: quoniam & ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus eam decenter allocutus ait; Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et inſolenter Siritius. *Hactenus erratum in hac parte ſufficiat: Nunc præfatam regulam omnes teneant, qui nolunt ab Apoſtolicæ Petræ, ſuper quam Chriſtus univerſalem conſtruxit Eccleſiam, ſoliditate divelli.* Et Leo in Decretis: *Non ſolvitur vel ligatur, niſi quòd authoritas beati Petri ſolverit & ligaverit.* Quaſi vero ligandi & ſolvendi poteſtatem cæteri Apoſtoli non acceperint à Domino. Hujuſmodi bullis præmunierunt omnia propè eorum decreta, maximè verò, cùm in Synodos, Epiſcopos, Provincias, Cæſares & Reges fulminare ſe dixerunt. Hujuſmodi ampullas projecerunt, cùm perturbarunt jura humana atque divina, quibus elati cùm aliquid ſtatuerent, non p utarunt ſibi eſſe perpendenda ſcripta illa divinitùs, ne quid imprudenter eorum ſcriptorum aliquid reſcinderent aut infirmarent, ne quid diverſum docerent atque inſtituerent; quin omni cogitatione converſi tantùm ſunt ad verba illa, quaſi

Cyrill. in dialogo de trinit. lib. 4.

Julius Papa Euſeb. Theognio, Theodoro, Berintho & cæteris orientalibus Epiſcopis.

In decretis Siritii.

Leo Papa ex canone XXIV.

quaſi aliam interpretationem non poſſent recipere, *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quamobrem arrogantia, ut prædictum erat per Prophetam, veriſſimè decepit eos. Putarunt enim Jer. 49.
omnia ſibi licere, ſeſe unos errare non poſſe, quicquid ſtatuerent merum eſſe Evangelium, in ipſis eſſe omnia, unum eſſe videndum, An Eccleſia Romana ſtatuiſſet, nefas eſſe poſtea dubitare an firmum eſſet & ſanctum quod illa ſtatuiſſet, in ipſos conjiciendos eſſe oculos atque animos omnium, qui aperire & claudere quibusvis cœlum poſſent. Quamobrem traditionibus latis pœnas etiam minaciter addiderunt, ut verbis etiam videamus, quantum interſit inter moderationem & humanitatem Chriſtianorum & ſuperbiam crudelitatémque Pontificum, quibus pietas eſt mitram ad ignominiam imponere, colligare manus, virgas expedire, detrudere in ignem. At certè hanc pietatem à Chriſto non didicerunt, cujus tamen vicem ſeſe agere dicunt in terris, immò verò ſe caput Eccleſiæ eſſe; quas appellationes vendicare ſibi aliquem Epiſcopum an tuliſſent ii, qui in concilio caverunt, *ne quis ſummus ſacerdos aut Princeps ſacerdotum appellaretur, aut aliquid hujusmodi*, judicate vos ipſi, in quibus habitat Spiritus Dei. Nam quid eſt? *aut aliquid hujuſmodi.* Concil. Carth. III. cap. 26.
His enim appellationibus arrogantia alitur, ſuperbia effertur, abuſus verſantur in religione, ita ut iis initiis non modò interpretationes ex ſcripturâ aſſentatoriæ extortæ ſint, ſed, ut alia miſſa faciam, quamvis Paulus & Petrus ſermone & exemplo docuiſſent non eſſe ferendas, procedentibus Act. 10. Act. 14.
tamen ſeculis adorationes veluti Dii quidam ſtatuerunt ſibi Pontifices Romani.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

RECITA CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Teſtimonii caput XVIII. Quoniam aliqui non contemnendi authores aſſeruerunt, Eccleſiam DEI ædificatam ſuper petram Petrum, nihil ex eâ re plus habere Pontifices Romanos quàm cæteros Epiſcopos, qui non habent ea, ob quæ amanter dicta ſunt illa Petro, cujus vitæ exempla, quæ ex Actis Apoſtolorum colliguntur, ita minimè ſunt imitati, doctrinam verò, quæ ex Apoſtoli hujus ſcriptis habetur, ita paſſim Romani Pontifices proculcaverunt & everterunt, ut Petri everſores potius quàm ſucceſſores ſint appellandi. PER QUOS, inquit Apoſtolus Petrus, Via veritatis
2 Pet. 2. blaſphemabitur, & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.

Declaratio teſtimonii XVIII. FIrma aſſertio ea eſſe non poteſt, quæ ex interpretatione ſumitur alicujus loci, quem primarii doctiſſimi & antiquiſſimi viri variè ſunt interpretati. Nam quòd teſtimonium perhonorificum mille & centum continuos annos Eccleſia Romana dederit Auguſtino, quod ſummis laudibus Hilarium, Cyrillum & reliquos celebrarit quos prædiximus, rejicere Pontifices Romani non poſſunt authoritatem tantorum virorum. Quòd ſi ex alterâ parte Cyprianum & quoſdam ſibi allegant, qui de Petra locum aliter ſunt interpretati, nihilo plus agent quàm ut noſtra quoque aſſertio non ſit firma. Fiet ergò, ut quòd nobis non dent neque ipſi aſſequantur. At verò illud eſt conſectarium,

rium, ſi infirmum eſt fundamentum, ſupra quod tantam ſuperbiæ faſtusque molem Pontifices erexerunt, omne eorum ædificium corruat neceſſe eſt. Remittant igitur jam ſpiritus atque animos illos, ſedent arrogantiam, intelligant ſe eſſe Epiſcopos æquè atque alios; qui ſi boni, ſi pii fuerint, digniſſimi ſunt ut eos colamus & obſervemus: at ſi mali, ſi impii, norint ſeſe ad Chriſti Petram nihil plus attinere quàm Judam, per quem typum mali Epiſcopi ſunt ſignificati. Nam quod Petri ſedem dicunt ſe obtinere, quid exiſtimant homines imperitiſſimi? regnumne fuiſſe illud Petri? aut tyrannidem? Sic enim diſputant de primatu Petri, quaſi regnum aliquod terrenum obtinuerit is, cujus ipſi ſint legitimi hæredes & ſucceſſores. At non ita eſt. Reverentia obſervantiaque illa Apoſtolorum juſtiſſimis de cauſis fuit profecta, ob amorem Petri in Chriſtum, qui omni ex parte ſe oſtendebat, ob fidei firmitudinem, quòd is vel ante omnes vel pro omnibus confeſſus eſt Chriſtum eſſe filium Dei, tùm ob charitatem egregiam, laboribus ultrò ſuſceptis pro paſcendis ovibus Chriſti; quæ omnia in illo fuere ſingularia. Hæc ſi in Epiſcopo non ſint, ex quibus naſcitur propenſio animorum, obſervantia eſſe non poteſt, quam iſti primatum appellant. In quo Epiſcopo hæc ſunt, ad hunc omnia illa arbitror attinere, quæ dicta ſunt Petro. Quò quis vita erit candidior, quò in paſcendis ovibus Chriſti ſtudioſior, eò apud verè pios reverentia & obſervatione erit dignior; non quia Romæ ſit magis quàm Antiochiæ aut Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus & non Maſſilienſis. Nam quòd locorum acceptorem faciant Chriſtum, eſt porrò indigniſſimum, cùm ejus Spiritus doceat, non eſſe perſonarum. Metiri ergò oportet, viri Principes, dignitatem Epiſcoporum non ex loco ſed ex vita & Actis, in quibus eluceant dona illa Spiritus

Auguſ. in expoſ. Evang. Johan. tract. 50.

ſancti quod & ipſi aliquando verbis non re celebraverunt. Nam quid illud eſt? *Non ſanctorum filii ſunt, qui tenent loca ſanctorum, ſed qui exercent opera eorum.* Et alibi: *Morum nobilitas, non loci, non generis, ſacerdotes notificet.* Et, *Non loca vel ordines, ſed merita Deo conjungunt.* Quomodo verò Paulus probat ſe non minorem eſſe magnis Apoſtolis? Obſecro animadvertite. *Hebræi,* inquit, *ſunt; & ego: Iſraëlitæ ſunt; & ego: Semen Abrahæ ſunt; & ego: miniſtri Chriſti ſunt; & ego: At plus ego in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, à Judæis quinquies quadragenas unâ minus accepi, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, in labore & ærumna, in vigiliis multis; in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate: Inſtantia mihi quotidiana eſt & ſolicitudo omnium Eccleſiarum.* His privilegiis agere oportet Epiſcopum, qui Petri, qui Pauli perſonam velit agere, non ex loco quòd Romæ ſedeat. Loci ſuperbiam crediderim ego ſemper odio fuiſſe unigenito Dei. Nam quid eſt, quòd Bethleëm in præſepio ruſticano, non Hiëruſalem, non Romæ quæ tùm gentibus & nationibus imperitabat, naſci voluit? Periniquum eſt cauſas veras Primatus & dignitatis Epiſcoporum præterire, & eas celebrare quæ inanes ſunt & odioſæ etiam apud Chriſtum. Si cui veſtrûm, Principes, illud placet, quòd uni Petro quædam ſint promiſſa & adſignata magis quàm cæteris Apoſtolis, non contendam vobiſcum. Sed illud obſecro (quod libenter arbitror vos eſſe facturos) ut cogitetis, quam ob rem promiſſa illa ſint atque adſignata Petri nomine. Si Hilario creditis, *quòd fide* (inquit) *Petrus cæteros anteivit.* Si Auguſtino, *Quod Petrus,* inquit, *plus aliis dilexerit Chriſtum.* Sed nos hæc ipſa ex verbis Evangelii ſumamus. *Dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Johannis diligis me plus his? dicit ei, etiam Domine,*

[Margin notes: Diſt. 39. — 2 Cor. 11. — Hilar. in Matth. — Auguſ. in Joh. tract. 124. — Joh. 21.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tu ſcis, quia amo te. Dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Johannis diligis me? ait illi, etiam, Domine, tu ſcis, quia amo te? Dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei tertiò, Simon Johannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò amas me? & dixit ei: Domine tu omnia ſcis, quia amo te; Dicit ei, paſce oves meas. Quid primùm rogat? an plus aliis diligat. Quid ſecundò? quid tertiò? de dilectione. Obſecro vos, Principes, in quibus habitat Spiritus Dei, ne ſapientiam Dei Chriſtum inaniter fruſtráque hoc toties petere atque iterare exiſtimetis. Docet hîc vos ſapientia Dei Chriſtus, non acceptorem eſſe loci aut perſonarum ſe, neque alio moveri quàm dilectione erga ſe mirificâ ut alicui committat ut paſcat agnos & oves ſuas, quas neque Petro credidiſſet, niſi re cognita & explorata, quòd plus cæteris amaret. Nam quid ſic rogabat is, qui omnia novit, quaſi hæc ignoraret? Norat ille quidem omnia, ſed vobis rogabat, Principes, qui probaturi Epiſcopos aliquando eratis, plebi ſanctæ rogabat, quæ in Epiſcopos aliquos erat delectura, nobis rogabat, ut dignoſceremus Pſeudopetros iſtos, qui multis jam ſeculis gloriam Chriſti, ſalutem gentium & nationum, miſerum in modum oppugnaverunt; qui plus vaſtitatis Evangelio & inſtitutis Apoſtolorum attulerunt, quàm unà reliqui hoſtes Chriſti, & tamen audaces ita ſunt, ut pro ipſis dictum aſſerant: *Paſce agnos, paſce oves meas.* Quibus verbis temerè elati atque inflati non intelligunt non eos ſe eſſe quos Eccleſiæ ſuæ promiſit Deus per Jeremiam:
Et dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent Jer. 3.
vos ſcientiâ & doctrinâ. Num ii vos paſtores eſtis, Pontifices? Exiſtimate interea, Principibus optimis præſentibus, reſpondere, qui probè norunt, quicquid aliquando mali, Reges viderunt: quicquid incommodi ex bellorum incendiis acceperunt Imperatores, quicquid ſolicitu-

dinis ac negotii habuit Eccleſia Chriſti, à certis quibusdam hominibus aliquando fuiſſe conflatum; In quos ſi animadvertetur, non propterea minuetur gloria Apoſtoli, immò verò augebitur, exploſis Pſeudoepiſcopis, & conſtitutis veris Epiſcopis, in quibus Evangelica puritas & Apoſtolica ornamenta eluceant, & cætera quæ habuit Petrus, quibus cùm Pontifices Romani careatis, audite, quam cantilenam ad aures inſuſurret vobis Origenes. *Quoniam qui Epiſcoporum*
Orig. tract. 1. in Mat. cap. 1. in fine. *locum ſibi vendicant, utuntur eo dicto ſicut Petrus, dicendum eſt illos rectè loqui, ſi pariter facta habuerint, ob quæ dictum eſt illi, qui erat Petrus, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, Sique tales fuerint, ut à Chriſto ſuper eos ædificetur Eccleſia, & ad eos jure referri poſſit. Porrò ſi quis, cùm haud ſit nec habeat quæ dicta ſunt, ſicuti habuit Petrus, credit ſe ligaturum in terrâ, ut quæ ligaverit ligata ſint & in cœlis, ac ſe ſoluturum ſuper terram, ut quæ ſolverit ſoluta ſint & in cœlis; Hic inflatus eſt, non intelligens quid ſibi velint ſcripturæ, & tumefactus incidit in Diaboli ruinam.* Hæc Origenes. Quæ ſi perpendiſſetis, Pontifices, æquè ac laudationes quorundam, qui vos unos voluerunt eſſe omnia, & in officio fortaſſe manere & paſcere oves Chriſti aliquando didiciſſetis. Nunc cùm verbis illi vos ſuis infatuarint, objurgari patiamini, ſi jure. *In Cathedrâ Moyſis*, inquiunt, *ſederunt Scribæ, & Phariſæi; quæcunque illi dicunt ſervate & facite.* Remitto ego
Theop. in Matt. 23. hos ad Theophilactum præclarè docentem, quid ſit in Cathedra Moyſis ſedere. Ex eo nunc tantùm ſumam ſimile quoddam. In Cathedra Petri ſedent ii tantùm, qui non jugum revehendum ſed ea docent quæ docuit Petrus, & quoniam ſuper Petrum & ejus ſucceſſores Eccleſiam Dei aliqui ædificatam contendunt, nolo eſſe contentioſus, quòd aliàs non concederem. Hic, quia omnibus modis poſſum vincere, concedam, ſi unum quod per ſe eſt veriſſimum mihi

mihi dabitur, Succeſſores Petri non eſſe veluti Regum Principúmque filios, regni cujuſdam terreni ſucceſſores, ſed ſpiritales potiùs ac ſanctos, hoc eſt, ut ii fide inprimis firmâ & dilectione præcipuâ ſint in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum qua fuit Petrus, & qui Petri doctrinam & inſtituta tanquam ex ſucceſſione alant, ſuſtineant ac tueantur. Si quis Petri doctrinam rejecerit, ſi quis ab Apoſtolo deſciverit & ejus inſtituta ſuſtulerit de medio, Petri ſucceſſor non ſit, non appelletur; Fateantur omnes hunc, quiqui ſit qui à Petro receſſerit, ad Eccleſiam quæ ſuper Petrum ædificata eſt nihil attinere; Hunc Judam, Pſeudopetrum, & Antichriſtum liceat bona cum venia veſtra appellare, Pontifices. Judicate vos an æqua poſtulatio ſit Principes. De dilectione Pontificum Romanorum in Chriſtum ipſe ſcit qui omnia novit. At Johannes ſigno etiam aliquid aſſequi nos poſſe docuit. *Qui*, inquit, *non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere?* Si hiſtoriam Pontificum legimus, nullam curam intelligimus illis fuiſſe potiorem quàm dominatus propugnandi & ditionis augendæ & regni ſervandi, quod ut tuerentur, barbaræ gentes ſæpè excitatæ ſunt, rerum novarum ſtudioſi populi ſolicitati in Reges & Imperatores, fœderibus modò in hos modò in illos ictis, aucta incendia bellorum, ſpoliati reguli & necati crudeliſſimè, cives exinaniti, aucta vectigalia Pontificum, ſpoliatæ urbes, æraria aliorum compilata, Hæc quoniam Principes ipſi ſenſerunt & populi, miſſa faciam. Ad illud venio quod penè turpiter omiſeram. Ejus verba hæc ſunt, qui mentiri non poteſt. *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat, & qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* Caput eſt de majeſtate mandatorum Chriſti imminuta, in quo pluribus queſti ſumus à Pontificibus non modò non ſervata mandata Chriſti, ſed ſumma diligentia fuiſſe cautum, adhibitis etiam minis, & ſuppliciis conſtitutis, ne ab

1 Joh. 4.

Joh. 14.

Cap. ſeptimo teſtimonii

ab aliis ſervarentur. Ejus vos meminiſſe oportet. Obſecro memineritis, vos Principes, in quibus habitat Spiritus Dei. Percurramus nunc partem aliquam doctrinæ Apoſtoli, ut cognoſcamus an Pontifices Romani eam ſuſtinuerint aut ſuſtulerint. Proponamus vitam Apoſtoli, ut intelligamus ſi ejus vitæ exempla ſunt imitati, aut potius execrati non verbo ſed ipſa re. In Epiſtola multis agit Petrus, ut lapidem electum & Petram quandam oſtendat eſſe
1 Pet. 2. Chriſtum. *Ad quem*, inquit, *accedentes, lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini: Propter quod continet ſcriptura; Ecce ponam in Syon lapidem ſummum, augularem, electum, precioſum, qui crediderit in eum non confundetur. Vobis igitur credentibus honor, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt ædificantes; hic factus eſt in caput Anguli, & lapis offenſionis & petra ſcandali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo poſiti ſunt.* Docet hîc Petrus Chriſtum eſſe lapidem & Petram, ut & ipſi ſuperædificemur Ecquid aliud ſonat? *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam?* Addit, *& qui crediderit in eum non confundetur*, quod eſt idem atque in *eos qui crediderint portæ inferi non prævalebunt.* Hanc doctrinam ſi ſecuti fuiſſent Pontifices Romani, non laboraremus. Pergit: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*: Hîc fideles omnes appellat non modò ſacerdotes, ſed & regios. Si quis Laicos, quos vocant, ſacerdotes appellet, quæ & quàm turpes in eum ſequentur nomenclationes, declaratione operâ Pontificum Romanorum? Spirituales hoſtias nos, inquiunt, offerimus. At hoc de omnibus Chriſti fidelibus dicit Apoſtolus. Nam quid ait? *Sacerdotium ſanctum offerentes ſpirituales*
Heb. 9. *hoſtias, acceptabiles per Jeſum Chriſtum.* Chriſtum, inquiunt, nos offerimus. Quaſi verò ſemel pro nobis ſeipſum ipſe Chriſtus non obtulerit ſatis, adſtétque ſemper vultui Dei pro nobis mediator advocatus &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

& interponens ſeſe. Commemoratio mortis Domini eſt celebranda. At dùm panem illum manducamus & calicem bibimus, omnibus æquè eſt præceptum, ut ejus beneficii memores mortem Domini annunciemus, donec veniat. Quæ non eò dico, ut negem, Diaconos non inanes, & Epiſcopos ſeu presbyteros non adumbratos, conſtituendos eſſe per civitates ab Eccleſia ſancta (eſt enim id perquàm neceſſarium) ſed ut oſtendam nihilo plus illos cæteris eſſe ſacratiores. Nam unum Baptiſma, unam fidem, unam unctionem habemus à ſancto, quâ ſumus ſacri, non quòd ſimus ſuccincti veſtibus & zonâ, ſed ſuccincti, inquit Petrus, lumbos mentis, quodque ſancti ſimus omnes Chriſti ſacerdotes fideles. Quamobrem ſacerdotibus illis, quibus omnia contingebant in umbris, ut nos ſignificaremur prædictum fuerat: *Sancti eſtote; quia ego ſanctus ſum.* Huic doctrinæ Apoſtoli tenebræ denſiſſimæ atque incredibiles offuſæ ſunt à Pontificibus Romanis; quod ſæpè jam queſti ſumus. Pergit. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Dominum.* Id omnibus dicit, neque Diaconos neque Epiſcopos excipit. Exemerunt tamen, veluti vulpeculæ, Pontifices Romani ſe & ſuos, mirúmque in modum privilegiis muniverunt, non modò ne laicis ſed ne civilibus legibus ſubjicerentur, néve Petri doctrinam ſuſtinerent, quàm manifeſtè in hoc privilegiis quæſitis oppugnant. Sed ego, ne totam Epiſtolam videar velle interpretari, venio ad Acta Apoſtolorum. Petrus accepto Spiritu ſancto cogitat de regno Dei, aperit ſcripturas, & adponit uno die Chriſto animarum circiter tria millia. Pontifex Romanus (ex hiſtoriis quivis repetat,) acceptâ mitrâ Mammonæ, cogitat de regno mundi, aperit fores Jani, quod eſt, de bello cogitat in regulos non ſuæ factionis, & feudatarios, quos vocat, rebelles, & ſcandalizat, adponitque Diabolo uno die hominum plusquàm centum

[Margin notes: 1 Cor. 11. — Lev. 19. — Cap. 3. teſtimonii. 1 Pet. 2. — Act. 2.]

centum millia. Petrus nullâ re magis exultans
Act. 3. quàm paupertate, claudo dicit: *Argentum & aurum non eſt mihi.* Pontifex verò exultans auro & regia gaza, in ſalibus habet, ſe id non poſſe dicere, quod
Act. 3. claudo Apoſtolus Petrus; ubi claudus ſalvus adſtitiſſet, neque ſeſe, neque alium hominem ſpectari vult, ſed Chriſtum ſolum, docet non eſſe aliud nomen à Deo datum ſub cœlo, in quo nos oporteat ſalvos fieri. Pontifex, ſi quid uſquam tale acciderit, vel Petrum, vel alium quem ex hominibus, qui dicti ſunt ſancti, ſpectari vult, & iis templa exædificari, erigi ſtatuas, docétque ſub cœlo eſſe multa, quæ ſint ad ſalutem. Petrus in
Act. 4. concilio Principum, ſeniorum & populi vocatus, aſſerit, æquum eſſe audire Deum potiùs quàm concilium. Superioribus annis, cùm Germani advertiſſent aliud ſtatuere Decreta & Concilia, aliud Evangelium, & ſe dicto Dei fore audientes potiùs quàm hominum, à Pontifice Romano da-
Act. 4. mnati ſunt atque excluſi. Petrus precio agrorum Eccleſiæ accepto dividit ſingulis prout cuique opus erat, neque erat inter tot quiſquam egens. Pontifex Romanus, acceptis bonis Eccleſiæ, magnis divitiis cumulat ſuos, dat quod cuique opus eſt, ne quis ſit inter ſuos egens: Cæteros miſeros, qui vel ſervitutem ſerviunt in Africa & Aſia apud hoſtes nominis Chriſti, vel qui duriter vitam agunt apud nos, non curat abſumi fame & rerum omnium inopiâ. Petrus Ananiam & Saphi-
Act. 5. ram mentientes Spiritui ſancto, accenſus ſpiritu, aſpectu ipſo exanimat. Pontifex Romanus, cùm videat atque intelligat ab iis, quibus ſtipatus ſedet, Epiſcopatus appeti atque geri, non ut doctrina & ſapientia (quam nullam in iis eſſe cognoſcit) paſcant oves Chriſti, ſed cauſa magnorum proventuum & in luxu vitam agendi, fert immò verò alit atque extollit, cumulátque magnis muneribus, &, ut Hilarius ajebat, *intra palatium*

latium honorat ad ſervitutem, addam ego, *ad calamitatem & exitium ovium Chriſti.* Petrus, cùm Apoſtolis Symon pecuniam obtuliſſet, ut impoſitione manus acciperet Spiritum ſanctum, abegit clamoribus hominem, qui donum Dei exiſtimaret pecuniâ poſſe poſſideri. At Pontifices Romani ſæpè pecuniâ, ſæpiſſimè corruptione, ut his internunciis demererentur Reges & Principes, manus imponi curaverunt iis, quos non aptos ad Epiſcopatus gerendos, curamque animarum ſuſcipiendam, ſed ad conciliandos Imperatorum & Regum animos intelligerent accommodatos, aut privato aliquo commodo & ſanguinis communione conjunctos. Petrus, cùm in cænaculum eſſet ductus, & circumſtaret illum magna turba, rejectis foràs omnibus, oravit ex inſtituto Evangelico; *Cùm oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum ſtantes orare: Tu autem, cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum; in abſcondito reddet tibi.* Pontifex Romanus, cùm orandum eſt, & tubâ cani, & reboari per urbem inſtituit, & altâ voce & confusâ concini Muſicorum inſtrumentis contra reboantibus. Quod non eò dico, ut orationes publicas improbem, ſed quòd inſtitutis Pontificiis huc ventum eſt, ut tenues homines, cùm domi poſſent orare & curare quæ curanda ſunt, ad templa volitent tanquam ocioſi, quaſi ille domi orandi modus Evangelicus, minùs ſit Deo acceptus. Petrus, cùm viſionem videret, & vas quoddam veluti linteum magnum ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupeda & ſerpentia terræ & volatilia cœli, vocem audit, *Surge, Petre, occide & manduca*, non ut gulæ licentia, ſed libertas Chriſti ſanguine partâ, gentibus & nationibus proponeretur, ut ſine offendiculo omnibus ſemper uteremur cibis, quos Deus creavit ad percipiendum

Act. 8.
Act. 9.
Matt. 6.
Act. 10.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

cum gratiarum actione. At Pontifices Romani pœnâ mortis animis propoſita, diſtinguentes inter diem & diem, contra vocem illam è cœlo miſſam, reclamant; his aut illis diebus ne manducato néve apponito. Petrus, cùm Cæſaream intraſſet, & ad ejus pedes Cornelius ſe abjeciſſet, adoraſſetque eum, non tulit, ſed monuit hominem eſſe ſeſe, & propterea tales cultus non ſibi deberi. At Pontifex Romanus, non modò tenues homines ad pedes ejus abjici ſtatuit, ſed beatiſſimis pedibus oſculum dari vult ab Imperatoribus & Regibus Principibuſque civitatum ad ejus pedes provolutis. Petrus os ſuum aperiens, dixit; *In veritate comperio, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet eum & operatur juſtitiam, acceptus eſt ei.* Pontifex Romanus non modò perſonarum ſed & locorum facit acceptorem Deum, ita ut, ſi alii Epiſcopi poſſint errare, Epiſcopus Romanus non poſſit, quòd Romanæ Eccleſiæ ſit Epiſcopus, ob quam dictum eſt Petro: *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* Romanam, *& portæ inferi* hæreticorum ſectæ *non prævalebunt adverſus eam.* Petrus tandem, cùm ſurrexiſſent quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderant, præciperentque ſervari quædam legalia, acclamavit Apoſtolus. *Nunc ergò quid tentatis Deum? Imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, credimus ſalvari quemadmodum & illi:* Monet, obteſtatur Apoſtolus, tentari Deum, ſi quis de jugo imponendo & legalibus cogitet. At Pontifices Romani nihil magis cogitaſſe videntur, nihil magis curaſſe, ut oſtendimus, quàm ut eorum opera, jugum ex legalibus & præceptis reſtitueretur. Si circumciſionis onus Apoſtolo intolerabile viſum eſt, quod ſemel in vita cuique erat obeundum, quod Judæis ferè

[Margin: Actor. 10. — Actor. 10. — Act. 15. — Cap. 4. teſtimonii.]

ſemper in infantia illa abſolvebatur, in qua grave quid ſit non intelligitur, & tantoperè reclamat Apoſtolus; quid faceret hoc tempore, in infinita multitudine legalium & præceptorum, quæ non in omni vitâ ſemel, ſed partim ſingulis annis ſaltem ſemel, partim non ſemel ſed ſæpè & ſæpiùs ſingulis menſibus ſervanda ſunt, mortis pœna animis propoſita ſi non ſerventur? Habetis, Principes, ex altera parte amorem Petri in Chriſtum, doctrinam & vitam Apoſtoli, ex altera parte Pontificum Romanorum. Vos ego nunc appello, veſtram imploro fidem, obteſtor ego vos per Jeſum Chriſtum, ante cujus tribunal ſiſti tandem omnes oportet, ut judicetis utrum ſucceſſores iſti fuerint an everſores Petri, utrum Apoſtoli doctrinam aluerint an ſuſtulerint de medio. Mirum profectò eſt, quàm in his nihil ſit eorum, quæ in Petro potiſſima fuerunt. Nihil tàm diverſum eſt quàm vita Apoſtoli & Pontificum Romanorum; nihil tàm pugnans quàm hujus & illorum doctrina. Conferte vos etiam atque etiam, Principes, neque mihi ſed veritati credite: Conſiderate, inquam, an hi ſint ſucceſſores Petri vel everſores: Liberate inveterata & indigna infamia Apoſtolum; Declarate ſententiis veſtris hoſce illos ipſos eſſe, quos in Spiritu vidit Petrus Apoſtolus, magiſtros mendaces, qui in avaritia fictis verbis (præfationibus illis ſervi ſervorum Dei, vel Beatiſſimi & Sanctiſſimi Domini Domini noſtri) non modò de tenuibus hominibus multis jam ſeculis, ſed magnis Imperatoribus & Regibus ſunt negociati: quod futurum apertiſſimè monuit Petrus Apoſtolus, ut erudiremini aliquando & caveretis ovibus Chriſti, Vos Invicti, Auguſti, Pii Principes, in quibus habitat Spiritus Dei.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

RECITA CAPUT DECIMUM NONUM.

Teſti- monii cap. XIX. Rom. I. Revelatur ira DEI, inquit Apoſtolus, ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem DEI in injuſtitiâ detinent; quia, quod notum eſt 1 Cor. I. DEI, manifeſtum eſt in illis; At cùm cognoviſſent, quòd Dominus Jeſus factus eſt nobis ſalus, ſapientia, à DEO, juſtitia & ſanctificatio, non glorificaverunt aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & contulerunt gloriam unigeniti DEI Capite teſti- monii tertio. rebus inanimatis, ita ut genu flecterent, & adorarent illas, & peterent in ſanctificationem. Propter quod DEUS tradidit illos in cœcitatem, ut facerent ea quæ non convenirent; ſicut prædixerat Spiritus ſanctus 2 Tim. 3. per os Pauli. Quod FUTURI ERANT (Videte jam, ſi revelata eſt ira DEI ſuper hominum impietatem; animadvertite, ſi benè expreſſi ſunt Pontifices Romani, collegæ & aſſeclæ eorum, qui veritatem DEI in injuſtitiâ detinuerunt.) Homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi.

Decla- ratio Teſti- monii XIX. QUi hi ſunt elati, ſuperbi? Diſcite ex eorum literis. Nos Reverendiſſimi, Reverendique Patres, miſeratione divinâ Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Cardinales, Patriarchæ, Ar-

Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prælati. Sed tu Perge. *Blaſphemi, parentibus non obedientes.* Adde etiam, ſi vis, jubentes ne alii parentibus obediant. Nam de ea re caput fuit ſextum. Perge. *Ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate.* Hic ego, ſi antiqua nolim repetere, Alexandrum ſextum, qui plus veneni quàm aquæ miſcuiſſe dicitur, poſſum commemorare; Et Julium ſecundum, cujus operâ plus uno die ſanguinis hauſit terra, quàm ipſe cum combibonibus vini in toto Pontificatu. Prætermitto populationes agrorum, ingentes prædas, incendia oppidorum, quæ ſecuta ſunt ferro igníque omnibus locis vaſtatis: quarum calamitatum primarios teſtes quàm plurimos excitare poſſum, & , ſi libet, ab Aſcanio Columna, & Camertum & Urbinatum duce petere, quos credo Paulus Pontifex juſtis de cauſis non ſperat habere laudatores. Sed ego hanc partem orationis aliis relinquo. Nam quòd ſine benignitate & humanitate fuerint Pontifices, quî poteſt eſſe obſcurum? Si conſtat eos non modò in viventes, ſed in mortuos etiam ſæviſſe? Stephanus ſextus Formoſi corpus è ſepulchro erutum, Pontificio indumento ſpoliavit, abjicique in vilem tumulum juſſit, duobus digitis dextræ abſciſſis. Sergius Tertius Formoſi cadaver tractum è tumulo, ſecuri percuſſit, & poſt contumelias in Tyberim projecit. Multorum oſſa, ut eorum verbis utar, exhumari, multorum cineres vento ſpargi mandarunt. Rectè ergò Apoſtolus hos prævidens appellavit homines immites & ſine benignitate. Perge. *Proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Quis Romæ fuit pompam illam intuitus & apparatum Pontificum & collegarum aſſeclarumque eorum, quo Chriſti religionem eludunt, qui pie-

In literis convocatoriis concilii Conſtantienſis & concilii Baſilienſis ſeſſione 13. cap. 6. teſtimonii.

Platina in vita Stephani ſexti & Formoſi & Sergii tertii.

In concilio Conſtantienſi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tatis ſpeciem non ſit arbitratus ineſſe illis? Quis verò diem unum aut alterum Romæ egit, ut oculis potiùs quàm auribus crederet, qui virtutem ſolidamque pietatem ullam eſſe non negarit in his hominibus? Quid quòd ſe vicarios Chriſti, & Petri ſucceſſores & Epiſcopos & paſtores & ſervos ſervorum Dei aſſerant? Habent hic quoque ſpeciem pietatis. Cùm autem eorum nihil ſit quæ pollicentur, ſed contra omnia inſint vitia; pietatis virtutem abnegare dicuntur. *Homines corrupti, reprobi circa fidem, ſed ultra non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſtabitur.* Utinam, Principes, det nobis hoc Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut quod aliquando futurum eſt vobis ad gubernacula Reipublicæ ſedentibus contingat, ut per ſententias veſtras omnes intelligant atque cognoſcant, authorem omnium malorum & incommodorum noſtrorum, quem oportet aliquando cognitum iri. *Revelabitur*, inquit Apoſtolus, *ſuo in tempore homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſuper omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Conſiderate Principes quid ſit, *ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus, & jam myſterium operatur iniquitatis.* Tempore enim Pauli, ut oſtendimus, Pſeudoapoſtoli illi obtegere cœperant beneficium ſanguinis Chriſti, velare Evangelium, tenebras offundere rebus clariſſimis & ſimpliciſſimis, quorum Pſeudoapoſtolorum doctrina ſuſtentata atque aucta eſt æmulatione legalium à Pontificibus Romanis, ex quibus veluti unum aliquod corpus, una civitas, unus quidam ex membris multis perficitur atque conflatur: Quamobrem pergit Apoſtolus: *Et revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Quomodo interficiet ſpiritu oris ſui? Evangelium, verbum, ſpiritus oris Domini eſt. Illuſtratione Euangelii

[Margin: 2 Theſſ. 2.]

[Margin: Act. 16. & 21. Declaratum eſt id capite teſtimonii primo.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

gelii cadet, cadet Babylon, peribit ille iniquus, qui dicitur Antichriſtus. Ut verò multos ac multos homines fore intelligatis Antichriſtum, hîc dicitur, Inſipientia eorum manifeſtabitur. Quorum obſecro inſipientia? Suſcipite curam & cogitationem dignam animis veſtris, Principes, & ſinite jam illuſtratione Evangelii ſancti interfici impium, ſinite Spiritu verbi Dei corpus illud, cætum impuriſſimum diſſolvi hominum, qui ſervari mandant doctrinam Dæmoniorum. Qui attendant doctrinæ dæmoniorum, certiſſima ſigna propoſuit Apoſtolus, quibus omnibus veſtigiis, ſi vultis, eos aſſequimini; nunquam effugient. *Spiritus* (inquit) *manifeſtè dicit*, Num dubitanter loquitur? manifeſtè dicit, *quòd in noviſſimis temporibus diſcedent quidam de fide.* Res digna eſt obſervatione. Hæc enim tempora nobis ſunt noviſſima. Qui hi ſint qui diſceſſerint de fide, agite jam videamus. *Diſcedent de fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum.* Quorum dæmoniorum? *prohibentium* (inquit) *nubere & abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* Nobis ſunt hæc quibus vivimus noviſſima tempora. Nihil ſanè refert, vel Marcion vel Manichæi quidam docuerint, nuptias eſſe impuras propter concubitum, bonum non eſſe omnibus veſci. Si Pontifices Romani idem inſtituerunt, & Marciones ſunt & Manichæi. At tergiverſari non licet contra Spiritum S. Res in illuſtri omnium Gentium & Nationum conſpectu poſita eſt: Marcion & Manichæi docebant impuras eſſe nuptias, docebant non omnia bona eſſe ad victum: at non prohibuerunt edicto aliquo Gentibus & Nationibus propoſito. At Apoſtolus non *docentium* inquit, *ſed prohibentium nubere & abſtinere à cibis.* Non eſt idem docere & prohibere: vis eſt in verbo. Quis prohibuit; quis edictum pro-

1 Tim. 4.

Κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

poſuit; ne Diaconi, ne presbyteri, ne Epiſcopi, ex inſtituto Spiritus Sancti per Apoſtolum ſcripto deligi poſſint ex iis, qui à plebe ſancta probati & laudati unius uxoris viri ſint, qui domui benè præſint, & à filiis benè eductis atque educatis piè colantur & obſerventur. Quis infinitam multitudinem Clericorum & cucullatorum matrimonii Sacramento abſtinere non dico docuit, ſed uti prohibuit, ita ut ſi quis eorum uxorem habeat, ſacerdos eſſe non poſſit. Quis pœnâ mortis æternæ propoſitâ, non dico docuit, non dico hortatus eſt, prohibuit dico ne Gentes & Nationes ex libertate Chriſti ſuo commodo ſemper cibis omnibus uterentur, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, niſi libertatis Chriſtianæ & Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ inimiciſſimus cætus & inſipiens Pontificum Romanorum? *At inſipientia eorum*, inquit Apoſtolus, *manifeſtabitur.* Latinè multi ſcripſerunt, Germanè ut audio plurimi, Italicè inprimis integritate & caſtitate vitæ admirabilis vir Bernardinus Ocellus Senenſis de Antichriſto. Res celebrari cepta eſt etiam aliis linguis, ita ut, illuſtratis ſcriptis illis divinitùs Danielis Prophetæ & Johannis Apocalypſi & ſanctiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli epiſtolis, res in comperto ſit, in Pontificum Romanorum perſonâ expreſſam eſſe faciem Antichriſti.

Sic in 1 ad Theſſ. 2. capit. Κωλυόντων ἡμᾶς τοῖς ἔθνεσι λαλῆσαι de Evangelio quod edicto propoſito prohibuerant prædicari.

Probatum fuit hoc cap. teſt. 5. in declaratione.

Probatum hoc cap. teſt. 4. in declaratione.

RECI-

RECITA CAPUT VIGESIMUM.

Malæ conſuetudines, abuſus, abominationes publico edicto tollendæ. Bacchanalium enim ſpeciem habemus, ludorum ſpeciem, ſimulachrorum abuſus. Neque enim abeſt, quin infirmitas humana, inſtigante Sathana, ut DEOS olim, Divos morbis præfecerit, ita ut ad Petri fanum Romæ templum Febris ſit, Divæ Mariæ titulo. Nec brutis deeſt patrocinium Sanctorum, applaudentibus Pontificibus Romanis. Fornicari impunè licet; ſcorta ubique publica; ita ut Romæ ſuperioribus annis cenſa ſint meretricum publicarum capita ad decem millia; earum quæſtus portionem quandam ſibi pendi jubent, ſicut & à Judæis Pontifices, quòd fœnerari impunè permittant, centeſimam exigunt. Acerbiſſimæ verò exactiones, crudeliſſimi dominatus, Simoniæ, doli, Spiritus ſancti venditiones & emtiones, & cætera abominanda ſic Romæ regnant, ut qui Chriſti Spiritum habent, liquidò videant ſcriptum in fronte Curiæ Romanæ: BABYLON MAGNA, MATER FORNICATIONUM ET ABOMINATIONUM TERRÆ.

Teſtimonii caput XX.

Divæ Mariæ de febribus.

Præter ea quæ alibi fiunt, Romæ in feſto divi Antonii Abbatis magno concurſu compelluntur equi & muli Pontificis & Cardinalium & aſſeclarum ad ejus fanum putantque id à divo fore ſalutare belluis.

Apoc. 17.

Declaratio teſtimonii XX. INcredibiles ſunt abuſus, infinitæ abominationes in magnis urbibus. At quàm omnia ſuperſtitionum, abominationum, abuſuum plena ſint in caſtellis, vicis atque oppidis ruſticanis, nullum eſt ingenium, nulla eloquentia quæ aſſequi poſſit dicendo. Quo minus dici poſſunt, eo magis veſtrum eſt, Principes, animis & cogitatione complecti: In quibus illud eſt mirandum, quòd omnia hæc mala ab uno perditionis fonte manarunt. Quòd ſi vos admiratione afficiat, quòd tàm diu hæc, non dico incognita (parum enim hoc eſſet) ſed & celebrata & pro piis habita ſint à Regibus & populis, eſt conſentaneum: Id enim ipſum in

Apoc. 17. ſpiritu videns revelator ille rerum altiſſimarum Johannes, *Et admiratus ſum* (inquit) *admiratione magna.* Deſinite jam mirari, Principes: illud vos potius conſoletur, quod dixit Auguſti-

Auguſ. de Catechizandis rudibus. nus, quod *videntes, quæ prædicta fuerant in ſcripturis ſanctis, noſtris temporibus adimpleri, ædificamur in fidem, quod eſt, ad cætera credenda efficimur propenſiores.* Quàm vellem, Auguſte Cæſar, Piique Reges, & Magni Principes, his, quæ de hâc ipſa re à Johanne prædicta ſunt, aliquantulum daretis operæ. Neque enim fugit hominem illum divinâ mente præditum quid futurum

Apoc. 1. eſſet. *Apocalypſis*, inquit, *Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus palàm facere ſervis ſuis: Beatus qui legit & audit verba Prophetiæ hujus & ſervat ea quæ ſcripta ſunt.* Piè quidem dicuntur: Non ſunt negligenda, Principes. Vidiſſe dicit ille ſe meretricem magnam, *ſedentem ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui*

Apoc. 17. *habitabant terram de vino proſtitutionis ejus, Et mulier erat hæc circumdata purpurâ & coccino, & inaurata auro & lapide precioſo & margaritis, habens poculum aureum in manu ſuâ plenum abominatione & immunditia fornicationis ſuæ, & in fronte ejus nomen ſcriptum; Myſterium, Babylon magna, mater*

for-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

fornicationum & abominationum terræ. Aperit myſterium Angelus Domini. *Mulier quam vidiſti eſt civitas magna. quæ habet regnum ſuper Reges terræ.* Beſtia aſcenſura de abyſſo, tyrannis Pontificum eſt, Pontificia ipſa poteſtas, Pontificia vis, quæ detortis ſcripturis, privilegiis acceptis, ut oſtendimus, & inveterata conſuetudine imperium ſibi ſtatuit in Imperatores & Reges. Huc illud accedit: *ſeptem capita ſeptem montes ſunt ſuper quos mulier ſedet.* Ecquæ urbs ſepticollis appellata eſt? *Mulier*, inquit, *ebria de ſanguine ſanctorum & de ſanguine martyrum Jeſu.* Num ea Roma eſt? Dicant jam ipſi Pontifices. *Sed & meretrix ſuper aquas multas.* Aperit hoc etiam Angelus Domini: *Aquas, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi multi ſunt & gentes & linguæ.* Quis de certitudine & veritate religionis Chriſtianæ poſſit ambigere, in qua mille & quingentis propè annis quæ prædicta fuerant, contingere ita videmus hoc tempore, ut ne minimum quippiam ſit prætermiſſum? *Cœlum*, inquit Dominus, *& terra peribit: verba autem mea non præteribunt.* Credo ego vos admirari ſolitos eſſe, Principes, ſi tales fuerunt Pontifices Romani (quales utinam non fuiſſent) quomodo tàm diu à Gentibus & Nationibus ſummo conſenſu celebrati & culti ſint. Oportebat Pontifices ſedere ſuper aquas multas, oportebat à Gentibus & Nationibus multis magno plauſu probari doctrinam Pontificum, ut impleretur ſcriptura, eſſetque Babylon illa mater magna fornicationum & abominationum terræ, cùm qua fornicarentur ipſi etiam Reges. Magnæ, ingentes, omninò infinitæ à vobis Deo gratiæ agendæ ſunt, Principes, qui vos in admirabilem uſque adeò lucem vocavit, ut id de vobis neque dici neque cogitari poſſit. Quid enim eſt, *fornicari cum Babylone?* niſi cum iis ſentire & conjungi, qui jura humana & divina

Apoc. 17.

Cap. 16. teſtimonii in declaratione. Apoc.

Apoc.

Mat. 24.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

confuderunt. *Babylon* externa vox eſt, apud nos confuſionem ſonat. Liceat mihi pro amore atque obſervantia veſtra in Chriſtum, Principes, aliquid liberius dicere. Imprudenter olim rudibus ſeculis Imperatores quidam & Reges cum Babylone ſunt fornicati. Non mens illis noxia fuit, non animus nocens, non ſenſus, non conſilium, non cogitatio ulla peccandi. Quò purior & candidior illorum mens erat, eò facilius à quibusdam malis artificibus fraus & dolus admoti ſunt. Imperatores primi illi, qui in barbaris Nationibus ex imperii finibus pellendis fuerunt occupati, Theologiæ literas interiores attingere non potuerunt, Religionem noſtram peramanter complexi, quicquid offerebatur, accipiebant, quicquid proponebatur, exequebantur. Quamobrem Antiſtites, qui per id tempus Romæ fuerunt, perliberaliter tractati ſunt. Nunquam verò Imperatores illi crediderunt, eorum muneribus tantam licentiam futuram Pontificum Romanorum, neque fortaſſe legerant, victu & veſtitu debere eſſe contentos Epiſcopos, & cum divitiis non putarunt apud barbatos illos avaritiam ſubrepere, quæ radix eſt omnium malorum. At ubi Epiſcopi Reges eſſe cœperunt, ſimul ſuſpitionem regni amittendi, & curam conſervandi & cupiditatem nonnunquam augendi neceſſe fuit accedere: Implicati ſunt tùm primum negociis, quæ ſecularia ab Apoſtolo appellantur; à quibus longiſſimè eos jubet abeſſe qui Deo ſerviant. At pii Principes illi prodeſſe putarunt ſe ſanctiſſimæ religioni, obeſſe certè quidem nunquam voluerunt. Nondum luxus iſti prodierant, initio abuſus ignoti, neque tanto numero, & ii qui eſſent non proferebantur. Proximi illorum ſeculis fuerunt ſummo ingenio & eloquentia Theologi, qui in rejiciendis ſectis, quæ ab Arrianis, quæ à Manichæis & cæteris magno incommodo fuerant invectæ, occupati, volumi-

lumina compleverunt diſputationibus & commentariis. In his excelluit Auguſtinus; ita ut Romanæ etiam Eccleſiæ judicio primus ſit habitus obſeſſor atque expugnator hæreticorum. Is quoniam & valdè peritus & acutus fuit, in hæc quoque penetravit, quæ hodiè diſputantur. Nihil enim non attigit, ſed de quibusdam breviter omninò & ſtrictim veluti pungens & ſomno excitans. Fundamenta verò ea jecit de Gratia, ut ſi ea attolli pluſculum paſſi fuiſſent homines, & de abuſibus multis & magnis actum & mirum in modum aucta fuiſſet doctrina verè Apoſtolica. At Auguſtini opinio de Gratia hoc tempore à Pontificibus Romanis & eorum aſſeclis ferri non poteſt, ſicuti libri de prædeſtinatione, quos in Senectute ſcripſit maturiore ætate & properante ad veram ſolidamque pietatem & pleniorem peritiam. Tyrannidi Pontificum Romanorum, quòd ii ex provocatione jus ſibi ſtatuerent in omnes Epiſcopatus, univerſi Africæ Epiſcopi egerunt in conciliis de capite, *De appellatione ad Epiſcopum Romanum*, quod dicebatur eſſe Concilii Nicæni capitibus ſuppoſitum atque adjectum; quorum opera nihil dico, literæ adhuc extant plenæ querelarum Africanorum Epiſcoporum, teſtimonia item de Exemplaribus Concilii Nicæni ſumma diligentia conquiſitis & acceptis ab Antiſtitibus Græciæ, conſonis iis, quæ antiquiſſima in Africa aſſervabantur, in quibus caput non erat illud: *placuit ſi Epiſcopus accuſatus fuerit.* Re explorata & comperta de Tyrannide Pontificum Romanorum in omnes Epiſcopos per dolum conquiſita & comparata, cùm conclamare cæpiſſent Antiſtites Africani, contigerunt per id tempus magni bellorum motus, irruptiones Gothorum in Italiam, in Hiſpanias, in Gallias, in Africam, quibuscum conveniendi & differendi poſt commonitionem præclaram ad Pontificem Romanum (ut concilii Africani verbis

[Margin: Concil. Afric. 6.]

[Margin: In Epiſt. Afric. Concil. 6. ad Bonif.]

[Margin: Epiſtola commonitoria]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Afric. Concil. 6. ad Cœleſtinum.

bis utar) ne famoſus typus ſeculi in Eccleſiam Chriſti induceretur, finem fecerunt Carthaginenſia concilia. Occupata miſerè & diu Italia & illuſtribus provinciis ſecutæ ſunt incredibiles tenebræ diſciplinarum omnium multis ac multis ſeculis, ita ut non modò liberales artes, ſed omnes etiam, in quibus manus accedit, deperderentur; Non ſolùm dicendi genus & antiqua latinitas mutata eſt, ſed etiam forma & figura ipſa literarum, quarum exempla ad noſtra quoque tempora pervenerunt. Quid putatis interea actum de Theologia? annon ipſi quoque tenebras fuiſſe offuſas. Superſtitio (vetus eſt) religionem imitatur: Proni fuerunt ſemper homines ad malum. Quis ergo dubitet ad ſuperſtitionem fuiſſe aditum? Omitto quòd tenebræ iſtæ & fames verbi Dei & jejunia prædicta fuerint in ſcripturis ſanctis: Ad ea quæ oculis cernimus veniamus. Quis pictas, annos ab hinc non dico ſexcentos aut trecentos, ſed centum ipſos, in parietinis imagines conſpiciat & riſum teneat? Quis latinitatis amator ſchedulam, quæ intra hoc tempus ſcripta fuerit, poteſt ferre, ut iterum legat? Et quoniam cum Imperatore & Regibus Principibusque civitatum ſermo eſt, de præliorum genere & ratione belli gerendi perpauca atque intra modum dicamus. Quis non miretur tanto olim uſu & peritia rei militaris apud Romanos & exteras nationes multas ad eam inſcitiam fuiſſe ventum, ut neque milites ordinem ſervare neque Imperatores aciem inſtruere neque caſtris foſſam ducere neque vallum jacere ſcirent. Vulgò ſine ordine, ſine foſſa, ſine vallo caſtra metabantur. Felicitate & virtute veſtra, Principes, ingenia hominum ſe extulerunt, animi veluti è longo ſomno excitati (quantum vix videbamur poſſe ſperare) omnia diligentia & induſtria ſunt aſſecuti. Pictura, ut à rebus notiſſimis & humilioribus incipiam pulcherrimè reſtituta eſt; Latinæ literæ honeſtiſſimè reductæ;

ductæ; Rei militaris ars atque ratio belli gerendi exquiſitior atque abſolutior fuit nusquam gentium. Ecquid creditis, Theologiæ, Chaldaicis Græcis Latinis Bibliothecis reſtitutis; magno ſtudio, ſumma diligentia, incredibili opera adhibita, nihil fuiſſe melius? Mirum videri non debet, ſi, luce ingenti quadam ſanctiſſimæ facultati allata, multa, quæ in diuturna obſcuritate latuerunt, videri cæpta ſunt. Tempus eſt jam, *Carole Cæſar*, Pie, Felix, Auguſte, Vosque Summi Reges, & Magni Principes, re in illuſtri omnium Gentium & Nationum conſpectu poſita, declarare ſententiis veſtris, non modò nobis ſed poſteris, propenſionem animorum veſtrorum in Chriſtum. Ejus Evangelium converſum & confuſum videtis miſerum in modum, beneficium ſanguinis Chriſti velatum atque obtectum, infirmis malè conſultum, onus grave innumerabilium præceptorum ſuper humeros fidelium Gentium & Nationum impoſitum. Quid expectandum? Libertas Chriſti ſublata eſt; inſtituta Apoſtolorum everſa ſunt; reſciſſum eſt verbum Dei; præceptorum Chriſti majeſtas imminuta; crux quantum per hoc licuit evacuata eſt; abuſus magni atque incredibiles invecti; confuſa denique jura humana atque divina. Quis Chriſti nominis tàm eſt inimicus, qui poſſit hæc audire & ferre? aut, ſi nulla ratione mederi queat, ne cum impiis ſenſiſſe videatur, non morte teſtatum relinquat? Hanc ob rem, ſi quid gravius in me acciderit, qui pro gloria Chriſti, pro ſalute fratrum, periculoſo conſilio, at perquam pia mente, ſuſcepi communem cauſam; nunquam profectò pigebit, ſi defenſo Evangelio filii Dei id ſequi neceſſe eſt; Accede lictor, Colliga manus, Caput obnubito: Ipſum me cruciatibus & Pontificum iræ offero; Percute ſecuri. Quæ eſt iſta tanta crudelitas & ſævitia, quam mors ipſa non exſatiet? Saturari Pontifices nequeunt, niſi viſcera noſtra lanian-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

lanianda & in ignem conjicienda præbuerimus. Accede lictor. Id etiam feremus. Liceat mihi, antequam de miſero ſupplicia ſumantur, abjici ad pedes, provolvi ad genua Magnorum & Sanctiſſimorum Principum. Orat vos ſervus Jeſu Chriſti, Principes, & flens obſecrat per eam fidem & operam, quam præſtare debetis Chriſto, qui tàm amanter pro vobis mortuus eſt, qui reſurrexit, qui adſtat vultui Dei pro vobis, ut ipſi jam Evangelii defenſionem ſuſcipiatis. Quòd ſi ſupra hominum ſortem, ſupra mortalitatem veſtram datum eſt vobis, Principes, ut reſciſſum verbum Dei, imminutam majeſtatem mandatorum Chriſti, inſtituta Spiritus ſancti reſtituere poſſitis, orat atque ſupplicat, ut neque animi neque corporis laboribus defatigemini, quo minus Eccleſiam Dei, quam dæmonia quædam formâ hominum induta multis ſeculis labefactare conata ſunt, Vos hoc uno conſeſſu veſtro, quem illa ſibi horribilem & formidoloſum putarunt, Gentibus & Nationibus vindicetis in priſtinam ejus lucem & dignitatem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

AONII PALEARII
VERULANI
EPISTOLÆ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS.

I. Aonius Palearius Verulanus Mauro Arcano S. P. D.

EGO ſanè graviter & moleſtè tuli diſceſſum tuum. Neque verò tu, licet me fortior videri velles, lachrymas tenere potuiſti : ſicuti neque ego diſſimulare diu dolorem. Vetus amicitia, ſimilitudo ſtudiorum, ingeniorum noſtrorum facilitas, nunquam profectò ſiviſſent, ut ſine lachrymis disjungeremur. Poſteaquàm à me diſceſſiſti, quantum potui te oculis ſum proſecutus. Soracte egreſſum, montes & ſylvæ texerunt : cùm ad flumen deſcenderem, Cæſar mihi noſter cum magno comitatu factus eſt obviam. Is, quo eſt ſplendore, qua eſt pietate, diligentiſſimè commendavit me ſuis : juſſit ut ſe abſente, omnia mihi eſſent prompta, & parata. Nihil illo heroe poteſt eſſe illuſtrius, nihil excogitari humanius. Deos quæſo, ut quorum vidi profectionem, eorum reditum lætiſſimè videam. Cum in urbem rediiſſem, mira mihi ubique viſa eſt ſolitudo. Domi erat Lucilla tua : quo animo, noli quærere. triſti ſcilicet : cœnare noluit. nunc miſera angitur, nunc emergit amor. nunc deſiderium ferre non poteſt. cum jam adveſperaſceret, curavi ut ad matrem deduceretur. Poſtridie ejus diei, qui fuit III. Id. Sextil. Eugenia nutrix me convenit, conquerens illam confici curis, ſomnum capere non poſſe, cohorruiſſe etiam paulò ante lucem. mirum ni, cùm imbecilli ſit naturâ, & valetudine, iſtis animi perturbationibus in febrim incidit : ad meas ſum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſummas ſolicitudines hæc etiam accidit. Eugubius medicus, qui te valdè amat, ſimulatque introductus eſt, dixit gravidam eſſe, & propterea magis afflictari mœrore. Ego puto anni etiam tempore vexari bile, & maximis caloribus (neque enim memini majores) fieri, ut tàm modicè edat, & parum obdormiat: nam & ego ſuperiorem noctem habui plenam moleſtiis. Nihil opus erat tàm multa ſcribere, niſi veritus eſſem, ne cùm alii ad te ſcripſiſſent, tu minùs me amare inciperes: tum ut te commonerem, ſi alii ad te ſcribant, non eſſe gravitatis, quàm tu à puero præſtitiſti, ferre immoderatiùs ægritudinem mulierculæ. Famæ aliquando, mi Maure, eſt ſerviendum. etſi nemo eſt, qui cum eſſem libentiùs, quàm tecum: tamen tibi non ſum autor, ut tàm citò ad nos redeas. Cave, ne ſubitò conſilium capias: ſolet te, cùm temerè aliquid feciſti, poſtea pœnitere. Si me audies, dum Cæſar abeſt, non modò nobis, ſed te ipſo tibi eſt carendum. Cùm eſſem obſignaturus epiſtolam, nutrix per puerum mihi nunciavit, Lucillam meliuſculè habere, deſiderare tamen abs te aliquid literarum: quod ut facias, te vehementer rogo. major illi levatio afferri nulla poteſt. Vale, Romæ.

2. Aonius Palearius Mauro Arcano S. D.

Vigilantis hominis, & induſtrii, viſæ mihi ſunt literæ tuæ, plenæ officii, ſuavitatis & amoris. Ecquando ego tibi gratiarum aliquam partem? Omnia, ut video, ſummâ diligentiâ es conſecutus, quæ ad honorem & dignitatem meam pertinent. Tua erga me benevolentia utilis, & optata mihi fuit ſemper: nunquam verò tam neceſſaria. Majorem in dies, mi Maure, humanitatis & pietatis tuæ capio fructum. meam rem ſic egiſti, ut ipſe tuam non ageres. Unum mihi reſtat ad omne decus, & ſolidum gaudium, ut te videam, & oſculer. De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Verrucoſo aut illud ipſum erit quod ſcribis, aut non multò ſecùs. Nonnihil periculi eſt in inſidioſa blanditia. Odi hominem: neque mehercule curo, ſi ejus animum offendam, ſi tuum non offendo: quanquam in iis literis, quibus mihi cogitationes tuas explicaſti, ſemper te eum ſic dilexiſſe dicebas, tanquam aliquando fuiſſes oſurus. negas tamen nunc animo eſſe averſo. Sed næ ego homo ineptus ſum, qui commemorando vel faciam, vel augeam dolorem. Faſciculus literarum, quem Repantii puero dederas, Lucillæ eſt redditus: in eo, ſi quid ad me fuit, non eſt allatum. Obſecro te, ne hic clames, neve ſuccenſeas, neve de negligentia accuſes: nihil ego non ſum expertus ſuadendo, orando, ut faſciculum Repantius ſolveret. Fuit hoc illi ſuſpicioſum: nunquam vidi hominem difficiliorem: Quod nullo negotio impetrare debebam, ſummis precibus non ſum aſſecutus. Nihil attinet omnia ſcribere. tu ſi homo es, poſthac, niſi habueris fidelem tabellarium, nequid epiſtolæ credas, quod nolis reſciri. Argentum ex penſione paratum eſt: ſi vis, iſthic poteris ſumere à Coſpiis. collybus parvus omninò eſt: ſatiúſque id, quàm duro anni tempore via longa & deterrima curſare ad tranſpadanos. Nollem in re minima tandiu pendêres animi. nam etſi domeſticas res impeditas Romæ reliquiſti, tantum profecimus, ut tuo commodo uti poſſis pecuniæ permutatione. Rumor hic eſt, non ſatis tamen conſtans, & ſine autore, iras eſſe inter Clementem Pontificem, & Carolum Cæſarem, quòd Regis affinitatem alter expetat, alter cum Gallis nullam velit fieri conjunctionem. Bononienſes propterea in armis eſſe dicuntur: Germani paratiſſimi ad certandum. quod ſi eſt, periimus. Non vides quanta tempeſtas impendeat? Noli expectare dum confligant: ut ab omni pugna abſis, maturrimè abito. Mantuam ſi perrexeris, nihil melius: nuſquam eris tutius. Vale, Romæ.

 3. Aonius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

3. Aonius Palearius Mauro Arcano S. D.

SI quid mihi Accurſius ſui conſilii impertiet, faciam te certiorem. dormias in utramvis aurem: ſi non excidit, quod ſuperioribus literis ſcripſi. Maximæ curæ mihi erit, ut ea faciam, quæ te ſciam velle: non tamen dubito, Verrucoſum hominem fatuum, & intemperantem, qui æris alieni magnitudine pedem portâ non effert, tàm odio tibi fore quàm mihi. Eum quoniam vis tuos nummos curare, faciam ut jubes: nutus mihi tuus fidem facit. Sed quem tu virum bonum dicas, non planè intelligo, niſi meliùs explicabis: vel, ut ego conjecturam facio, tu omnia εἰρωνευόμενος. id niſi eſt, pœnitebit. Paucis verbis præſtiti, quod debeo pro amicitia. ſi poſſem coràm, non te epiſtolis obtunderem. Eſt omninò miſerum, bona eorum, qui nobis chariſſimi ſunt, diripi videre. At miſerius multò, amicorum conſilia in eam partem non accipi, in quam ſi acciperentur, ſalva omnia eſſe poſſent. Sed ut antea dixi, quodcunque tuum in ea re conſilium erit, illud perſequar. tu ſi nimium me in commonendo fuiſſe dixeris, non laboro: malo in hoc deſiderari modeſtiam meam, quàm amorem requiri, aut diligentiam. Noſti, qua in offenſa ſim apud Cæſarem? miror, mihi nullas ea de re literas abs te datas. Conſilia quorundam invidorum, evigilata malis cogitationibus, tandem eruperunt. Quæ res ea eſt? Parva, & quæ à te dilui facilè poteſt. Objicitur, eſſe apud me exemplum indicis cujusdam benè longi, in Livii libros ex obſervatione Cathanei. Primum, quî potuit tam brevi volumen illud tranſcribi? deinde, quod conſilium? opus eſt confuſum, & diſſipatum: in quo niſi novus exſudetur labor, nihil quiſquam proficiet: autorque potius laudandus eſt, quòd primus in eam curam incubuerit, quàm quòd exactè incubuerit. Quòd ſi

eo

eo accuſamur, quòd ex indicis inſpectione ſecuti, &, ut illi dicunt, furati ſumus obſervandarum rerum rationem: tu vide jam, quàm iniqui ſint homines: antequam ii libri in manibus haberentur, abſoluti propè à me fuerant commentarii in orationes M. Tullii: non mehercule, ut laudem alicui præriperem (nihil enim minus unquam cogitavi) ſed quia magnis præmiis propoſitis urgebar, ut tu ſcis, à viro ampliſſimo: cui ſi tam libenter meas vigilias conceſſi, neſcio qui tam ineptus ſit, qui in animum inducat me appetiviſſe alienas. Mutius vir eſt optimus, & egregius civis Romanus; mira in homine clementia, pietas, integritas. ejus opera plurimum uſi ſumus. Is non modò oratione, ſed re etiam declaravit, nihil ſibi videri illiberalius, quàm innocentem oppugnari. itaque me vir fortiſſimus defendit. Quid tum, inquit, ſi literarum ſtudioſus hujuſmodi exemplar habeat? fac eſſe, tranſcripſerit: num id eſt flagitium facere? Tum patronus contumelioſus, & minax, quo vultu? quo ſpiritu? Cavebo (inquit) meis, ſine vadimonio non diſcedes: bibliotheca fuit apud te, pecuniam accepiſti. non ſat ſcio quid ſurripueris, quantum debeas: vadare, & abi quò vis gentium. Hæc quàm viſa fuerint indigna, quàm tulerim graviter, nihil dico: tu ſi hic eſſes, diſrumpereris. Cincius Phrygepan, ſummâ humanitate, modeſtiâ, & nobilitate juvenis, nulla in re defuit: ubi me in iis anguſtiis eſſe vidit, ultrò ſatisdedit. Hæccine præmia vigiliarum mearum? te ſponſorem appello, tam inſignem mihi fieri injuriam? Cæſare hæc, inquies, invito omnia. Nihil moror, pro iis ut emori poſſim? tot contumeliis oneratus ut Romæ maneam? non faciam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

4. Aonius Palearius Mauro Arcano S. D.

NUlli citius remittunt iram, quàm qui ſubitò excandeſcunt. Scripſi ad te Idibus multa jam nocte literas plenas querelarum: manè vix lucebat, cùm jam ſuppœnituerat. Nam etſi iræ, quibus ad ſcribendum fui adductus, tàm juſtæ erant, quàm quæ maximè: tamen ne vos offendam, omnia mihi toleranda facit, tibi non ignota quædam pietas animi mei. Neque verò me re alia magis devinxeris, quàm ſi curaveris, ut Cæſar intelligat, quos in urbe reliquit, neque ingenuè, neque liberaliter tractari à ſuis: quos ita tuli, ut nihil excogitari poſſit humanius. Quæ dicta, facta in me ſunt, omninò ex animo evulſa eſſe volo: ſi meminero poſthac, Dii mihi ſint irati. Quod etſi injurato credidiſſes, juravi tamen, ne ſi meas vitæ rationes, quas mihi à puero inſtitueram, nunc ſequar, iracundia permoveri me arbitreris: atque aliorſum, atque ego feci, accipias tu, aut alius quiſpiam. Mirum me deſiderium tenet Philoſophiæ, & eorum ſtudiorum, in quibus ante captam ab Hiſpanis urbem Romæ ſex annos conſumpſeram. ea intermiſſa biennium, cupio revocare. Avaritia quorum non licet dicere, ſophiſtæ nulli ſunt Romæ. Audio in Hetruria florere bonas artes. nihil eſt quin rectà proficiſcar Senas: niſi prius Peruſiam, quòd Ennius meus ibi eſt pro legato. valde cupio hominem viſere: nam me multum amat, & philoſophi non ignobiles Peruſiæ eſſe dicuntur. Quod ſi inveteratam barbariem, quâ facultatem illam reſperſere commentatores pſeudolatini, hic non invenero, nuſquam ero libentius: ſin orationis vitium oram hanc quoque occupavit, nihil mihi magis eſt in animo, quàm tranſire ad tranſpadanos tuos. Patavii, ſi vera ſunt quæ narrantur, ab Ariſtotele Græcè ſcripta, & Græcè & Latinè & ornatè reddit Lampridius,

pridius, vir excellenti ingenio, & doctrinâ propè ſingulari. Hujuſce mei conſilii rationem pluribus verbis reddidi, quòd video fore ſermones: Hui urbe abiit, hem levitatem. multi cavillabuntur, præſertim apud Cæſarem, indignationem diſceſſus fuiſſe in cauſam: nonnulli, me ipſum neſcire quid velim. quibus cupio tu hoc tempore reſpondeas: aliquando enim res ipſa loquetur, ubi in ſtudiis acquiero. Curiam relinques igitur? inquies. Relinquam: quid enim turpius, quàm nos tàm firma ætate, Romæ ignavos, ſocordes, inexercitatos, inglorios ſedere in ocio? Summi philoſophi, ut ad eorum peritiam aliquid accederet, tot barbarorum provincias pedibus obierunt: nos, ut inſcitiam exuamus, pigebit inſilire in equum, perluſtrare Italiæ partem? Mihi quidem ſi patrimonium amplum & copioſum Dii dediſſent, nihil fuiſſet prius, quàm non modò Italiam, Gallias, Germaniam, ornatiſſimas Chriſtianorum provincias viſere: ſed & Græciam omnem, in qua propè nullus pes eſt, qui in Turcæ non ſit poteſtate. Hoc deſiderium neque leve, neque malum bonis videri debet. In tantis enim tenebris & ſtudiorum, & rerum noſtrarum, nulla peregrinatio obſcura & ſordida eſſe poteſt iis, qui prudenti & ſagaci ſunt animo. Veluti cùm domi fumus eſt, atque nidor, accuſandi magis ſunt, qui domi maneant, quàm qui domo exeunt: ſic, ut lumen aliquod reſpiciant, laudi eſſe debet juvenibus, quò quò proficiſcantur: vitio verti, ſi remanſerint. Atque utinam hæc potius tecum coràm, quàm per literas. non enim vereor, ne aut tu in meam ſententiam venires: aut ſi errarem, commonefaceres amicè, fraternè objurgares. Sed pro re nata incommodè omnia accidunt. via non ſatis tuta eſt: & Fabius curſor per agrum Peruſinum cras, vel ſummùm perendie proficiſcetur. cum hoc ego eram iturus. Tu ſi quid ad me vis, Peruſiam cura ut literæ perferantur. Vale, Romæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

5. Aonius Palearius Mauro Arcano S. D.

CAve putes quicquam eſſe ſuavius epiſtolâ tuâ, quam Perusiæ XVI. Cal. Martias accepi. miram in ea pietatem, humanitatem, benevolentiam perſpexi. nam quòd malevolorum obtrectationibus rejectis, & invidis proſtratis, atque obtritis, me in omnes partes defendendum putas; quid hoc eſt, niſi pietas eſt? Humanitatem verò in ea re agnoſco maximam, & ſummam benevolentiam, quòd tantum mihi tribuis, quantum uni tibi ego verè tribuere poſſum. Ain' igitur, integer atque optime Maure, placere tibi conſilium meum? Equidem ut dicam tibi, etſi memoriâ tenebam, ſemper te omnium bonarum artium perſtudioſum fuiſſe: nonnihil tamen verebar, ne conſuetudine eorum, quibus cum conjunctiſſimè vivis, indignè feciſſe viderer, quòd eos non eſſem ſecutus, à quibus tu non potes recedere. Nunc cùm opinio tua ab exquiſita ratione profecta, ea ſit, quam decet eſſe hominis benè docti: hac comite quò quò ivero, benè erit. Currentem hortaris tu, cui mehercule dignitas mea charior eſt, quàm mihi ipſi. eam ſi in hoc diſceſſu retinebimus, etſi cætera malè caderent, fortiter feram. Eia clypeus ſalvus eſt, avelle ſpiculum: quanquam omnia mihi ſecunda, certa & explorata polliceor, ſi quæ rectiſſima ſunt ſequar. ſuſpenſus eſſem, ſi ex iis penderem, qui ad fortunæ motum moventur. Circumſpice omnia membra curiæ: quod momento temporis non videbis fractum, ac debilitatum? quandiu factum eſt, quòd omnia everſa vidimus? Quamobrem Cæſari probè & ſapienter reſpondiſti, cùm te vitæ pudere dicebas, qui omnium meorum ſtudiorum maximè conſcius, in id quod præclarè moliebar, nunquam conjeciſſes oculos. Libenter ego amplector talem humanitatem, quòd cum in te omnia copiosè ſint, quibus te ipſum pulcherrimè

cherrimè tueri potes, & aliis exemplo eſſe: me patronum, cuſtodem, præcurſorem facis ſententiæ tuæ. Diſceſſum verò meum quòd neque fronte, neque vultu bellis feras, agnoſco intimos ſenſus: amabò te, ne quid poſthac tale audiam. His rumoribus nonnihil ſum commotus. nam etſi mihi animus fortis & præſens eſt, ut omnia ſubeam amore quodam literarum: non tamen ita ferreus & inhumanus ſum, quin acerbitas quædam doloris, commemoratione eorum, à quibus avulſus videor, non recrudeſcat. Qualem te epiſtola præbes, talem re eſſe oportet. neque facere, ut mali theologi: qui cùm alios perpulchrè ad fortiter beneque vivendum hortentur, ipſi molliſſimè vivunt. Quòd in gratiam me apud Cæſarem repoſuiſſe dicis, feciſti amanter: putas enim cauſam tuam conjunctam cum mea. ſed nolo ego te omnia incommodo tuo facere. De epiſcopo Gallo, ad quem ſcripſiſti continuis diebus, neminem tibi me eſſe amiciorem, habeo gratiam: ſed homo ille in omni fortuna ſuperbum ſe præbuit. Prædives eſt, fateor: ſed is tàm diligenter ſuum tenet, quàm quivis fœnerator. Sacerdotio eſt ampliſſimo præditus: moveret me, ſi ſapientiâ, & pietate. Noli obſecro tu iſto ingenio vir, de iis expectare quid ſentiam, quos in omni conditione miſerrimos puto. Concludis enim epiſtolam hoc modo, *polliceor tibi illum fore uſui.* Quid ſi non erit? non propterea vivemus? næ ſi quotidianus congreſſus, & ſermo tuus mirificus, quo carendum video, me non magis moveret: is mihi viderer, quem tu verſiculo illo transverſo appellas, *ô te beatum, qui iſtam inis viam.* Sed jam lucet, & Apollonii puer pulſat oſtium: eccum rectà ad me. Vale, Peruſiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

6. Aonius Palearius Cincio Phrygepani S. D.

NOli expectare dum ad te ſcribam, quid iſta nobilitate juveni & animi excellentia faciendum putem. Sermones noſtri quotidiani, ſi non exciderunt, habes qui te admoneant: ſin, ut planè vereor, vel eorum oblitus es, vel ſuaſione alicujus mutaſti ſententiam: ego meis literis efficere non potero, ut ad nos venias: præſertim cum (ut audio) multum remiſeris de ſtudiis illis optimis, & qui tibi minus fidele conſilium dent, ſcire non poſſim. nam quòd ad meas unas atque alteras ſuperioribus diebus ad te datas non reſponderis, non prius miratus ſum, quàm Livius noſter ex urbe veniſſet, ſine literis tuis. quem cùm rogarem, ſi quid haberet de adventu, de quo cùm Romæ eſſet, tàm multa ſcribere ſolebat, & laudare præſtans judicium tuum: reſpondit, nihil mihi, quod antehac promiſerat, ſe magnopere confirmare. Itáne tandem nos deſiderio tui languentes, falsâ ſpe ducis? & expectatione facis pendêre? Næ ego, ſi unquam ſuſpicatus fuiſſem te ſine me poſſe vivere, ſic animum inſtituiſſem, ut ſi te mihi eſſet carendum, non ita acerbè ferrem: & uſu jam profectò confirmaſſem, ne tam variè afficerer. Quis me illis tuis pollicitationibus lætior? quis hoc nuncio triſtior? nam etſi Livius non afferat, neque tamen neget, te eſſe venturum: ego facilè quod nolo, hoc credo. Quid? non venies igitur? Niſi me opinio fallit, non venies: ita complexus es voluptates iſtas urbis, ut ab eis non poſſis divelli. Quid enim aliud dicam? Domeſtica negocia fratres tui curarent, ſi velles, diligenter, honeſtiſſimi & optimi viri: neque tàm multa ſunt, quin uno die explicari poſſint. Non accipio jam iſtam excuſationem: tu ſi tibi cura eſt noſtri, & exiſtimationis & dignitatis tuæ, ne committas, ut æqualium conſi-

liis

liis abducare. Rationum noſtrarum es particeps, auctor ſtudiorum: quorum illi ſunt hoſtes acerrimi. Eſt tuæ ingenuitatis, magnitudiniſque animi, cogitare quò nos promoveris, quid promiſeris reminiſci. Cùm in Hetruriam venimus, tantum pecuniæ nobiſcum attulimus, quantum tu liberalitate tuâ conceſſiſti: ſi veniſſes, nullâ re egeremus. Obſecro, ſi ſine te Patavium ſit eundum, ne ab omnibus deſtituti videamur. Patrimonium tibi, quod Dii fortunent, amplum eſt, puſilla familia, animus egregius, & rerum magnarum appetens. Quid tàm divinum & cœleſte, quàm hominem rebus omnibus juvare? quid tam Romanum, quàm alere hoſpitem, & veterem amicum? quid tam tuum, quàm excipere, & toto animo complecti ſtudioſos bonarum artium? Liberalitate tuâ nobis opus eſt, ut quæ tibi gratiſſima & jucundiſſima ſunt ſtudia ſequamur. bibliotheca Græca comparanda, Latini libri ſupplendi ſunt. Latinorum magna eſt caritas, Græcorum mira difficultas. Ad hoc te iſto genere, iſtis opibus, iſto ingenio natum puta, ut per te ſublevemur. Vale, Senis.

7. Aonius Palearius Ennio Philonardo Epiſcopo Verulano S. D.

CUm in Hetruria eſſem, & multa de indigniſſima eorum cæde, qui cum Peruſiæ præfecto erant, rumor ipſe perferret, ita animo ſum affectus, ut me certò ſciam nunquam in majore dolore fuiſſe verſatum. Primùm enim veritus ſum, ne Ennius, vir unus omnium integerrimus, & ſanctiſſimus, provinciæ civili bello ardenti præeſſet: qui cùm iratos & immanes exulum animos voluiſſet lenire, crudeliſſimorum hominum & ſicariorum improborum manus effugere non potuiſſet. Deinde memineram illic eſſe M. fratrem, virum ſanè bonum, & mihi amiciſſimum: quem in tanto furentis ple-

plebeculæ tumultu, quomodo in tuto eſſe poſſet, non videbam. Itaque cùm multos dies in eo mœrore jacuiſſem, renunciatum eſt, te eo tempore, quo illa in agro Peruſino geſta dicebantur, Romæ fuiſſe. Quod cùm maximam lætitiam attuliſſet, viderer-que permagno angore liberatus: ecce ad me ex Urbe lachrymarum & moleſtiæ literæ plenæ, de egregiorum civium & tibi conjunctiſſimorum clade: quæ mihi continuo cor exederunt. Cùm igitur, ut par erat, ſæpe ad te ſcribere ſtatuiſſem, ut conſolationem aliquam meis literis adhiberem, nihil ego reperiebam, (quod iis contingit, qui animo fracto ſunt, ac debilitato) quod non triſtitiam magis quàm conſolationem afferret. itaque veritus, ne dum mederi dolori vellem, acerbiſſimum animi ſenſum retractarem, à ſcribendo me continui: tùm quòd arroganter ac temerè me facere exiſtimabam, ſi virum ſapientem, qui conſilio, & auctoritate ſuâ barbaras gentes ſæpè fregit, patientiâ populos rebus novis ſtudentes domuit, conſolatione meâ indigere duxiſſem: quem præſertim animo forti & pacato, cognoſcerem abundare præceptis ſapientiſſimorum hominum. Quamobrem commutatâ ratione, qui conſolatorias literas ſcripturus eram, gratulationem potius volui ſcribere: quòd commutatâ fortunâ, poſt illas lachrymas, arcis Adrianæ præfectum publicis & multis muneribus honeſtatum, ornatum, auctum te eſſe acceperim. quibus, etſi te magni animi & magnæ humanitatis virum pulcherrimè ſecundam fortunam atque adverſam ferentem, minimè elatum intelligo: gaudeo tamen, quòd iis virtutis tuæ teſtimonia quædam conſecutus videare. θεῖον γὰρ ἀγαθόν που τιμὴ, τῆς τε καλλίστης ἀρετῆς μαρτυρία, καὶ σημεῖον εὐεργετικῆς δόξης. quæ quoniam in illuſtri magnorum Principum conſpectu poſita eſt, non dubito majorem in dies fieri acceſſionem fortunæ, & dignitatis tuæ. Vale, Senis.

8. Aonius

8. Aonius Palearius Cincio Phrygepani S. D.

O Jucundiſſimum & optatiſſimum nuncium, ô expectatiſſimas mihi literas tuas: cum de diſceſſu ex Hetruria conſtituiſſem, & comites parati eſſent ad profectionem, ecce Fabius Curſor cum literis, quæ me maxima lætitia extulerunt. Quid, inquies, igitur ſine me? Enimvero recrudeſcebat dolor, quòd ſine te eſſet eundum: ipſe mihi moram afferebam, & nectebam cauſam ex cauſa, ne quid feſtinarem. Sed jam tædebat me vitæ, quid hic facerem? ſine libris, ſine ſudario, ſine linteo: omnia præmiſeram, ne in itinere opus mihi eſſet mulis Marianis. quo magis erit tibi videndum, ut hæc noſtra expectatio ne plus ſit menſtrua: tametſi tu ita ſcribis, ut propè nefas ſit de tuo adventu dubitare, tamen pungunt me dubitationes quædam tuorum. audi hominem amiciſſimè monentem, non me pœnitebit ſæpè jam commonuiſſe: Ego nihil tibi video eſſe Romæ periculo vacuum. incredibilis eſt invidia æqualium, qui juvenem florentem nobilitate, opibus, propinquis, amicis, ferre non poſſunt: diſceſſum tuum in præſentia ob idipſum tibi utilem, ob ſtudia honeſtiſſimum puto: omnia hic erunt fidei, conſilii, amoris plena: ubi te convenient omnes, oderit nemo. Nam quòd amicus noſter lucem iſtam jactat, alias res agit, ne te moveat: nunc aliud tempus eſt. Urbem, mi Cinci, vides refertam peregrinis, in qua nulla civis valde illuſtris induſtria eſſe poteſt. Peregrinatio, mihi crede, neque obſcura, neque ſordida eſt iis, qui abſunt vel ſtudio militiæ, vel deſiderio literarum. Tuæ prudentiæ eſt, oblivíſci quædam hoc tempore, & quæ ab amantiſſimis tui proponuntur cogitare. Vives nobiſcum, vives cum ſtudioſis bonarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

artium: magnum fructum capies ex conſuetudine æqualium, qui ſunt magna animi humanitate temperati: incredibilem ex uſu majorum natu, ſumma doctrina & eruditione: ex ſtudiis verò tuis tantam voluptatem, quantam ſemper capere conſueviſti: in hoc etiam majorem, quòd hîc quid agas, quo te oblectes, eſt præterea nihil. Poetæ, oratores, philoſophi non ignobiles Patavii habitant, & ſapientia in unam urbem commigravit, veluti in aliquam domum, in qua Pallas omnes artes docet: neque ullus locus eſt, ubi melius tua illa inexhauſta legendi & audiendi aviditas exſatiari poſſit. de qua re ſcribo parcius, quòd incredibilis ſolet eſſe feſtinatio adoleſcentium, quos deſiderium cœperit alicujus rei. Tu, qui firmiore ætate ardes deſiderio literarum, incitatione noſtra non egere, ſed aut adventare, aut propè adeſſe jam debes. De liberalitate, & promiſſis iis quæ oſtendis, ago gratias: nihil ad tuum in me amorem addi poſſe video. Sed nihil eſt quod nunc pecuniam cures. cum lentius agere te viderem, & ad meas literas non reſpondiſſe, verſuram feci: mandavi interea Pterigi familiari meo, ut domum & prædia, quæ ſunt in Hernicis, vendat. ſi emptorem quem putarat non invenerit, faciat auctionem. Omnia mihi abjicienda ſunt potius, quàm deſerenda philoſophia. Vænibunt ſervi, ſupellex, fundi, ædes, omnia: id ut me abſente percommodè fieret, cùm Romæ eſſem, dedi cognitorem Corſinium. Obſecro te, ut ſcribæ Capitolini formulam mandati componant diligenter, eamque Corſinio ad te venienti des: ſed fortaſſe ille, quod vereor, temporibus æſtivis cum Ennio ſeceſſit in Fibreni inſulam. quod ſi eſt factum, amabo te incumbe in hanc rem, ut pro Corſinio ſit Pterix: & cum his literis formula perferatur ad Cantelmos meos. Gregorium fratrem tuum humaniſſimum bene valere gaudeo. de Hie-

ronymo audimus quæ volumus : mirum eſt , quantum in iſto juvene ſit animi , ſplendoris , & heroicæ virtutis. rem honeſtiſſimè transegit : ei meo nomine gratulare , & dic plurimam ſalutem. Vale , Senis.

9. Aonius Palearius Franciſco Bono , & Matthæo Pavonio , Verulanis , S. D.

EGo verò maximè vellem vobiſcum eſſe : neque mihi quicquam eſt dulcius commemoratione iſtâ patriæ , & deſiderio meorum. ea tamen cupido inceſſit adeundi exteras regiones , ut planè opiner patriâ mihi ſemper eſſe carendum , non modò iſta in qua natus ſum , & quæ vel veſtrâ causâ mihi eſt chariſſima : ſed aliâ etiam quâcunque , ſi qua unquam futura eſt , quæ me uxoris ac liberorum charitate devinciat. Nunquam mehercule audio , in Galliis & Germania florere bonas artes , quin cupiam evolare. Cùm Româ diſceſſiſſem ſuperiore anno , Peruſiam veni. erat ibi tum pro legato ampliſſimus Vir Ennius Philonardus noſter. nolite quærere , quàm mihi ab illo omnia fuerint prompta , & parata : quandiu Peruſiæ fui , voluit ut eſſem apud ſe. ſi voluiſſem , impetraverat , ut cooptarer honorificè in collegium juvenum ſtudioſorum : operam , curam , diligentiam , autoritatem ſuam mihi pollicitus , nulla in re defuit : nunquam vidi hominem meliorem , vel integritate vitæ , vel ſtudio juvandi. At cùm barbarie ſcateret gymnaſium illud , nihil mihi prius fuit , quàm ut maturrimè abirem. Senas veni VI. calendas Novembris. urbs eſt in amœniſſimis collibus poſita , fertilis , & copioſa omnium rerum : infecta partibus tamen , & factionibus propè enecta. maxima pars nobilitatis per vicos & pagos diffuſa habitat , quæ altrix ubique ſolet eſſe liberalium artium : quamobrem Muſis veluti novem pulſis , & fuga-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

fugatis, nemini mirum videri debet, ſi nulli aſſidui ſunt philoſophi, nulli oratores, nulli poëtæ in civitate. Ingenia tamen Senenſium ſunt acria, atque acuta, ſicut omnium Hetruſcorum: mulieres egregia forma, juvenes academiis excitatis oblectant ſeſe ſcriptis vulgaribus: felicitas illa linguæ Thuſcæ hoc habet incommodi, ut avocet à Latina & Græca, quæ labore ſunt comparandæ, qui unus eſt hoſtis acerrimus ſtudiorum: quo fit, ut minimè multi attingant interiores literas. Aveo diſcedere, incredibile deſiderium me tenet philoſophiæ; ſed nobiliſſimi homines adhuc me retinent in villis, & pagis. horum magna eſt humanitas, ſumma liberalitas, regius propè ſplendor. niſi ſtudiorum amore incenderer, nuſquam eſſem libentius. Nam urbe Româ ab Hiſpanis captâ & direptâ, Latio exinanito, quid eſt iſtâ provincia ſpoliatius, ad quam me revocatis? quid noſtris regulis egentius? Quæ res facit, ut ſæpiſſimè cogitem, & ſtatuam de vertendo ſolo. Huc accedit, non amica quædam voluntas æqualium noſtrorum, qui mihi à puero infeſtiſſimi fuerunt, adoleſcentes impuri, & ſcelerati: qui ubi creverunt, nihil ipſis fuit inimicius, quàm ipſi fuerunt ſibi. ii, ut cætera omittam, auſi ſunt (quod non queo ſine lachrymis ſcribere) demoliri partem ſepulcri matris meæ, lectiſſimæ fœminæ, eximiâ virtute & probitate: cujus cineres utinam ſalvi ſint. Veſtrum nunc eſt, omnibus officiis amicitiæ à vobis ſanctè & diligenter cultis, & ſervatis, pro mea perſpectiſſima ſemper erga vos benevolentia, ſi quæ ſunt reliquiæ meorum, colligere, & componere in urna: curabitur pecunia. Obſecro detis hoc pietati meæ. Saxum ingens poni volo cum his literis, in ea templi parte, in qua erat ſepulcrum matris meæ:

Mat:

MATTHÆO PALEARIO, ET CLARÆ JANARILLÆ, OPTIMIS PARENTIBUS: ET ELYSÆ, FRANCISCÆ, JANILLÆ, PALEARIIS, SORORIBUS HONESTISSIMIS: AONIUS PALEARIUS POSUIT MUTATO SOLO.

De ea re bis, terve ſcripſi ad Mariam materteræ filiam: ſed illa aut mœrore impeditur, aut veretur dicere. Quicquid eſt, facite ut ſciam: ut ſi fortè aliquando rediero in gratiam cum Muſis, conſecrem meos omni genere monimentorum. Valete.

10. Aonius Palearius Johanni Martello S. D.

Accepi humaniſſimas literas tuas, quibus ſignificas, te libenter relicta paterna domo meam emiſſe, ſi conditiones ſolutionis mihi probabuntur. mandavi ſæpè jam Pavonio, & Bono, hominibus meæ erga te voluntatis maximè conſciis, ut tibi dicerent, nihil mihi eſſe, quod ego meum magis putem, quàm tuum: placent conditiones, mitto ſyngrapham. Corſinius, homo officioſiſſimus, & peramans tui, curabit omnia diligenter. Volo tibi eam emptionem benè & feliciter evenire. In vita mea nulla unquam majori voluptate ſum affectus, quàm ubi accepi, velle te domi meæ habitare. Quinque vis eſſe penſiones: ſint ſanè quinque. at ego unam remitto, dono ſextantem, cæteras etiam tuo commodo: id ſi quis graviter feret, doleo. nam ego primum id maximè vellem, ut omnes intelligerent, mihi te eſſe chariſſimum. deinde, ut mei id gauderent: ex dodrante curabo ſepulchrum fieri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ut ſi quid illæ meorum reliquiæ ſentiunt, ex hac re capiant voluptatem. Quid opus eſt de quibuſdam tàm multa affirmes? novi ego provinciales iſtos. illud mihi conſolationis loco pono, ubi ego domi eſſe non poſſum, tu ibi ſis: ubi ſi eſſem, totos dies unà eſſemus. An cenſes memoriâ me depoſuiſſe, cùm tantillus ad te deducebar à patre? qui incredibiliter lætari ſolebat, quòd hominem comperiſſet, cui ſuos liberos tutò committere poſſet. Tua mihi à pueritia neceſſaria benevolentia fuit: humanitas iſtis profectò deeſt, qui te à me amari nolunt. Ego, cui plus quàm tibi debeam, habeo neminem: prudenter tamen facis, quòd eorum invidiam vitas, qui tibi neſcio quâ re ſint irati; ſed animum tuum libera aliquando iſtis ſolicitudinibus. Quod de amicis ſcribis, credo equidem, ſentio hoc ipſum in me fieri: dici non poteſt, quàm vobis invitus caream. nullus eſt dies, quo non ego vos omnes memoriâ & cogitatione complectar: neque eſt verendum, quòd tandiu longè abſum ab oculis veſtris, ne aut vos me, vel ego vos propterea minus amare incipiam. Nulla amori noſtro intercapedo, nulla abſentia, nulla finem eſt allatura diuturnitas. Vale.

11. Aonius Palcarius Bernardino Maſæo S. D.

CUm expectarem avidiſſimè literas tuas, (dederam enim meas ad te Idibus Majis Hieronymo Reario) admonuit me Paccius noſter, qui Venetiis Patavium navicula advectus, cives Romanos officii causâ convenerat, te meas nullas prorſus accepiſſe: quod quidem moleſtum mihi fuit. nam etſi erant ſcriptæ noſtratibus verbis, nec iis ipſis oratoriis, quibus audio eſſe tuas: erant tamen plenæ ſtudii, benevolentiæ, & amoris erga te mei. neque multum abfuit, quin ad te venirem: amicorum negotia, quibus beneficiorum magnitudine plurimum debe-

debebam , impediverunt. Eodem enim tempore,
quo Bononiam veneram, redditæ mihi ſunt illorum
iteræ, quibus ſignificabatur, in Hetruriam mihi
:ſſe maturrimè redeundum. ita factum eſt, ut ami-
:itiæ & deſiderio ſatisfacere non potuerim. Ego,
ni Maſæe, quàm tui, quàm tuorum omnium fue-
im ſemper amantiſſimus, credo tibi jam perſpe-
tum: quid ſperem, arbitror te intelligere. neque
nihi eſt quicquam te charius, aut jucundius: con-
raque ego me abs te amari credo, vel potiùs certò
:io. quod etſi aliqui aliter ad me detulerunt, ad-
uci nunquam potui, ut de te quicquam temerè
rederem. Si meum ſtudium ſemper fuit tuendæ di-
nitatis tuæ, quid erat, quod de me ſemper non
onorificè loquereris? Simiolos iſtos abige à te, quos
go ex omni memoria, vitaque noſtra evulſos volo.
int hæ peſtes invidorum hominum, ut eorum ne-
eſſitudines, quos iidem mores, paria ſtudia con-
inxerunt, leviſſimis & improbiſſimis ſermonibus
onentur labefactare. Sed de his hactenus. nunquam
oſthac obtundam. Tu velim ad me crebrius ſcri-
as: & Lampridium, & Bembum, noſtros, Pro-
erum & Scipionem, juvenes florentiſſimos, at-
ue ornatiſſimos civitatis, ſalvere jubeas. Vale.

2. Aonius Palearius Pterigi Gallo familiari ſuo S. D.

TU me homo adiges ad inſaniam. Itáne man-
data mea contemni? ut quod ego maximè ve-
m, id minimè fiat? Mei peccati luo pœnas. ſtul-
s ego cæteros ex mea natura fingo: quod ipſe
on facerem, neminem facturum puto. Quid atti-
:bat ab aliis conſilium capere, ubi cognoſces
eum? Hetruriam præfero cæteris Italiæ regioni-
is: ſi quando in ſtudiis acquiero, in hac provin-
a ea pars nobis deligenda eſt, quæ aëris puritate
æſtet, & humanitate colonorum. nam poſt ur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

bem direptam, bello vaſtatis agris, fame abſumptis populis, peſtilentiâ oppidis exinanitis, quid eſt Latium niſi campus, & aer, & ſolitudo mera? Cupio alienare bona paterna. domus honeſtata eſt ſucceſſore novo. de horto, & fundis, Corſinius tranſiget. dandum eſt aliquid Alexandro, & Baſilio: id nunc fiet. Supellex nobis erat lauta, Bibliotheca non vulgaris: concedetur iis. Recepiſti mandatum, quod perſequi debes diligenter. Si homo es, id eſt, ſi à me amari vis, ad meam voluntatem accommoda tuam, conſilium muta: id ſi tibi non eſt integrum, neſcio quorſum res caſura ſit. nihil minus volo, quàm ut ii, qui rebus meis ſpe & animo inhiabant, omnia ſe aſſecutos putent, etiam invito me. Si quid promiſiſti, nihil jam magnopere confirmes: abduc te ſenſim, finge te expectare literas meas. commodiſſimum erit, ſi re infectâ abieris. Abſurdum eſt, ut te omnia doceam: prudentiâ tuâ nobis opus eſt, ut id fiat, cujus causâ iſthuc te miſimus. Quid? hoc intellextin? Scripſi ad te latinè, quòd Thuſcè non benè ſcias: & quòd arbitrer, Latinè omnia dici ſignificantius. Cùm Romam veneris, Cincio Phrygepani dic plurimam ſalutem, quantum ex literarum conſtantia intelligo, quas ad me dedit, precibus noſtris & cohortatione non indiget. Vereor ego tamen adhuc, ne falſa lachrymula miſerè vix vi expreſſa, ſtudiorum ardorem reſtinguat. Sed nos amicitiæ ſatisfecimus: dedimus juveni conſilium cùm fidele, tùm ſalutare. Incende tamen, quantum potes, verbis tuis. Cupio eum ab urbe abducere, ſive ab hominum invidia: quæ ut umbra corpus, ſic ſequitur eos qui habitant in oculis civium. Is mihi ſemper à pueritia ſpem attulit ſummæ probitatis, & avitæ virtutis. Valdè à me amatur: ſpero poſſe fieri, ut tecum in Hetruriam veniat. Patavium proficiſcemur vi. Calend. Octobris. De Laurentio Carolo, ô malum & acerbum nuncium! febri conſumptus eſt? quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

quid ais? tam paucis diebus? Omnia ſunt miſera, atque afflicta. quid ejus matre fiet? quid ſororibus infeliciſſimis? Non queo cætera præ lachrymis.

13. Aonius Palearius Mauro Arcano S. D.

DIi malè iſti faciant Luceio; qui tot ac tantas turbas fecit. Senas venit XI. Calend. Octobris, cum literis, quas ad te de maximis rebus ſcripſeram. iis abalienare conatus eſt à me homines ampliſſimâ fortunâ, & autoritate: quos ille mihi eſſe amicos moleſtè ferebat. Ardeo dolore, & ira. Frater tuus contumelioſè nos tractavit. nam cùm tu Romæ non eſſes, aperuit faſciculum literarum, in quo erant meæ ad te, de rebus geſtis in Cenſura, deque hominibus iis qui admiratione ſtolidæ Academiæ in cœlo ſunt: qui ſi moveri Senatu poſſint, ſcripſi ad te ſæpè, nihil prius, neque fortius. noſti cætera. Hæ literæ in manu ſunt inimici mei: cujus opera, nihil dico. Homo niger, & confidens, neminem prætermiſit eorum, qui injurioſius nominabantur, quibus meas literas non oſtenderit, ac legerit. Serò per Cathaneum impetravi, ut ab illa mente deſiſteret. commonuit enim vir graviſſimus, & (ut video) commovit, non eſſe liberalis officium hominis, cum amico ſic agere, ut turpius nihil poſſet cum inimico. adhuc enim mihi, dum ea moliretur, blandiebatur: & cùm ſuperiori nocte in ædes Bogini veniſſet, ſalutem dixerat, dexteram porrexerat, columen exiſtimationis meæ. ſed inde (ut habeas quod in dolore etiam ridere poſſis) non prius diſceſſit, quàm ubi commodè fieri potuit, me abſente evomuit virus improbitatis. Obſecro te, ne tales homines poſthac in amicitiam recipias. Sed tu ſapiens, ab ejus conſuetudine, ut audio, refugeras aliquot diebus antè, quàm ex urbe diſcederet. Eâ re, credo, ille commotus, cum Senas veniſſet, veluti jubatus draco erecto capillo, oculis illis emiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſitiis ferri huc atque illuc, quærere ſi quem ſpiritu rabido ac venenato poſſet aſpergere. Federico Carteromacho juveni modeſtiſſimo roganti, unde odium illud tàm improviſum & repentinum? reſpondit, ſe in literis, quas circumferebat, non honorificè appellatum fuiſſe à me. Quod cùm ad te ſcripſiſſem, ne commoverere ſermone leviſſimorum hominum, ſi quid aliter detuliſſent: cognorat illis verbis ſe unum ſignificari, præterea neminem. Mafæo noſtro humaniſſimè petenti, ne mihi negotium faceſſeret: homo ventoſiſſimus reſpondit, ſe non mecum, ſed cum Bembis & Sadoletis avere pugnare. Agnoſcis veteres oſtentationes? Ejus literas ad te mitto ad Mafæum ſcriptas, ut ſcias, eſſe in contemnendo homine nonnullam gloriam. Ego nihil duco eſſe commodius, quàm ſi de his rebus nihil amplius ſcribamus. perturbant enim hæ contentiones animum meum. Quicquid hoc ſimultatis eſt, cupio deponere. fortaſſis illum nobis dies immutabit. Si quid interea garriet, non reſpondebo: ita ſum hoc tempore otium & Muſas complexus, ut ab eis divelli non poſſim. Mihi pergratum feceris, ſi de iis rebus nihil meâ causâ cum fratre jurgaris, nihil non mitiſſimè dixeris. ſatis erit, ſi, cùm tibi tempus maturum videbitur, fraternè ores, atque obſecres: quoniam ego te amo, & tu me diligis, ut ipſe quoque à nobis diligi & amari velit. Senis.

14. Aonius Palearius Jano Lampridio S. D.

MEi amantiorem te putabam eſſe neminem: tàm multa, & magna, quandiu Patavii fui, tua in me beneficia extiterunt. nunc planè vereor, ne omninò ex animo tuo effluxerim: qui cùm à me ſæpiſſimè literas acceperis, tu ne ſchedulam quidem. Neque eſt quòd te purgare poſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

poſſis: quin prius, quàm accuſandus, negligentiæ condemnandus ſis. Qui iſthinc veniunt, ajunt omnes te vidiſſe, ſalutaſſe etiam meo nomine: dixiſſe quoque, ſi quid velles ſcribere, deſiderare ſeſe tuas ad me literas perferre. Eſt apud vos Sanſedonius meus, quem cum ad te proficiſceretur, oravi curaret, ut quàm diligentiſſimè epiſtolas tuas ad me mitteret. Quid eſt igitur, quòd excuſationem ullam à te accipiam? ſi quando Patavium venero, nihil eſt, mihi crede, quòd te liberâ oratione poſſis defendere: præſertim cùm tu illis ipſis diebus, quibus ego diſcedere volebam, receperis, velle te ad me quàm ſæpiſſimè ſcribere, & cum amicis noſtris me quoque melicis tuis illuſtrare. Hoc ſi feciſſes, cætera poſſem perpeti: nihil enim ego unquam magis deſideravi, quàm ubi meis non poſſum, commendari divinis illis verſibus tuis, quibus nihil eſt ornatius. magni enim refert, ſcribi in libellis Lampridianis: quibus ego (ſi poſſem iſtuc abs te impetrare) ad ſpem quandam immortalitatis raperer. Sed de his hactenus: non enim vereor, ne non iis laudibus, quibus ignotos, & minimè gratos homines ad cœlum ſæpè extuliſti, amicos & familiares tuos ſis ornaturus. Ego, ut proximè ad te ſcripſi, cupio VI. Calendas Novembris ex Hetruria decedere; miro enim deſiderio me vos afficitis. expecto tamen interea avidiſſimè literas tuas. Senis. Bembo & Lazaro ſalutem dic.

15. Aonius Palearius Petro Bembo S. P. D.

ETſi in omnibus literis, quas ad Lampridium dedi, ſcriptum erat, me te abſentem ſic memoriâ colere, ut nihil fieri poſſet amantius: ſic tui deſiderio teneri, ut eſſe nihil poſſit ardentius: petiique ab eo majorem in modum, ut aptiſſimis verbis ſuis amorem erga te meum declararet: ſubpudet tamen, me annum jam abſentem nihil ad te

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

literarum: cùm præſertim mihi ſim conſcius, quanti ego ſemper dignitatem, autoritatem, benevolentiam tuam fecerim, quàm mirificè à pueritia ingenii tui ſuavitates & ornamenta amaverim. Quæ res igitur à ſcribendo duæ me retardarunt, hæ ſunt. Sciebam te inani literarum genere minimè delectari. quid ego autem ſcribere poteram, quod non eſſet inaniſſimum prudentiæ? an, quòd ego te unicè diligerem? Tuliſſes credo non moleſtè, pro tua humanitate, ſi id ipſum ſcripſiſſem: & legiſſes, ut puto, perlibenter. At verò quid ego hæc ad Bembum, virum unum omnium graviſſimum, & doctiſſimum? quem cùm Patavii eſſem, officii cauſâ crebrò convenire ſubverebar: quòd nefas eſſe ducerem, ſcribentem divinitùs hiſtoriam, & noſtra hæc tempora ſempiternæ hominum memoriæ conſecrantem, inani & jejuna verborum volubilitate obtundere. Erat mihi præterea in animo, cùm primùm domeſticis quibuſdam laboribus, & amicorum negotiis eſſem liberatus, ad vos redire, quare percommodè me facere arbitrabar, ſi eo tempore, ut opinabar, brevi, ad te omninò non ſcriberem: ne, dum leniter ferre vellem, ſcribens deſiderii tui ignem augerem. Quòd ſi ego putaſſem tandiu à te abeſſe, nunquam profectò commiſiſſem, ut cùm tàm multi iſtuc amici venirent (ſive id factum probaſſes, ſive improbaſſes) tu ſine meis literis eſſes: quas poſthac ſi intellexero, fore tibi non injucundas, commutatâ ratione, utar hoc bono literarum, ut per literas avidiſſimè, & quàm ſæpiſſimè tecum loquar: ut κατὰ φαντασίαν ſpectris excitatis, te diligentiſſimè colam, & obſervem. Vale, VIII. Calend Januarias. Senis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

16. Petrus Bembus Aonio Paleario S. D.

EX iis literis, quas proximè accepi, quod mihi nunquam dubium fuit, me abs te mirificè diligi, intellexi: & cum Lampridio ſum admiratus iſtam animi humanitatem, & ſuavitatem ingenii tui: cujus fructum, cùm Patavii eſſes, capiebamus dulcem quidem, & optatum: eum cùm abſentia tua amiſerimus, niſi damnum crebris literis reſarcias, moleſtiſſimè feremus. quanquam te ipſum potius quàm literas expectabamus, tum quòd ita tu receperas: tum quòd ſatis conſtans rumor erat, cum hæc ſcriberemus, Senenſes eſſe in armis. Nihil habent ſtudia iſta tua, & modeſtiſſimi mores, commune cum factioſis: nihil iſtic eſt, quod te jam delectare poſſit, excluſis optimis viris, quorum tu dignitatem oratione graviſſima tueri potuiſti. viribus & armis quid potes? Inter ſicarios verſaris: quæ mens, quod conſilium in tanta licentia gladiorum? Ibi te, mihi crede, eſſe oportet, ubi ſunt boni & docti viri: cum præſertim domo exiveris, conſummandorum ſtudiorum gratia: & libri, quos de Animorum immortalitate cœpiſti ſcribere, non modò poſtulent, ſed flagitent, ut abs te aliquando abſolvantur. refer te ſis ad manſuetiores Muſas, & ad homines redi cupidiſſimos tui. Lampridius mecum eſt totos dies: valde ejus conſuetudine & convictu delector: qui cùm mihi integritate illa ſua eſt jucundiſſimus, tum pietate incredibili in amicos. nullus eſt dies quin de te faciat mentionem pleniſſimam deſiderii. Pangit aliquid Pindaricum: nolo omnia. cùm veneris, opus apparebit. Tantum dico, ſi properabis, multo maximam capies voluptatem. Quam ob rem ſi nos amas, quantum profectò amas, ne ſinas diutius nos duci expectatione. Hiſtoriam meam abs te avidè expectari video. non poteſt iſta in me laudando inductio animi & voluntatis tuæ mihi eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

non jucundiſſima. utinam id ſit, quod dicis: quicquid certè nobis otii eſt, in ea conſumimus. quæ cum à te tantopere probetur, vide quantum tibi tribuam: adducor in eam ſpem, ut putem poſſe aliquid fieri ſtudio & diligentia mea. Quod in ſcheda ſcribis de Vergerio, ſi quid ſciam, te ut faciam certiorem: ſic habeto, hominem elegantem & urbanum eſſe Vergerium, amantiſſimum mei, ſtudioſiſſimum ſimilium tui. Quæris ubi ſit? mirum ni in Germania eſt, apud Ferdinandum Regem. cui tu cùm libros illos dicaris, neſcio quid profeceris. Sunt hoc tempore, ſi ignoras, occupatiſſimi Reges: nihilo tamen ſecius bono animo es. ſi quid eſt in quo Vergerius officio, gratia, autoritate uſui eſſe poſſit, erit id tibi ab illo unis meis literis omne promptum ac paratum.

17. Aonius Palearius Jano Benedicto Lampridio S. D.

RECentiſſimæ literæ tuæ Socini puero datæ perjucundæ mihi fuerunt. ſunt enim totæ litæ elegantia, & perfuſæ eruditione, & οἰκονομίαν habent longè diverſam ab epiſtolis aliorum, quam ego hoc tempore ſequar, ne abs te conſtitutam videar velle reſcindere, & imitari ludimagiſtros, quibus ſi adoleſcentes in diſciplinam tradantur, omnia immutant, ut ſuperiorum doctorum labor pereat. Diſſimilis iſta ratio ſcribendi ſanè mihi placet, & quia erudita, & quia varia eſt. eruditio nemini moleſta eſt, niſi imperito, varietas omnes in omnibus rebus delectat, maximè autem in epiſtola, ea utar aliquando: nunquam enim putabo me malè operam poſuiſſe, ſi te, quem omni ſtudio ſum complexus, mihi proponam ad imitandum. noli putare, me quicquam malle, quàm ut fiam ſimillimus tui. Aſpergis tu epiſtolas ſæpe verbis & ſententiis Græcis: veniam quidem tibi dant omnes opinione eruditionis, & ſa-

pien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

pientiæ. ego ſi idem fecero, fortaſſe non ferar. Quid mihi acciderit, volo tibi commemorare. Scripſi ad Maſæum ſuperioribus proximis diebus iſto modo, ſtatim homo me ſuo chirographo pupugit, & ad fratrem ſcribens Italicè, riſit, cui ego cùm Thuſcè reſpondiſſem, non tulit, ſed auctores laudavit Ubaldinum & Delium, ventoſiſſimos homines, qui nunc Romæ regnant. ii, cùm quotidie quaſi ſenatum cogerent, & amicis noſtris pergerent eſſe moleſti, juſſi produci epiſtolas ad Atticum, in quibus Cicero id factitavit: quem cùm intelligerent, quaſi prædibus eſſe obſtrictum, tacuerunt. ſed ego omnia faciam intra modum. Cervinus quoque ajebat, literas noſtras ἐλλυχνίων ὄζειν: id meliùs, quàm ἀπαιδευσίας. amet is ſe, quantum libet, in Papavere ſuo poëmate obſcœnè ſcripto verſibus vulgaribus ſolutis. nam aliud ſcripſit nihil, me certè æmulum non habebit: quid, inquies, vulgaribus? τὴν μὲν τοι κακότητα καὶ ἰλαδόν ἐστιν ἑλέσθαι ῥηιδίως, ὀλίγη μὲν ὁδὸς μάλα δ' ἐγγύθι ναίει. ſed in hoc ſibi, non nobis peccat: illud me magis movet, quod in extrema epiſtola ſcribis: ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ κρατερόφρονος ἀνδρὸς ἐν εὐνῇ. vides, qui in quæ aſpirent? quæ ſi teneant, nihil meliùs tum, atque olim: angunt me tuæ querelæ, ſed ego idem ſum paſſus: fato aliquo fieri arbitror, ut nihil tibi adverſi contingat, quod me quoque non exerceat. Sacellum habet meo ruri propinquum, ambigebamus de finibus, κυμινοπρίστης pedem pluris fecit, quàm me: agreſtes immiſit, limitem diſturbavit, terminos convellit. iſtíſne fidem habeas? valeant cum ſuis, quibus nihil eſt ſatis. De concilio rumores magni. quid futurum ſit, neſcimus. Polus legatus eſt Tridentum, Flaminius unà proficiſcitur, unà Priulus, & fortaſſe Carneſecius, animæ, quales neque candidiores terra tulit: conveni heroas

Flo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Florentiæ. Victorius nos amat, & amatur à nobis, totus eſt in rhetoricis Ariſtoteliis, commentarios ſcribit. quid, quæris? veteres omnes, qui in iis ætatem conſumſerunt vel exæquat vel exuperat. Duo ſunt hoc tempore in Italia, qui in ſcribendo excellunt, hic, & Manutius: Pauli epiſtolæ proximè accedunt ad Tullianas, quæ Bembi & Sadoleti erant in admiratione, deſitæ ſunt legi. Petri commentarii arculas Ariſtotelis aperuerunt, &, quæ deſperaveramus Latinè dici poſſe, dicta ſunt Latinè, & eleganter. Quòd de Jovio rogas: ſenex ſatis bellè hiſtoriam condit, in qua non modò res geſtas, ſed mores & inſtituta, non modò regum, ſed propè omnium gentium, & nationum proſequitur ſuo quodam dicendi genere grandi, ac fuſo & bene ſonanti, à quo tamen ſæpè abeſt caſtitas: tu vitæ fortaſſe dicis, ego etiam orationis. Julius Camillus theatrum exædificat magno ſumtu: nunquam fuit tanta conſpiratio imperitorum, qui putant ſine ſtudio, ac labore Tullianè ſe poſſe ſcribere: ad ſigna ſtellarum errantium capſulis diſpoſitis ſchedulas deſcribit: hoc ſcitum eſt, mi Lampridi. ἀνὴρ ὁ λογοδαίδαλος τοῦ Ἀριϛίππου λαμβάνει βλέννους, καὶ τοῦ Μίδου θηρεύει ὀνάγρους. rides? non jocor: grandem pecuniam ab his coëgit, quibus cum eloquentiam pollicetur concubituram: ecquid aliud? neſcio, quid ſum oblitus, ac volui dicere: redii in memoriam. Verpa iſte tuus, non homo, ſed truncus, quem ego in cœlum extuli, nunquam ad meas literas reſpondit: is nunc cum T. Antipalo turpiſſimè pepigiſſe dicitur: prò Nemeſis, prò ſancta Nemeſis! nihil ei deeſſe video ad ſummum dedecus: ſed ego fortaſſe nimium σχεδιάζων: tu vale; & me, ut ſoles, ama, & iſtis nos crebrò exhilara ſuaviſſimis literis tuis.

18. Ber-

18. Bernardinus Maſæus Aonio Paleario S. D.

NIſi mihi conſcius eſſem rectæ atque conſtantis meæ in te voluntatis, pluribus tecum agerem, culpamque omnem in quotidianas occupationes rejicerem, quòd me altera jam epiſtola oppreſſerit, nec prioribus tuis literis reſponderim. Veruntamen cùm hæc in novis potius conjunctionibus quæri ſoleant, quàm inveterata jam amicitia, qualis noſtra eſt, deſiderari, conſultò prætermittam, veniamque ad literas tuas: quæ quidem, quòd veterem tuum erga me amorem ac benevolentiam præ ſe ferrent, quodque humanitatis & officii eſſent pleniſſimæ, me mirificè delectarunt. Quòd verò in iisdem doleas, propterea quòd ad fratrem ſcribens, in epiſtolam tuam paulò liberius ſim jocatus, quæ tota ferè Græcè ſcripta erat, quaſi tuam mihi in eo genere eloquentiam oſtentares: non parum mihi moleſtiæ attulerunt. Nam quæ, obſecro, noſtra hæc erit amicitia? ſi loquendi inter nos, ac familiariter jocandi libertatem ſuſtuleris? Neque mehercule unquam his me tecum neceſſitudinis vinculis aſtrictum putavi, quæ ita levi de cauſa relaxari poſſe viderentur: cùm nihil omninò à me in chariſſimi atque optimi fratris literis ſcriptum ſit, quod boni cujuſquam animum potuiſſet offendere. Quam ob rem, mi Aoni, ſi me tui amantem, ſi gratum, ſi non in amicitia levem atque inconſtantem putas, velim ut ea quæ tu duriuſculè accipere viſus es, in bonam partem accipias: cùm non niſi ab optimo animo, tuique amiciſſimo profecta ſint. Quòd ſcribis, Lampridium noſtrum, atque omnes planè neceſſarios meos, interdum mirari, me ita in ſcribendo negligentem effectum, & planè ab eo qui iſtic eſſe ſolebam, immutatum: niſi his omnibus, & ſuperioribus meis ad Barbarum literis accuratiſſimè reſpondiſſem, & omnium

omnium qui ad vos proficiſcuntur teſtimoniis, Geriique noſtri iſta refelli ac refutari certò ſcirem, me tecum in præſentia quàm diligentiſſimè expurgarem: cùm multas, atque illas quidem probabiles habeam rationes, in quas taciturnitatis meæ cauſas conferre poſſim: neque is ſim, , ut quos ſemel in amicitiam meam receperim, atque illi mihi in amore ac benevolentia reſpondeant, eos ſubitò mutata voluntate amare deſinam. ſed de his hactenus. Qui Mauro, tuo nomine ſalutem annunciaret, neminem adhuc reperi. Calendis enim Auguſti aſſidua moleſtiſſimáque febri correptus, paucis pòſt diebus extinctus eſt: maxima quidem ingenii ſui ſpe, deſideriòque amicis relicto. Hæc ſunt, quæ ad epiſtolam tuam haberem. Tu, velim, nihil de vetere illa noſtra benevolentia detractum putes, méque amore illo tuo ſingulari ames. interea verò plurimam meo nomine Bembo ſalutem dices: gratiaſque ages, quòd mei memoriam tanta cum benevolentia & humanitate conſervet. Vale: Roma, tertio Nonas Martii.

19. Aonius Palearius Bernardino Maffæo S. D.

MAgnum mihi dolorem attulerunt literæ tuæ, in quibus neque me apertè accuſare immutatæ erga te voluntatis audebas, neque affirmare conſtantis animi hominem. nam etſi erant illæ quidem totæ dulciſſimis verbis ſcriptæ, quibus tu mirificè abundas: ex iis tamen longè alium ſenſum quendam eliciebam, qui norim acumen ingenii tui. Quòd niſi ab Achille fratre literas ad te datas aliquando ſcirem, de ſermone quem cum illo habeo quotidie, & admiratione virtutis tuæ, qua tu Deus mihi quidam videri ſoles: & à patre integerrimo & clariſſimo viro certiorem factum, de mea in vos omnes ſingulari benevolentia: dubitarem te ſubvereri adhuc, me animo in te eſſe abalienato. Quòd ſi ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

re potius, quàm ex jocis epiſtolæ thuſcè ſcriptæ, quibus illa lingua eſt refertiſſima, dijudicaveris, invenies profectò ſanctiſſima & firmiſſima eſſe vincula amoris mei. Semper enim exiſtimavi amicitiam, quæ & iiſdem & optimis ſtudiis nata & alta eſſet, pulcherrimè ſtantem, non poſſe re aliqua titubare. Quid autem in ea ſtatuenda, ornanda, augenda, à patre tuo, optimo & ſapientiſſimo viro, proficiſci potuit, quod ab illo unquam prætermiſſum eſſe videatur? quæ verò à fratre tuo, qui me valde amat, & à me amatur ſuo merito plurimùm, excogitari in diem poſſunt, quibus ille me tibi, & tuis omnibus non aſtringat? Quare cùm tu amicitia & beneficiis tantum apud me poſſis, quantum præterea nemo: cave putes, te mihi quenquam fuiſſe, aut eſſe chariorem. nam quod ad literas attinet, quæ à me Græcè ad te ſcriptæ dicebantur, ſcito eo conſilio eſſe factum, quòd cùm Patavii quaſi Athenis eſſes, & earum literarum incredibili ſtudio tenereris, opinabar te Græca libentius, quàm noſtra lecturum. Nam quid, Dii boni, in illis erat hujuſmodi, in quo tibi eloquentiam, quæ mihi nulla unquam fuit, oſtentare potuiſſem? At nunc ſic habeas: cùm Romæ ſis, nullas à me niſi Latinas literas te eſſe accepturum. De Lampridio noſtro puto te audiviſſe ex aliis, quanta cum laude proximis menſibus Demoſthenis orationes nobis explicarit. agebat enim omnes illos Senatores quos ille nominat, ipſum verò Demoſthenem eo geſtu, eo vultu, ea vocis conformatione vehementem, plenum ſpiritus, plenum animi, vocibus ſonantem, ut fieri nihil poſſet pulchrius. Quàm vellem nobiſcum mi Maſæe fuiſſes. ſcio ego, te omnem iſtam urbis magnificentiam, & popularem gloriam, cum una Lampridii interpretatiuncula non fuiſſe collaturum. Vale. Patavii, Cal. Februariis.

EPISTO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

I. Aonius Palearius Verulanus Jacobo Sadoleto S. P. D.

CUM ſuperioribus annis in Hetruria eſſem, & mihi renunciaretur, te, qui cum ego tàm libenter viverem, quàm cum Diis immortalibus, Verulis eo tempore fuiſſe: ſic animo ſum affectus, ut nullas unquam à fortuna mihi injurias putarim factas eſſe majores. Audiebam enim te, ſummâ dignitate & ſapientiâ Virum, Hieronymi, civis & amiciſſimi mei diverſoriolum ſanè puſillum non contempſiſſe: hominum verò illorum ita ſermonibus fuiſſe oblectatum, ut nihil fieri potuiſſet humanius. Quò cùm ego poſt aliquot menſes rediiſſem, & præclarè multi de tua virtute, quâ nihil eſt uberius, prædicarent, & acclamarent, Hiccine erat ille? quem Leo, quem Clemens, quem docti omnes? refricabant mihi deſiderium tui: itaque fuit ſemper meus in te amor & obſervantia quædam ſingularis. Quam ob rem non eſt quod mirere, ſi cùm in ea quæſtione, quæ de animorum immortalitate, eſſem ſatis implicatus, & pleraque è media philoſophia mihi eſſent petenda; veritus ne in aliquorum voculas incurrerem, te ejus ſive artis, ſive ſtudii, ſive diſciplinæ defenſorem & propugnatorem egregium, mihi amiciſſimè non dubitarim advocare. Nam cùm multa à te præclarè ſcripta & perfecta ſint, cave putes aliquid (excipio ſemper ea quæ de divinis rebus à te ſcripta ſunt) Phædro tuo pulchrius potuiſſe excogitari: quod ex eo colligere licet, quòd plu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

plurimis, fato neſcio quo, amiſſis monimentis, quæ laudati viri majores nobis reliquerant, nihil æquè ac hi libelli, fuerit deſideratum: quibus ab eloquentiæ deo M. Tullio philoſophia collaudata, & defenſa eſſet. Neque verò, meherclè, quicquam erat miſeris perditiſque temporibus magna facta jactura, quod magis fortiſſimo patrocinio indigere videretur, quàm philoſophia, cui ornamenta omnia miſerè eſſent detracta: quæque olim in illuſtri doctorum hominum conſpectu poſita, jam locum in quo conſiſteret, non haberet. Quo ego uno ſi te multis de cauſis non unicè diligerem, ſanctiſſimè quidem colerem & obſervarem: cujus mei in te amoris & benevolentiæ teſtificandæ cauſa curavi hoſce ipſos libellos meos, quales quales eſſent, per Lazarum tuum, doctiſſimum Virum, quo utor familiariſſimè, ad te mittendos: cùm certò ſcirem, nihil in his eſſe eâ induſtriâ, quæ te magnopere delectare poſſit, perfectum aut elaboratum. Vale. III. Idus Februarias, Patavio.

2. Aonius Palearius Jacobo Sadoleto S. D.

ETſi ea tua eſt humanitas, ut tantam in altero tantâ dignitate Viro vix reperias: Patavio tamen diſcedens, epiſtolam meam ad te non ſine Lazari tui literis volui mittere: non quòd iis admodum egere me arbitrarer, ſed quòd ille ultrò polliceretur, aperturum ſe mihi fores benevolentiæ tuæ: nolui ego aſpernari boni Viri, meique ſtudioſiſſimi officium. Erant cum iis libelli mei de Animorum immortalitate: qui etſi digni non videbantur, ut à te homine doctiſſimo legerentur: putabam tamen, cùm te amantiſſimè in ſecundo libro appellarim, aliquid hoc ad amorem erga te meum declarandum poſſe attinere. Itaque cùm illi ipſi ab Orgetorige mihi miſſi eſſent, & tabellarius Gallus quidam legati Regii iſtuc venire diceretur, & temporis ſatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

non haberem ut eos legerem, miſi ad te non emendatos: quos cùm poſt aliquot dies legiſſem, deprehendi errata quædam typographi culpâ, quæ me maximis moleſtiis affecerunt: ea quæ ſint, ex libellis his, quos ad Gryphium mittimus, cognoſcere poteris: & illos ipſos quos ad te miſeram, emendare: Hoc animi angore, qui melius me liberare poſſit, quàm Gryphius, novi neminem. turpe enim mihi videtur, in his quæ primum legenda noſtris hominibus dedimus, poſſe multa deſiderari. Itaque petii ab eo per literas, ut in re mihi tàm neceſſaria deeſſe nolit. poteſt enim ſuo commodo, poëmatis noſtrorum hominum, qui Chriſtianas res ſcripſerint, libellos noſtros adjungere: quod ego me conſecuturum omninò non puto, niſi cùm his fuerint aliquæ literæ tuæ ad illum commendatitiæ. Quamobrem, etſi à Viro uno omnium doctiſſimo & ſanctiſſimo, quid quiſque petat, eſt etiam atque etiam cogitandum: non tamen dubito id à te petere, quod mihi maximè eſt utile, maximéque neceſſarium: ut intelligat Gryphius, non deeſſe his libris patrocinium & gratiam tuam. Qua in re pluribus ego te orarem, niſi libellis ipſis ornandis aliquid te quoque præſtare debere exiſtimarem; non quòd præclarum ſanè aliquid habeant, ſed quòd ſint illi quidem teſtes amoris erga te mei. Vale, Senis.

3. Jacobus Sadoletus Aonio Paleario S. D.

SErius accepi literas tuas. datæ enim illæ III. Idus Februarias, mihi medio fermè Majo ſunt redditæ; quibus perlectis, equidem valdè lætatus ſum, cum tali ingenio, quale tuum mihi jam perſpectum eſt, talem etiam animum erga me plenum amoris & deſiderii conjunctum eſſe. Quid enim eſt rerum omninò omnium, quod mihi bonorum & doctorum benevolentia videatur optabilius: Itaque cùm epiſtolam tuam primò legiſſem, eaque mihi

mihi vehementer placuiſſet (eſt enim & ſuaviter, & ornatè, & peramanter ſcripta) ab illius ſtatim lectione ad poëma tuum me contuli, totumque perlegi triduo, ſingulis videlicet libris in ſingulos dies collatis. De quo, ut tibi verè exponam quod ſentio, hoc judicii feci, eorum qui in eo genere voluerunt eſſe, ſanè quàm paucos, & noſtra & ſuperiore memoria, æquè eleganter ſcripſiſſe, atque te: eruditius certè neminem. In quo mihi illud mirificè probatum eſt, quòd hæc tua ſcripta non accerſitis, fucoſisque argumentis, neque quò magis poëtica videantur, à vetuſta illiuſmodi Deorum fabuloſitate repetitis: ſed ſancta & vera religione condita ſunt. Ut, quemadmodum vultus pacatus & conſtans in homine, benè affectæ mentis, & probi animi eſt indicium: ſic tua iſta eximia erga Deum pietas, quæ ſeſe in tuis ſcriptis primam offert, nos cogit de te, deque omni ſenſu animi tui, excellentéque doctrina præclarè exiſtimare. Ac cætera quidem tuum carmen mirè mihi ſatisfecit. video enim, quos imiteris: quid referre in tuis ſcriptis, & exprimere conere: tibíque neque in eligendo judicium, neque in conando fructum laboris tui abeſſe intelligo. perſpicio etiam verborum elegantiam, ſententiarum acumen, numerique apta & varia compoſitione delector: ſunt enim iſta omnia in te ita ſtudio & cura elaborata, ut ſint ubique nihilominus ingenii luminibus lita. Illud unum interdum (quanquàm admodum raró) deſidero, quòd cupiſſem nonnulla à te diſſeri explanatius, quibus nunc percipiendis mens noſtra aliquantulum laborat. atque illa (ne fortè mihi Lucretianum modum dicendi opponas) non ſunt ex eo genere, quod difficultate rerum, quæ tractantur, ſuapte ſponte obſcurum propè neceſſariò ſit, in quo ſolet juſta eſſe ſcribentibus excuſatio: ſed è medio quædam ſumpta, compreſſius abs te dicta ſunt, quæ dilatari & patere melius voluiſſem: neque ea tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tàm multa, ut pertimeſcas. Sed fortaſſe ut nodus robur, & ut nævus decus aliquando atque ornatum pulchro corpori afferre ſolet: ſic pleriſque illa poterunt videri iccircò eſſe quæſita, quòd curſus noſtræ cogitationis, fluentis in facilitate orationis, aptè illis interdum tanquam ſalebris retinetur. Quod quidem ad veras laudes egregiè compoſiti carminis pertinet, totum tibi ita tribuo, ut hoc planè confirmem, nihil me his aliquot jam annis in eo genere editum legiſſe libentius. Itaque te jam ne hortor quidem, ut quo itinere inſtituiſti, eodem porrò pergas. ſatis enim tibi incitamenti cùm judicium de te, expectatióque hominum: tum fructus ille ingenii ſuaviſſimus, qui in pangendo maximè, & in commentando percipitur, debet afferre: qui etſi omnibus eruditis datus eſt, cum hi aliquid ex ſeſe procreant, atque gignunt, uberior tamen adeſt poëtis. Quanquam ego te non poëtam magis, quàm oratorem eſſe ſtatuo. cujus rei facio ex epiſtola tua conjecturam: ea enim ita commodè & concinniter ſcripta eſt, ut facilè intelligam, te utrum velis, & ſuſcipere, & poſſe præſtare. De me verò, quem tu tantopere in tuis ſcriptis ornas, eoque honore afficis, quo majore nemo afficere quenquam poteſt, quid dicam, vix reperire mihi poſſe videor. Nam ſi eas in me laudes agnoſcam, quas tu mihi tribuis, timeo ne arrogans: ſin repudiem planè, atque rejiciam, vereor ne ingratus adverſus te ſim, cùm de tuo judicio ipſe detraham, eo ipſo unde ſim ornatus. Quamobrem, ut in difficili ejuſmodi cauſa, ad id me vertam, quod meo pudori maximè eſt conſentaneum: ut tibi agam pro tua iſta humanitate, & erga me benevolentia, gratias: meque tibi hoc nomine obſtrictum eſſe confitear. quod facio equidem, & libens facio: tibíque perſuaſiſſimum eſſe cupio, te à me ſingulariter amari, vel ingenii & virtutis & probitatis tuæ causâ, vel ejus officii atque amoris quo me ipſe proſequeris: vel quòd

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

quod eorum & temporum & hominum in tuis literis mentio facta eſt, quorum meam & memoriam, & erga illos benevolentiam, dies nunquam delere oblivione ullâ poteſt. ut præter id, quod tuo nomine tibi debeo, quantum etiam illos dilexi, totum in te perſequar : quo me in te animo eſſe, ſi uſus venerit, re ipſa experiundoque cognoſces. Vale, Carpentoracti. VI. Cal. Junii.

4. Aonius Palearius Petro Mellino S. D.

NIſi me vel virtus tua, vel familiæ dignitas ſæpè invitaſſet, ut magnopere deſiderarem haberi aliquando in tuis: vel hoc ipſum ſatis eſſe poterat, quòd Ambroſius noſter, quem juſtis de cauſis valdè amo, quotieſcunque ad me ſcribit (ſcribit autem ferè quotidie) de præclaro iſto animi tui ſenſu, & benevolentia quadam ingenua erga eruditos homines, jucundè & libenter mihi ſanè multa: quibus fit, ut diuturni mei deſiderii igniculus indies creſcat, amemque te pro iſta animi tui præſtantia, amore non mediocri, ſed ſingulari quodam, & incredibili: non quòd ego in Viris doctis, quales apud te ſemper ſunt, numerari me unquam ſomniarim, in quod quidem non aſpiro : ſed quod eorum hominum ſim tàm ſtudioſus, quàm qui maximè: quo minus enim ingenio poſſum, hujuſmodi mihi diligentiam ſubſidio comparavi, ut eorum dicar ſtudioſus, putemque ex eo bonum nomen poſſe me conſequi. Nam cùm de fortiſſimis & clariſſimis viris, quibus civitas tua ſemper floruit, multa narrantur: nonnulla non modò de neceſſariis, ſed de libertis, ſerviſque eorum dici neceſſe eſt, ita ut non minus hi quàm illi ſplendorem adepti, vulgò legantur. Quamobrem eos omneis colo, & obſervo, qui animo iſto tuo ſunt in bonos & doctos Viros: qui cùm perpauci fuerint, & ſint tui ſimiles perdiu nulli, eo à me amaris vehementius: velimque hanc ani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

mi mei declarationem neque vulgarem, neque adulationis nomine ſuſpectam exiſtimes, cujus te planè hoſtem eſſe intelligo: ſed rectâ ratione ortam, ad complectendam iſtam animi tui nobilitatem. quâ fretus, ſcripſi ad te, non ut ſolet qui novis amicitiis cupiat illigari, ſed qui ſanè in veteri optimi cujuſque neceſſitudine fuerit confirmatus. voluique potius deſiderari verecundiam meam, quæ naturâ ipſa mihi tributa eſt; quàm meam à me diligentiam requiri, quòd eam minus contuliſſem ad conjunctionem amoris erga me tui: præſertim cùm Ambroſius ipſe, & omnes qui iſthinc veniunt amici, ſignificent, libellos meos de Animorum immortalitate jeciſſe apud te fundamenta quædam benevolentiæ, quòd ſcilicet ob ſtudiorum noſtrorum ſimilitudinem te valdè delectaſſent. Quod cùm ab uno, & item altero accepiſſem, ſuſtuli ego manus: viſum enim mihi hoc non fortuitum, ſed divinum. Itaque nihil eſt, quin te ſummâ dignitate Virum, antiquis moribus, non vulgari doctrinâ, toto animo amplectar, oremque, ut cujus fores à te ipſo tàm humaniter mihi apertæ ſunt, inſinuatum penitùs ſinas me in ea benevolentia diutiſſimè conquieſcere. Vale, VIII. Cal. Novembris.

5. Petrus Mellinus Aonio Paleario S. D.

UTer noſtrûm in expetenda, & omni ſtudio comparanda mutua inter nos conjunctione & benevolentia avidior fuerit, contenderem ſanè dubium: niſi in eo quòd præveneris, te facilè ſuperiorem per me ipſe intelligam, & me præventum doleam non mediocriter. Nam quod ad reliquum attinet, nec tibi concedam libenter, neque niſi me amor fallit, errare in eo me, aut decipi putem. Cum primùm enim fragrantiſſimum tuarum virtutum odorem ſenſi, jucundiſſimumque tuarum lucubrationum ſaporem, tantâ ſum repentè delectatione per-

perfuſus, & admiratione ſimul affectus, ut quem amem magis, magisque admirer, habeam neminem: quem æquè, vix reperiam alterum. A me autem quid ad te tale? Virtute igitur, & diligentia ſuperaſti: amore autem, & benevolentia (ignoſcas velim) nihil eſt quòd contendas. Quod autem Ambroſius noſter, mihi tum affinitate, tum longa conſuetudine morumque integritate conjunctiſſimus, ad te de meo tuorum monumentorum judicio præſcripſit: fecit id quidem amicè, ut ſolet: neque quicquam eſt de mea erga te voluntate, meóque de te judicio mentitus. In eo tamen mihi non ſatisfacio, quòd non eo ſum ingenio, non ea eloquentia præditus, & eruditione, quæ in te video eſſe illuſtria, ut iis qui tua nondum legerint, perſuadere facilè, aut dignè ſatis pro merito tuo, egregias laudes tuas oratione exornare poſſim. Debeo tamen illis plurimum, qui ea inter nos jecerunt benevolentiæ ſemina: quæ eo uberiores fructus ferent, quo melioribus jacta principiis, meliore quotidie cultu, maturioréque induſtria excolentur. Illud igitur tibi affirmo, te apud me ſemper non eo ſolum honoris & amoris gradu futurum, quo olim apud priſcos illos Romanos noſtros habiti ſunt illorum plurimi, quos & tu commemoraſti, & viget illorum memoria ſempiterna: ſed & qui diuturna familiaritate, arctiſſimáque conſuetudine, communíque animorum ac ſtudiorum ardore alti, educati, perfecto mox confirmati judicio, ſanctam inter ſe vitæ hujus ſocietatem tenent; ita ut te non in amicitiam meam recens receptum velim putes, ſed tanquam in veterem, non animorum alienatione, ſed locorum, & incertæ peregrinationis intervallo diſtractam, ex inſperato revocatum: tibique non primas benevolentiæ fores, ſed amantiſſimi animi adyta eſſe reſerata. Poteris itaque in poſterum omnia tibi ipſi de mea fide, opera, & obſervantia polliceri, quæ ab amiciſſimo, tuique ſimilium ſtudioſiſſimo expectari poſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſunt. Hæc dum ſcriberem, aderat unà mecum Pierius meus, Vitalis item, & Curſius, tui: qui præter ea quæ de doctrina tua honorificè dicta ſunt, multa de ingenii tui amœnitate, déque morum ſuavitate, & integritate vitæ prædicarunt: quæ omnia noſtræ erga te benevolentiæ cumulum, ſi quo fieri pacto poterat, cumulatiorem reddidere. Vale, Romæ. XIIII. Cal. Decembris.

6. Aonius Palearius Paulo Sadoleto S. D.

QUàm vellem, Cal. Juniis Volaterris fuiſſes. delectaſſet enim te mirum in modum ſermo Marii tui: homo ſcilicet, cuivis tempori perurbanus. Antequàm tuas literas legiſſet, exceperat me, atque antiquiſſimum hoſpitem familiæ ſuæ. lecta verò epiſtola, à te peramanter ſcripta, noli quærere, qua me charitate, & animi propenſione amiciſſimè eſt complexus. deinde percontatus de ſtatu curiæ, multa de patrui tui, ſanctiſſimi viri, laudibus, déque amicorum ſuorum ſuaviſſimis moribus jucundè mihi narrabat. Pòſt autem cum in horum temporum mentionem incidiſſet, ſic liberè deteſtari, ſic graviter conqueri, ſic Chriſtianè deplorare hominum ingenia: ut mihi liqueat, nihil illo epiſcopo hiſce aliquot annis me vel vidiſſe, vel audiſſe, quod commonuerit, aut commoverit magis. Cum verò de tui ingenii expectatione aliqua à me veriſſimè referrentur, quantumque in ſtudiis iſtis liberalibus profeciſſes, cumulavi ſenem omnibus lætitiis. Summa eſt enim expectatio tui, tum quòd id ætatis præclaram eruditionem conſecutus videare: tum quòd patruum habeas clariſſimum virum, qui etſi nihil agit, nihil cogitat aliud, niſi quod ad Chriſtum pertineat: elegantiſſimo tamen dicendi genere oblectatus, id quod nemini majorum contigiſſe video, mirificè ſemper eloquentiam cum ſapientia conjunxit. Nam quò ſanctiſſimam facultatem acuti

po-

potius quàm eruditi homines, in tenebras conjecerant, & in profundo abſtruſerant, ita ut ſacris literis ſempiterna propè nox offuſa videretur: eo ille dignus eſt omni laude, cujus ope lucem in his reſpicere cœperimus. Dicam enim, ut ſoleo, liberè, mi Paule: fuit aliquando vitioſum & captioſum hominum genus, qui aut oſtentationis, aut quæſtus cauſa, obduxerunt tenebras rebus clariſſimis. quòd ſi in philoſophia tantum humana illa feciſſent, eſſent fortaſſe ferendi. at cum divinam iſtam, qua vivimus, unde lucem haurimus, per quam ad ſuperos accedimus, magnis voluminibus & contentioſis quæſtionibus oppreſſerint: probent qui velint, perquàm boni certè non probant. Sunt aliqui etenim adhuc, qui veluti noctuæ in latebris geſtientes, luce oblata ingemiſcunt: à quibus, ut inepti eſſe deſinant, non eſt requirendum. Iis primus reſtitit patruus tuus, primusque docuit noſtros homines, res ſacras & Latinè & diſtinctè & ornatè dicere: qui nunc cum ad Chriſtianæ Reipublicæ gubernacula acceſſerit, verentur boni ſtudiorum illorum remiſſionem. Nam quæ (malùm) fatales rerum omnium perturbationes ſubitò confluxerunt? Jura divina, & inſtituta prima illa ſalutaria, quæ majores noſtri ſumma obſervantia coli voluerunt, ecquis non pervertit? Populi crudeli dominatu premuntur, boni temporum cauſa hiſcere non audent. Chriſtianæ pietatis umbram fortaſſe tenemus, pietatem jamdiu nullam. ardet Gallia belli quanta poteſt contentione, finitimis exitiabili & calamitoſa: Germania ſeditionibus perturbata eſt, rerum novarum ſtudioſiſſima: Italia incertis rumoribus ſervit, & leviſſimis auditionibus commota, majores Galliæ & Hiſpaniæ motus expectat: Parthi, hoſtes Chriſtiani nominis ſempiterni, terra marique exercitu comparato venire dicuntur. Tu vide jam quibus negociis diſtineatur patruus tuus, ad quos labores vocatus ſit, quot illum impediant ſolicitudines: ut quidem

certè firmiſſima hominum opinio ſit, in eo gradu collocatum privatis ſtudiis non poſſe vacare, ſine maxima operæ publicæ jactura. Tibi igitur ſtudia illa reſervantur: deditque Deus animum, ut quæ ille in Carpentoractis luce atque ocio commentabatur, tu proſequare. Ad quæ te ipſe cohortari debes, curamque & cogitationem ſuſcipere digniſſimam ingenio iſto excellenti, & induſtria tua. Vale, Senis III. Idus Junias.

7. Aonius Palearius Ennio Philonardo Cardinali Verulano S. D.

NEque humanitatis, neque ſapientiæ tuæ oblitus, qua ad Deos proximè accedis, rem diligentiſſimè perpendendam facturus, nihil ad te literarum dedi. quem enim melius conſulere potuiſſem, quàm virum ſapientem, fortunæ acceſſionibus probatum, ſua virtute in altiſſimum locum provectum, & cujus præterea ſemper in me beneficia ſingularia quædam extiterunt? Verùm enimvero, cum Romæ ſuperiore anno fuiſſem, qui ſat mihi viſus ſum in ea re cognoviſſe ſenſum animi tui, ſubpudebat me, nunc etiam per literas quærere eadem, que ego coràm ex te audiviſſem. Nam in ſermonibus noſtris quotidianis cum dixiſſem, me pertæſum jam temporum noſtrorum, & nihil magis deſiderare quàm verè Chriſtianè vivere, & propterea urgeri Pauli dicto, *εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν· κρεῖσσον γάρ ἐστι γαμῆσαι, ἢ πυροῦσθαι*: probaſti majorem in modum ſententiam meam, eamque opinionem neque novam eſſe, neque futilem, affirmabas: ſed ex antiquiſſimis inſtitutis, & ſanctiſſimis literarum monimentis repetitam. Quam ob rem cum in Hetruriam rediiſſem, & emiſſem Cecinianum, A. Cecinæ Volaterrani ſcilicet villam, ejus ipſius, cujus cauſam egit M. Tullius noſter Arpinâs ad Recuperatores: faci-

facile me vinci paſſus ſum ab amicis, qui ut ad uxorem animum appellerem, cohortabantur. Etenim hæc ipſe mecum recta reputabam via. Hem habeo hic neminem neque cognatum, neque affinem: quartum annum ago, & triceſimum: nonnunquam minus belle habeo: Hetruſci mores placent. quid cauſæ eſt, cur adoleſcentulam, optimis parentibus bene & pudicè educatam, non ducam in uxorem? præſertim cum Cecinianum, quò aliquando remotum ab oculis populi ad ſcribendi ſtudium conferre ego me ſtatueram, ſit intra fines Collinos: Collini municipes me ſummis honoribus affecerint: Collinum oppidum placeat, cùm loci ſalubritate, tùm ædificiorum deſcriptione, tùm hominum commercio non inurbano, tùm quòd Senenſium civitati ſit proximum, & à totius Hetruriæ florentiſſima urbe non longè abſit. His de cauſis ceſſi amicorum precibus, qui à me id ſumma jam contentione efflagitabant. Quòd niſi me adhuc pungeret quaſi aculeis pietas quædam meorum, & mirum deſiderium tui, viderer non ineptè vitæ meæ rationem inſtituiſſe. Nunc autem cum à te ſummo & ſapientiſſimo viro, quem ſemper omni ſtudio colui & obſervavi, tam longè abſim: diſpeream, ſi quid eſt quod me valde delectare poſſit. De ſororis meæ filio quod ſcribis, equidem & cupio, & debeo. at his eruditis temporibus, ſtudia hæc literarum non vulgarium incredibiles quoſdam animorum motus, & celeritatem ingeniorum deſiderant: quæ cum in illo ſint vel mediocria, valetudine etiam & natura infirmiore, cohortabar eum ad medicinæ artem. nam etſi medicum philoſophiæ non omnino expertem eſſe oportet, non tamen neceſſe eſt & Græcæ & Latinæ linguæ abundare omnibus ornamentis, & in caſtitatem illam orationis incredibilem laborem inſumere: æquè atque oratorem, poetam, & germanum philoſophum, gloriæ & laudis avidiorem. Sed quid ego ad te hæc, inter magnos viros, omni tempore ſumma

ma cum laude verſatum? Reliqua ſi qua ſunt, ſcribam ad patruelem meum; ita tamen, ut intelligat, magnum apud me pondus habuiſſe commendationem tuam. Vale. Senis, Cal. Martiis.

8. Aonius Palearius Jacobo Sadoleto Cardinali S. D.

CUm ſuperiore anno emiſſem villam, quæ fuit A. Cecinæ, in agro Volaterrano, cuperemque eam emptionem mihi bene & feliciter evenire, omnia propè aſſequi viſus ſum: quòd qui te diligentiſſimè colit & obſervat, Lucam Volaterranum, qui fuit Epiſcopus Anagninus, comperi vicinum. is omne tempus quod ab ſacrorum confectione & divinis precationibus datur, partim in ſanctiſſimis Theologiæ ſtudiis, inque jucundiſſima de cultura agri lectione conſumit, oblectatque ſe mirum in modum in prædiolò fructuoſo, & peramœno exornando: homo certè Chriſtianus, publicis muneribus exercitus, ita ab ambitione abeſt, ut privata villula vel ruſticana quicquam neget eſſe ſuavius: agricultura verò nihil putat eſſe quod hominem liberum magis delectare poſſit, nihil in quo vir bonus poſſit eſſe felicior omni ocio & tranquillitate. quæ cum ab illo ſæpe & ex animo dicuntur, Xenophontium illud ob agri cultionem de Cyro in mentem venit: δικαίως μοι δοκεῖς, ὦ Κῦρε, εὐδαίμων εἶναι. ἀγαθὸς γὰρ ἂν ἀνὴρ εὐδαιμονεῖς. Quare frequens ſum in Ceciniano, ut loci amœnitate, & hominis bene docti, & tui amantiſſimi ſermonibus perfruar. Is me ſæpe rogat, ſi quid de te acceperim. ſolicitus eſt enim, quòd dixi, vereri me, ne hoc labore itineris multorum dierum, ſi cum collegis profectus es, defatigêre, quo minus valens ſis, quod Deus prohibeat: præſertim cum ſuperiore anno ægrotaveris, & purgationibus & vi morbi non eſſes ſatis firmus. Itaque amiciſſimè mecum deſiderat, ut

ut bene valeas: eaque de te perferantur, quæ nos volumus, & omnes tui. Habet is negocium, in quo ſperat bonos ſibi non defuturos. te verò, per quem rem tranſactam dicit, quia optimus es, adjutorem ſingularem, & hoc ipſo in negocio optatum & perſpectum profitetur: putátque omnino tibi ſuo nomine gratias agendas, quòd omnibus rebus juveris. Cauſa hujuſmodi eſt, ut ſpes omnis ſit in deprecatoribus, & commendatione bonorum. Abdicavit ſeſe homo epiſcopatu: dignitatem, autoritatemque, & cætera quæ ex eo conſequi poterat, libentiſſimè aliis conceſſit. quæ ex hoc ipſo adpromiſſa ſunt tenuia & exigua, vellet ſibi, non ut ex ſponſo, ſed à ſummo Pontifice, ad cujus pedes ſeſe abjicit, quaſi condonari. Ea de re oravit me, ut ſcriberem literas commendatitias, gnarus qua te reverentia & obſervatione colam: qua te in literarum & virtutum omnium excellentia, qua in fortunæ acceſſionibus humanitate eſſe prædicem: qua fretus, ſperat has literas aliquod habituras apud te pondus. Itaque facio quod ille petit, & lubens facio: eumque virum bonum, & in primis Chriſtianum, & tui amantiſſimum, tibi commendo. Vale, ex Ceciniano, III. Nonas Quintilis.

9. Aonius Palearius Lucæ Joannino Epiſcopo S. D.

CUm ſuperioribus diebus me ad cœnam invitaſſes, quo melius, & divinius, uti ſoles, cœnaremus, appoſitus eſt in ſecunda menſa libellus de uxore ducenda. Quem cum avidiſſimè legere cœpiſſem, legati ineptiſſimi de re frumentaria interturbaverunt: neque mehercule memini vidiſſe, aut audiſſe oppidanos loquaciores, & qui tantos ſpiritus in re tenui ſibi ſumant: itaque abii cum ſtomacho in Cecinianum. Quò cum perveniſſem, legi diligentiſſimè libellum, quem mecum attuleram.

De

De quo quid ſentiam, quoniam id petis ut liberè dicam, video primùm, quod tu ipſe mihi narrabas, in ea parte quæ inventio dicitur, ſummum juvenis ingenium: in ea quæ diſpoſitio appellatur, non vulgare judicium: orationem deinde vehementem, quam ego mallem interdum paulò ſedatiorem, & numeris quibuſdam oratoriis potius quàm poeticis fluere, omnino puram & ſolutam: quod huic erat perfacile, ſiquidem verborum nitore mirificè delectatur, quod in Joviniano & Auguſtino deſideres, qui de re hac eadem cumulatiſſimè ſcripſerunt: ita tamen, ut Theologos potius quàm oratores, aut philoſophos, poſſis agnoſcere. Quòd ſi Guidius tuus, & jam noſter, ea argumenta adjunxiſſet, & oratione illuſtraſſet, quæ ab illis adducuntur è ſcriptis quæ κανονικὰ appellantur, cave putes quicquam pulchrius potuiſſe excogitari. Etenim quæ ab illo ex poetarum & philoſophorum monimentis repetita ſunt, ſic aptè ornatéque dicuntur, ut ſpes mihi injecta ſit, ab eodem iiſdem ornamentis atque luminibus genus hoc ſcriptionum de conjugio à Latinis theologis incultè horridéque tractatum poſſe perpoliri. Ad hoc tu juvenem tua dignitate & autoritate, qua te colit & obſervat, cohortari debes. Nam quod ex hoc libello augurari poſſum, non fallet opinionem tuam. Vale, ex Ceciniano.

10. Aonius Palearius Petro Victorio S. D.

M. Caſalis, qui te mirificè diligit, officia jucunda mihi ſæpe fuerunt; ea verò multo jucundiſſima, quæ ab illo profecta ſunt ſuperioribus diebus. Cum enim Florentiæ eſſet, ſalutavit te meo nomine, quem ob præclaram eruditionem ſemper colui & obſervavi. Idem rediens, tuis verbis mihi ſalutem dixit. quo facto, eam quam expectabam tenere occaſionem viſus ſum, ut ad te aliquid literarum darem, in quibus declararem amo-

amorem erga te meum. Multæ enim ſunt cauſæ, quibus de cauſis ego te valde amo. primùm, quòd iis ſtudiis excellas, quæ me à pueritia magnopere delectarunt: deinde, quòd Jano Lampridio, & Marcello Cervino, optimis viris, & mei amantiſſimis, uteris (ut audio) perfamiliariter: qui cum de ingenii tui ſuavitatibus ſæpe mihi prædicarint ſanè multa, ſuppudet me antehac nunquam ad te ſcripſiſſe: præſertim cum tam vicinus eſſes, ut facilè meas literas quotidie poſſes accipere, & ego tuas: cùm item uſu veniſſet venire ad te, qui abes iter unius diei, quod quidem aliquando faciam, ut expleam hoc deſiderium, & quem virtute mihi amandum propoſui præſens videam, & agnoſcam. Interea velim me reponas in tuis, ducasque in numero neceſſariorum, vel conjunctiſſimorum: exiſtimésque nihil me putare jucundius literis tuis. quæ ſi aliquando ad me perferentur, erunt illæ quidem allevationes ſolicitudinum mearum: & fortaſſe efficient, ne à ſtudiis iſtis doctrinarum liberalium domeſticis negociis totus abducar: eritque Diis gratia, quòd non omnia malè cadant: quòd cùm jamdiu abſim à meis charis, optimisque amicis, in Hetruria repererim non modò illarum artium bene peritum virum, ſed etiam affluentem omni ornamento manſuetudinis & humanitatis. Vale. VIII. Cal. Januarias, ex municipio Collino.

II. Petrus Victorius Aonio Paleario S. D.

Fecit humaniter Caſalis, qui te meo nomine, quemadmodum volebam, diligentiſſimè ſalutavit: & eſt homo omnium officioſiſſimus. Venit ad me ille domum, cum antea eum non cognoſſem: ſtatimque poſt ea verba, quæ primus ille congreſſus requirere videbatur, honorificum de te ſermonem habuit, & mihi ſuaviſſimum: multaque de humanitate, manſuetudine tua, morum denique elegantia expoſuit. ingenium enim & doctrina mihi, quemadmo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

admodum omnibus qui ingenuis ſtudiis delectantur, jampridem cognita erat: quæ ſanè ille amore quodam tui, & ſtudio inflammatus, ex animo faciebat, & uberrimè ac veriſſimè facere poterat. Ego libenter & cum voluptate audiebam: valde enim tuis laudibus delector. Renovatus eſt igitur in me amor, quo te antea plurimùm proſequebar: vel ut rectius loquar, ortus, & repentè excitatus. Antea enim te propter ingenii tui magnitudinem, & incredibilem eruditionem, quæ ex gravi illo tuo, & planè divino poemate mihi perſpecta erant, tantummodo admirabar, quemadmodum debebam: amare non audebam. nec enim facilè poteram. Eſt enim conſuetudinis hoc verbum, & eorum qui aliquibus vinculis inter ſe officiorum conjuncti ſunt: ſi non familiaritatis, at voluntatum ſaltem, & ſtudiorum. Poſtquam verò intellexi, te tanta benignitate præditum eſſe, quantam mihi probus ille Senex prædicavit, & à me non abhorrere ſenſi: mirificus quidam amor ſubitò exortus eſt. quòd niſi multis & moleſtiſſimis negotiis eo tempore impeditus fuiſſem, hoc etiam benevolentiæ & liberalitatis tuæ indicium tibi præripuiſſem, nec ſiviſſem me à te humanitate & benignitate vinci. Nec tamen me à te victum eſſe hac in re moleſtè fero: quem facilè in aliis etiam rebus à te vinci & ſuperari poſſe ſcio, & gaudeo. Literæ poſtea tuæ humaniſſimæ & elegantiſſimæ, magnum cumulum amori illi jam ſuſcepto attulerunt, & eum incredibiliter auxerunt: ut quæ planè morum tuorum elegantiam & ſuavitatem mihi ſignificarent, & apertè exponerent animi tui in me propenſionem: quæ magis ex naturæ tuæ bonitate, quàm ex meis ullis meritis orta eſt. Quare ſcias, te mihi chariſſimum eſſe: & paucos eſſe, quos æquè ac te amem, & obſervem. Quòd ſi aliqua mihi occaſio dabitur, efficiam profectò ſtudio ac diligentia mea, ut quem tu antea

tan-

tantum propter amorem in me, ac ſtudia amicorum tuorum, optimorum quidem illorum virorum, ac doctiſſimorum, amaſti: meritis etiam, & officiis meis aliquantulum diligas. Quare nunc ſunt tuæ partes, ut mihi oſtendas, quomodo ego huic deſiderio meo, ac debito erga te ſatisfacere poſſim: & in nulla re, in qua tibi opera mea utilis eſſe poſſit, labori meo parcas. Vale, & me ama. XI. Cal. Februarias.

12. Aonius Palearius Petro Victorio S. D.

ETſi tua virtus me ſatis allicere potuit ad amandum: fecerunt tamen hoc literæ cumulatius, in quibus inerat effigies humanitatis expreſſa, & quædam animi tui imago non muta, quam mihi de te ſæpè propoſueram. neque enim unquam dubitavi, ſiquando ad te ſcripſiſſem, accepturum me literas Victorio dignas: & tua ſi operâ uti contigiſſet, habere amicum paratum, & adjutorem ſingularem. Etenim viri hoc eſt in primis, qui in artium ſtudiis liberaliſſimisque diſciplinis optimè verſetur, non fallere opinionem ſtudioſorum ſui. At mehercules tale mihi de te ſpectrum excitavi, etſi te nunquam viderim, ut æquè agnoſcam, ac ea quæ oculis quotidiè cerno: neque verò, licet abſis, quicquam eſt mihi te præſentius. quod credo fit, quòd præter te in Hetruria vix alterum habeo, in quo cum ſumma eruditione germanam eloquentiam videam eſſe conjunctam. Nam ut multis multa concedamus, nonnulli in Dialecticis exercitati, Phyſica non ignorant: at in iis, Dii boni, quàm nullus dicendi uſus, & exercitatio: ſed benè ſæpè admiſta barbaries, & duritas incredibilis quædam orationis. multi ſeſe ad ſanctiſſimam diſciplinam theologorum conferunt, quæ quò ſerius accepta eſt à Latinis hominibus, eo in hanc curam erat magis incumbendum, ut illuſtraretur verborum omni elegantia, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

numeri, & ſententiarum apta concinnitate, & ornamentis illis oratoriis, quibus delectari primùm, rapi deinde, mox inflammari etiam animi poſſent: quorum cùm ignari ſint ii, & expertes, abjiciunt ſe in tenebras, quas clariſſimæ facultati, acuti potius Sophiſtæ quàm eruditi homines, multis ſeculis indigniſſimè offuderunt. Complures ad Juris civilis ſcientiam uberem & diſſipatam balbutientes accedunt, quorum mentis acies ita perſtricta eſt, ut non videant illos ipſos jurisconſultos, quos proximè ad Deos accedere arbitrantur, caſtum & Atticum dicendi genus ſummâ induſtria fuiſſe ſecutos. Poſt hos irrepſerunt eruditulì quidam, qui in verborum inani volubilitate & ſuperſtitione omnia eſſe poſita exiſtimant: neque philoſophiam, neque interiores literas unquam attingunt, quibus peream ſiquid eſt impudentius. Nam etſi eloquentia à laudatis viris meritò ſemper laudata eſt: niſi tamen ſocietate quadam diſciplinarum exornetur, in quarum ubertate pulcherrimè alitur, nihil eâ jejunius poteſt excogitari. Quamobrem ſemper ego præſtans ingenium, intelligensque judicium tuum ſum admiratus, quod utrunque ſis peræquè complexus, & dicendi ſcientiam & exquiſitam doctrinam. Cujus utriuſque deſiderio flagrans, emi ſuperiore anno A. Cecinæ villam, quæ fuit in agro Volaterrano, ut libris comparatis in bibliothecam me abderem. Sed hoc ipſum aliter evenit. Nam cùm municipes Collini anguſtos fines habeant, emi Cecinianum multò carius quàm æſtimaram. Quare tametſi eâ emptione benè emiſſe dicar, oppreſſus tamen ita ſum ære alieno, ut quam ad ſtudia literarum emeram, ea villa maximè ab iis ipſis me avocet, atque abducat: à qua perturbatione, & ſolicitudinum fluctibus ſi emerſero unquam, ſi quis Deus liberaverit, referam profectò, & revocabo me ad egregias iſtas artes tuas. Interea Cecinianum meum non contemnas, cùm loci ſalubritate, tùm hominis tui amantiſſimi obſervantiâ.

Col-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Collinum item oppidum pro diverſorio tibi ſit: quò, ſi quando res urbanæ fecerint ſatietatem, curſes, tanquam ad animi relaxationem. Fuit hic Philoſophis mos, & oratoribus tuis, ut à civium oculis aliquò interdum concederent. Neque illud objeceris, quòd peramœnæ villæ veſtræ ſuburbanæ ſint, quibus cum diverſoriola noſtra non ſint conferenda. Villarum iſtarum magnificentiæ nemo non cedet: verùm idipſum quòd ſuburbanæ ſint, dixerim eſſe impedimento, ne tranquillitate & otio illo frui omninò liceat. Multi officii causâ convenient, nonnulli ſciſcitaturi quid agas, aliqui etiam ut infaceto & multo ſermone obtundant: quæ incommoda nihil eſt quod timeas in Ceciniano. niſi illud fortaſſe, quod ſpero, vereare: quòd homo ibi ſit, qui à latere nunquam diſcedet, avidiſſimus jucundiſſimæ conſuetudinis tuæ. Vale, ex Ceciniano. IX. Cal. Martias.

13. Aonius Palearius Franciſco Verino S. D.

CUm te Virum ſemper in Philoſophia, quæ de natura eſt, ſumma cum laude verſatum cum Victorio noſtro conveniſſem, & cœnæ tempus inſtaret, res ſanè difficilis & perobſcura in quæſtionem vocari à te cœpta eſt: Ubi homines mortem obierint, quò eorum animi in ſtatu ſint, ſi cum corporibus non extinguantur. Id ipſum πρόβλημα, dum in municipium redirem, mecum animo volvens, & quid reſpondiſſem recogitans, texi epiſtolam, qualem ſcribere poſſit non qui in philoſophiæ cella penuaria ſit, ſed homo tui ſtudioſus & amantiſſimus, qui equo revectus non prius domi aſſederit, quàm ad te ſcripſerit. Hujus quæſtionis explicationem phyſicè pertractari non poſſe dixeram, quam tu poſſe dicebas: & habere te aliquid jam, quod, ſi pluſculum fuiſſet temporis, nos valdè delectare potuiſſet. Dii immortales, cur ego à te abſum, Viro doctiſſimo? næ annum evolvens libros omnes Peripateticorum, non facilè obſervarim locos, quos tu mihi unius horæ uſurâ commonſtrare potuiſſes. quos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ut mihi aperias aliquando, cùm plus erit ocii, veniam ad te: non diſceſſurus, niſi pertractatâ omni iſtâ quæſtione, quam ego ad phyſicum philoſophum ſpectare non arbitrabar, quòd de Animo, aut Anima (rem enim eandem Latini iis vocibus ſæpè ſignificant) tandiu poſſit diſſerere, quandiu in plenæ abſolutæque definitionis perceptione verſetur, quæ eſt, ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. Itaque cùm deſinit eſſe ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος, deſinit de ea phyſicus cogitare: qui æquè animi principatum, & motus quoſdam celeres, & vim quandam ſejunctam ab his uſitatis notisque naturis non poteſt niſi in corpore comprehendere: atque illam ipſam præſtantem, æternamque mentem, quæ principium eſt motionis, niſi in circulo atque orbe, quem Mobile primum appellant. Quòd ſi ejus quod movetur conſiderationem ſuſtuleris, ejus quoque qui moveat agnitione phyſicus omninò carebit: quòd in eo perpendendo, quod movetur, ejus omnis cogitatio ſit poſita & fixa, & iis finibus contenta ſit ea philoſophiæ pars quæ Phyſice appellatur. Habent enim & artes ipſæ cancellos & terminos, extra quos egredi non licet. Quare veluti neque ante hanc cœli pulchritudinem, cujus initium quidam poſuerunt, quis fuerit Deus, neque quis futurus ſit poſt fatale mundi exitium, Phyſicus proprie diſputat: ſic neque de anima, antequam in corpore ſit, neque poſtquam è corpore abierit, ſi ſuis regionibus velit ſe continere, poteſt diſputare. His ego adductus, in librorum meorum partitione dixi, me hac in re Theologos ſummâ induſtriâ fuiſſe ſecutum, qui mentes quaſdam ab omni admiſtione corporis remotas ex diſciplinæ ratione contemplentur. Habent quidem & illi documenta & ſigna, quibus collatis prodeant in aciem, & pulcherrimè pugnent: habent & ſuaſiones graves, & ſynceras, & dulces,

qui-

quibus nihil eſt divinius, nihil ad motus faciendos aptius: præſertim cùm propenſi naturâ ſint animi hominum ad eam ſcientiam, nihílque ſit quod iis pacem, conſolationem, ſpem magis afferre poſſit, quàm hæc una facultas, ſi ineptiſſimorum hominum audaciâ in profundum demerſa, Oratorum & Philoſophorum præclaris ingeniis ſublevetur. Vale, & doctiſſimis atque optimis Viris, Campano & Victorio, ſalutem dic: meque ut illos ama. Ex municipio Collino, ad III. Idus Aprilis.

14. Aonius Palearius Franciſco Verino S. D.

CUM expectarem avidiſſimè literas tuas pluribus verbis ſcriptas, allata eſt ad me ſchedula tuo nomine tribus, aut ſummum quatuor verſiculis, in qua erat veluti novum atque inauditum, quod in ſcholis omnium philoſophorum eſt tritum, & propè vulgare: quod eo mihi te viſum eſt indignius, quòd idipſum neque Græcè neque Latinè dicebatur. Exiſtimavi pro mea in te obſervantia, culpâ tabellarii factum, qui fortaſſe prius abs te literas flagitarit, quàm planè ſcribere potuiſſes. nam tu quidem maturè factus ſenex, Victorii ſcilicet operâ uſus, exuiſti omnem barbariem: neque in eorum numero eſſe voluiſti, qui oſtentatione doctrinæ contenti ſunt inſignibus ambitioſorum. Tu, quod ego ſumma cum voluptate audivi, ſerò, ſed diligenter didiciſti literas Græcas: Latinas non ſerò. & tamen ubi Latinè aliquid non potes reddere, Thuſcè dicis. Amo te ob iſtuc factum non mediocriter: quòd Milonis illud valdè probem, οὐκ ἕνεκα τῶν λόγων τὰ πράγματα συντελεῖσθαι, ἀλλ' ἕνεκα τῶν πραγμάτων τοὺς λόγους. Nihil refert vel Græcè, vel Latinè, vel Thuſcè dixeris, modò benè. Tàm multæ ſunt comprehenſiones philoſophorum, ut una lingua non ſit ſatis: excutienda tamen nobis eſt negli-

gligentia, & ignavia quædam, ne vocibus abutamur, ne immutemus (quos appellant) dicendi modos: non ſolum quia majores noſtri, qui dixerunt omnia ſignificantius, iis τὴν αὐτῶν διάνοιαν expreſſerunt: ſed etiam ut poſteris conſulamus, ne novus illis exudandus ſit labor, verborum uſu & dicendi genere immutato. Hoc præſtans ſemper fuit Victorii mei judicium, hoc aliquando Campani tui. quod ſi nos ſequimur, obſecro te ut à congreſſu noſtro excludamus fecem philoſophorum, ſimiolos iſtos cum annulo & toga, qui quod barbarè non ſit dictum, non putant Ariſtotelium. Collegiſti probè philoſophi ſententiam de animorum immortalitate ex libro tertio περὶ ψυχῆς, quam ego Græcè malo, ne quid pervertam: ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνεργίᾳ. & paulò pòſt, χωρισθεὶς δὲ ἐστὶ μόνον ἀθάνατον, καὶ ἀΐδιον. & ex libro ſecundo: περὶ ζώων γενέσεως, λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Quid, cenſes me hæc non legiſſe? An verò, cùm homines Græci, Alexander, Themiſtius, Simplicius, hæc interpretati, fulgurare, tonare, permiſcere omnia viderentur: & barbari interpretes, Averroes, Avicenna, ob hæc eadem certarent ſummâ contentione: cumque ſemilatini, Thomas, Scotus, Pomponatii, Sinveſſani, digladiarentur inter ſe, & quantum poterant voce contenderent, ut omnes exaudirent: unus ego nunquam ad tantos clamores aurem intendi? Nempe in librorum meorum diviſione legere potuiſti: In ſecundo libro, Stoicorum, &, ſi quæ erant, Peripateticorum rationibus, immortales eſſe hominum animos probavimus: neque puto illorum aliquod argumentum eſſe, quod eo libro non contineatur. Sumpta quædam ſunt ab Ariſtotele ſtudioſius. nam illud,

Non

Non aliquid mixtum, non concretum ex elementis,
Sed purum, æternum, quodque omni eſt tabe ſolutum,

eò ſpectat, ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθὴς, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον, καὶ ἀΐδιον. Vereor ne tibi jam ſim moleſtus. Venio igitur ad ea quæ ſcribis. Scheda tua nihil habet eorum quæ recepiſti, ὕπεχε λόγον. Dixiſti, hanc quæſtionem, ubi homines mortem obierint, quo eorum animi in ſtatu ſint, ſi cum corporibus non extinguantur, Phyſicè pertractari poſſe: ego id ſedulò negabam. Quid ais? tuum eſt oſtendere, ab Ariſtotele id eſſe factum, dum Phyſica tractavit. Quæ adduxiſti non conveniunt. nam in his philoſophus animi principia indagat, ut conſtituat νοῦν τὸν μὲν ποιητικὸν, τὸν δὲ παθητικόν: quòd alter χωριστὸς καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθὴς ſit in homine, quod Pomponacius deliciæ tuæ non potuit concoquere: alter φθαρτὸς, quod Lyncei quidam interpretes non viderunt. Id ſi propoſitum eſt Ariſtoteli, tu jam vide in his verbis: ἐπεὶ δ᾽ ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει ἐστί τι τὸ μὲν ὕλη ἑκάστῳ γένει, τοῦτο δὲ ὅτι πάντα δυνάμει ἐκεῖνα: ἕτερον δὲ τὸ αἴτιον, καὶ ποιητικὸν τῷ ποιεῖν πάντα, οἷον ἡ τέχνη πρὸς τὴν ὕλην πέπονθεν: ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς. καὶ ἔστιν ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς τῷ πάντα γίγνεσθαι, ὁ δὲ τῷ πάντα ποιεῖν. Explorat ergò Philoſophus, ut vides, τὴν φύσιν, καὶ τὰς διαφορὰς ὑπαρχούσας ἐν τῇ ψυχῇ: non id quod tibi eſt propoſitum, ubi animi hominum ſint, cùm deceſſerint. & in libro ſecundo περὶ τῶν ζώων γενέσεως, veſtigat ortum animi, ὅτι θύραθεν. Quamobrem quæſtio illa longè abeſt à philoſopho phyſico, non longè ab eo qui tractat τὰ μετὰ τὰ φυσικά. Neque ego id temerè ducor ad ſuſpicandum. Ari-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſtoteles ſcriptum reliquit τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ τῷ λ. εἰ δὲ καὶ ὕστερόν τι ὑπομένει, σκεπτέον. ἐπ' ἐνίων γὰρ οὐδὲν κωλύει, οἷον εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον, μὴ πᾶσα, ἀλλ' ὁ νοῦς. πᾶσαν γὰρ ἀδύνατον ἴσως. quo fretus, audeo dicere Græcè melius: nam Latinè non invenio. ψυχὴ μὲν ἡ νοητικὴ, πότερον αἰθερῶδες, ἢ οὔ; ἀΐδιον, ἢ οὔ; πρόβλημα εἶναι φυσικόν. ὅπου δὲ χωρισθεῖσα νοεῖ εἰδεῖν, ἑτέρας γε, φυσικῆς οὐδαμῶς εἶναι θεωρίας.

15. Aonius Palearius Bartolomæo Panciatico S. D.

NEque ego mearum virium tàm audax æſtimator ſum, nec ita prorſus ignarus officiorum & incredibilis humanitatis tuæ, ut ſperem me verbis conſequi poſſe partem aliquam gratiarum, quas à me tibi per literas agi neceſſe eſt. Nam quod tu is Vir, tanto ſtudio & diligentiâ, tantâ celeritate Lugduno ad me libros mittendos curaſſes, admirabar ego hominis humaniſſimi benignitatem. Verùm quòd eo beneficio accepto, nullis ad te literis ea de re miſſis, nulla gratia relata, iisdem ferè diebus tàm diligenter curaveris meas literas ad Gryphium perferendas, & altero beneficio liberaliſſimè affeceris: agnovi ego divinitatem ingenii tui. Quid enim tàm divinum eſt, quàm eos quos primis officiis juveris, non reſpondentes, cumulare ſecundis & tertiis? neque deſiſtere, neque ſtomachari prius, quàm meritorum numero & magnitudine ſocordes, oſcitantesque pupugeris, traxerisque in tui admirationem? Quamobrem magnum quiddam eſt quod tibi debeo, magna item animi mei propenſio in te: quam ſi ſatis declarare poſſem, præclarè à me actum iri putarem. Nunc cùm acceptis beneficiis ſerò gratias agam, neque iis oratoris verbis, quibus te

te delectari audio: quid reſtat, niſi in ſumma orationis paupertate ſummum mihi deſiderium declarandi amoris mei? qua in re niſi Victorius meus, & idem tuus, adjuverit, ut meo nomine tibi gratias agat, frigidum ſanè ac jejunum habebis gratiarum actorem, & laudatorem virtutis tuæ. Quod iſte quidem melius facere poterit, cum ea ubertate & copia dicendi, quam ex omnium liberalium diſciplinarum optimis ſtudiis eſt conſecutus: tum quòd præſentes omnia melius explicamus, habentque ſuam in agendo partem oculi, manus & pes: qua re adducti antiquiſſimi oratores, in actione propè omnia poſita eſſe duxerunt. quæ cum in iſto ſit non vulgaris, ſed mirifica quædam, qualem in Socrate fuiſſe accepimus: non dubitavi per literas petere, ut cum recitaret tibi quandam mearum literarum partem, multa de ſuo adderet, quibus intelligeres, gratiſſima memoria proſequi me beneficium tuum: nihilque mihi fore jucundius, quàm ſi cum uſuvenerit, etſi per me parum aut nihil poſſum, experiare aliquando amorem meum. Vale, ex municipio Collino. XIIII. Calend. Majas.

16. Aonius Palearius Petro Bembo Cardinali S. P. D.

NIſi ego gravitatem, & animi tui magnitudinem probè noſſem, facerem quod vulgus hominum ſolet, ut hac fortunæ acceſſione extra modum lætitia elatus, tibi congratularer. At cum hæc eadem munera tibi ſæpe oblata ſciam, abs te non modò non retenta, ſed pulcherrimè fuiſſe rejecta, non committam, ut animi tui admirabili continentiæ & integritati faciam tam inſignem injuriam, ut repentinum aliquod bonum, inſperatum, improviſumque tibi obtigiſſe exiſtimem. Quid enim tale fuit, quod cum in ſummorum Pontificum oculis habitares, non impetraſſes cum gratia? Idque vel eo ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

gumento maximè confirmari poteſt, quod tua opera præcipuè uſi fuerint nonnulli, qui horum ornamentorum deſiderio tenebantur: quæ cum per te conſecuti fuiſſent, in te conferri non curabas, quòd aliis, non tibi, iis muneribus, per te tamen condonatis, majorem inde fieri exiſtimabas autoritatem, & dignitatem tuam. Hujus liberalitatis, bonitatisque memor Paulus pontifex, te in ampliſſimum ad agendum collegium cooptavit: in quo, ſi omnia ex te, & collega tuo ſanctiſſimo & optimo, Sadoleto penderent, feliciſſimè eveniret Reipublicæ Chriſtianæ. Nunc cum ea Reſpublica regum, principumque civitatum culpa quaſi æſtu maritimo agitetur, ſubverentur boni omnes, vos miſeris perditiſque temporibus ita ad ſummos labores fuiſſe vocatos, ut neceſſe ſit præclara illa ſtudia, quæ ingenii ſuavitatibus ad cœlum extuleratis, vel remittere, vel omnino deſerere. de quibus melius ſperabamus, quòd ea à vobis ipſis eſſent petenda, non aliunde: cum nihil eſſet, quòd, ſi voluiſſetis, non eſſet facilè perfectum induſtria veſtra. Nam ut omittam, quæ ab illo ſunt ſcripta divinitùs: quid de hiſtoria tua dicam? Dii immortales, quantam expectationem concitaſti? qualem ſpem injeciſti hominibus noſtris? ut ſeculum hoc miſerum atque indignum, in quod incidimus, non dubitent felix atque aureum aliquando à poſteris iri appellatum, in quo ea hiſtoriarum monimenta ſempiternæ hominum memoriæ conſecrata ſint ingenio tuo. Hoc eò à me dici volo, ne patiare per Deos, te quibusvis muneribus ab iis ſcriptionibus avelli, quibus te, & patriam & tempora illuſtraſti. Permulti deligi potuerunt, & fortaſſe delecti ſunt, & his & ſuperioribus temporibus, collegæ: at Sadoleti, at Bembi, perdiu nulli. Hoc item eò dico, quòd pungat me quaſi aculeis, iniquitas quorundam, qui homines hominibus præſtare non intelligant. Atque utinam, poſtquam (ut vereor) literarum ſtudiis multum ereptum

ptum eſt, accerſitis ad gubernacula Reipublicæ duobus optimis & doctiſſimis viris: ſic remittant aliqui ſpiritus, ut Pauli dicto ſint audientes, προφῆται δὲ ἢ δύο τρεῖς λαλήτωσαν, καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν. Qualem enim Rempublicam optamus & volumus, facilè habebimus, ſi ſuum locum veſtra virtus & dignitas obtinebit. In quo me illud conſolatur, quòd integerrimi & ſapientiſſimi viri, qui plurimo doctrinæ ſtudio & tractandæ Reipublicæ uſu excellant, nunquam melius dignoſci poterant, quàm aſperis, difficillimisque temporibus, in ſumma rerum omnium perturbatione: in qua tu, qui puer, qui adoleſcens, qui juvenis, qui vir liberales arteis miſerè oppreſſas mirificè ſublevaſti, in ætatis maturitate loco excelſo & illuſtri, in tanta omnium expectatione, noli quærere quantam ſpem bonis attuleris, in priſtinum ſtatum & dignitatem vindicandæ Reipublicæ Chriſtianæ. Vale.

17. Aonius Palearius Antonio Philonardo Epiſcopo Verulano S. D.

QUòd ſerius fortaſſe gratuler, quàm debebam, agerem ego pluribus, quibus planè intelligere poſſes, charam atque jucundam mihi in primis ſemper fuiſſe dignitatem tuam: niſi illud unum, quòd jam multos annos ab urbe abſim, ſatis excuſationis haberet, quo me facilè tueri poſſum. Etenim ex iis incommodis quibus me affici neceſſe eſt, ob ignorationem rerum urbanarum: hoc mihi graviſſimum eſt, quòd de iis nihil ad me perfertur, quorum gaudia ſolidè ante omnes gauderem. Quòd niſi proximis ſuperioribus diebus Corſinius noſter literas ad me plenas officii & humanitatis dediſſet, attuliſſetque jucundiſſimum nuncium de dignitate tua: næ ego homo infelix eſſem, qui neque iſthuc ſerò feciſſem, quòd diligentiſſimè & maturrimè facere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

cere debebam. Multæ enim ſunt cauſæ, quibus tibi gratulari debeo, quòd ad ἐπισκοπῆς amplitudinem ſis provectus: in quibus illæ ſunt vel juſtiſſimæ, quòd ſanctiſſimi atque optimi Viri patrui tui ſingularia & maxima quædam beneficia ſemper in me extiterunt: nihilque Peruſiæ & Romæ in me ornando ab illo proficiſci potuit, quod non ſit profectum: cujus cùm ſingularis ſit gravitas, ſumma amplitudo, integritas admirabilis, quid eſt quod ego magis deſiderare poſſim, ingraveſcente præſertim jam illius ætate, pro amore, obſervantiáque meâ in familiam veſtram, quàm ut in te, qui à puero magnam tui expectationem concitaſti, veſtigia quædam ejus ſanctitatis eluceant? Hanc cùm ineas viam, dignitasque ea in te tranſlata ſit, per quam ille ſeſe & familiam cumulavit omnibus ornamentis: noli quærere, quam ego de te opinionem habeam, quanta ſpes injecta ſit ex modeſtia iſta animi tui, & præclari ingenii ſolertiâ & ſuavitate. Nam ſi arborum, quas habemus in fundo avito, cùm ſeneſcere eas videmus, uſque adeò traduces & propagines deſideramus, & perdiligenter colimus: quo ſtudio, quâ tandem animi propenſione in te me eſſe oportet, in quo videam expreſſam effigiem integritatis, modeſtiæ, & ſapientiæ patrui tui, quem ego ſemper colui & obſervavi? Huc accedit, quòd patria ipſa, quæ vitâ mihi charior eſt, etſi abſim, contendere à me videtur, ut ſuo tibi nomine gratias agam: quod facio, & quidem libenter, quòd ad meorum civium temperandos animos, & piè inſtituendos, non incideris, ſed veneris. Non enim ſum neſcius id quanti ſit, qui ſciam nonnullas tenebras multis ſeculis eſſe offuſas divinæ philoſophiæ: ita ut in hominum animis nihil minus aliquando inſederit, quàm Chriſtus: eorum fortaſſe culpa, qui ut acuti viderentur, προβλήματα quæſtiones ἀντὶ εὐαγγελίου populo propoſuerunt, nugatores potiùs

quàm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

quàm oratores. Huic malo nemo melius mederi poteſt, quàm Epiſcopus: quem pro autoritate & gravitate revereatur populus, Senatus obſervet: qui & docere poſſit, & eos invitare ad dicendum, qui & egregia doctrina ſint, & probatiſſima vita: non contentionum cupidi, ſed veritatis: ſtudioſi buccinatores laudis & gloriæ filii Dei, in quo, ut Paulus ajebat, εἰσὶ πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι. Sed hæc tu meliùs, cujus hæc ſtudia propria ſunt: quique familiaribus negotiis non plus diſtraharis, quàm velis: quique habes domi quem imiteris, Virum ſummâ ſapientiâ, non modò ab hominibus noſtris, ſed etiam ab Helvetiis, Gallis & Germanis laudatum, cum teſtificatione etiam & amoris & reverentiæ plena. Reliquum eſt, ut Philippum affinem meum tibi commendem: juvenem, ut ſpero, morigerum, atque modeſtum. Solus erit iſtic, ſi unus deeris: habebit neminem neque amicum, neque cognatum. itaque & pro Chriſtiana pietate, & jam Epiſcopi officio, proque obſervantia mea in Philonardos, eum tibi etiam atque etiam commendo. Vale. Senis, v. Calend. Sextilis.

EPI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

EPISTOLARUM
LIBER TERTIUS.

1. Aonius Palearius Verulanus Petro Franciſco Riccio S. P. D.

QUOD audaciſſimi & furioſiſſimi hominis, adverſarii mei, bis jam, autoritate dignitatéque tuâ fregeris, retuderisque improbitatem, magnæ omninò à me tibi gratiæ aguntur, agentúrque dum vivam: quod ſi ſerius facio quàm debebam, dabis hoc ipſis iſtis moleſtiis, quæ me profectò hebetiorem reddiderunt. Quemadmodum enim tempeſtatibus coortis, limoſa ac turbida flumina non ſubitò cum cœli ſerenitate perlucida & ſedata fluunt: ſic in offenſionibus perturbationum, animi vitium aliquod concipiunt, quod deponere ſubitò non poſſunt: quamobrem ſi quid per id tempus ſcribimus, & ſicci & jejuni ſumus. Poſtulant enim hæc ſtudia literarum tranquillitatem, motusque alacres quoſdam animorum: quæ cùm in me nulla ſuperioribus menſibus extiterint, quid eſt quod mirere, ſi in meis literis tale aliquid non ſit, quod te valdè delectare poſſit? Dices fortaſſe, gravius me hæc tuliſſe, quàm oportebat: neque tantopere commoveri debuiſſe ineptiſſimi & leviſſimi hominis causâ: præſertim cùm tu, & Campanus (dii immortales, qui Viri?) recepiſſetis, ſuſceptæ jam cauſæ defenſores non defuturos: curaturoſque, ſi quid homo inſanus poſthac intentaſſet, ut ſentiret, quàm paratiſſimum apud excellentem & imperio & ingenio Principem florentiſſimæ civitatis patrocinium ſit bonarum artium ſtudioſis: ex cujus familia illuſtri quidem illa, & per

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſe præclara, prodierint ſemper veluti ex equo Trojano (ut in proverbio eſt) Muſarum imperatores, ducesque liberalium artium. Hæc etſi mihi tàm certa eſſent, quàm ea quæ oculis cerno: nonnullam tamen moleſtiam capiebam ex rerum indignitate, quòd in rejiciendo homine tenui atque ignobili, neque Græcis neque Latinis literis erudito, philoſophiæ etiam planè rudi atque ignaro, veſtrâ mihi operâ uti neceſſe eſſet: ex qua re videbatur creſcere adverſarius meus. Huic rei illud erat argumento, quòd ſuperiori anno cùm Apologiam ſcripſiſſem, per quam ego rabulæ inſcitiam ante oculos eruditorum nudaram: ejus tamen ordinis homines illum ſibi, & rebus publicis præfecerunt. credo, ut de ſuperiore quaſi loco mecum contenderet: & qui per ſeſe nihil poſſet, aſſignati muneris cauſa nonnihil dignitatis habere videretur. Nunc cùm ſummorum Virorum operâ uti mihi neceſsè fuerit ad ejus imprudentiam reprimendam, erit ille (mihi crede) apud ſuos in majori honore. Me miſerum, quibus cum larvis ego jam biennium ſum luctatus? quas quoniam gravitate tuâ à me abegiſti, non committam poſthac, ut mihi cum illis quicquam negocii ſit: commentariáque θεολογικά, quæ ſolutâ oratione, & orationes quas ſcribere inſtitueramus, & laudationes, quas verſibus ſcribimus, ſupprimentur fortaſſe: donec extorqueatur ſica iſta de manibus imperitorum hominum, utque iniquiſſimorum, qui ſanctiſſimam facultatem oratione illuſtrari graviſſimè ferunt: maluntque eam in tenebris jacere ad quæſtum & lucrum, quàm in illuſtri loco ſitam, animis hominum aptatiſſimam & veriſſimam conſolationem adhibere. Quòd ſi Deus Reges, Principesque civitatum, qui ad gubernacula Reipublicæ Chriſtianæ ſedent, pupugerit, ut magna frequentia doctorum hominum conveniant in unum aliquem locum, quaſi cenſura epiſcoporum vindices veritatis: cave putes, ullum genus hominum magis inviſum iri, quàm rabulæ

bulas iſtos, qui multis ſeculis non modò philoſophiæ humanæ, ſed divinæ illi, quâ vivimus, unde lucem haurimus, per quam ad ſuperos accedimus, tenebras incredibiles offuderunt. Quare quòd meæ innocentiæ acerrimum te defenſorem præſtiteris, colo ego te, & obſervo pro iſta pietate majorem in modum: neque meriti, neque humanitatis tuæ memoriam oblivio ulla unquam delebit. At verò quòd in ea defenſione hominem arrogantem, impurum, contumelioſum, hoſtem bonarum literarum, tàm inſolenter impunitate & licentiâ ſeſe efferentem, tuâ gravitate repreſſeris: ſpero ita complexuros iſtam animi bonitatem amicos meos, optimos quidem Viros, & in iis ſtudiis excellentes, in quibus tu cum laude ſemper es verſatus, ut magnam ex ea re voluptatem capias: intelligasque, Diis hominibusque acceptiſſimum fuiſſe beneficium tuum. Vale, ex municipio Collino, III. Nonas Sextilis.

2. Aonius Palearius Franciſco Campano S. D.

ETſi mecum ipſe ſtatueram nihil omninò ad te ſcribere, niſi tale aliquid accidiſſet, in quo ego pro ſummis tuis in me beneficiis, & gratias agere, & amorem meum & obſervantiam erga te declarare potuiſſem. Veritus tamen, ne diuturnâ taciturnitate parum memor, & homo minimè gratus viderer, fregi conſilium meum. nam neque obſcuris, neque vulgaribus abs te officiis ſum adjutus: animo præterea adeò liberali atque ingenuo, ut quicquid abs te profectum ſit, jucundiſſimum mihi multis juſtiſſimisque de cauſis eſſe debeat. Etenim cum municipes noſtri, de quibus omnia mihi largè atque honorificè pollicebar, fefelliſſent opinionem meam: & qui affinitate conjunctiſſimi mihi eſſe debebant, inhumaniter non modò me deſeruiſſent, ſed oppugnaſſent etiam pro rabula, & homine minimè noto: ita à te ſum defenſus, ut effluere ex animo non poſſit magnitudo beneficii tui. Qua de re cum fratribus tuis, optimis illis quidem Viris, &

& mihi chariſſimis, ſæpè ſum locutus, ut quaſi per eos tibi gratias agerem. Apud municipes verò ita laudibus extuli iſtam animi benignitatem, & in bonos propenſionem: ut quivis intelligat, me nihil habere antiquius tuâ virtute: quam ita animo complector, ut nihil mihi poſſit eſſe conjunctius. Neque verò ego unquam cognationum & propinquitatum vinculis arctius aſtringi Virum bonum debere putavi, quàm iis ipſis, quæ ſtudiorum ſocietate & ſimilitudine, ſanctiſſima & firmiſſima habentur. Fallit enim nos ſæpè natura, & communio ſanguinis: cogitque ut eos interdum amemus, qui ſi mentem adhiberemus in conſilium, permagno nobis odio eſſent. At virtus fallere non poteſt, quæ veriſſimarum & illuſtrium rerum perſcrutatione, graviſſimoque judicio ita animos allicit, ut ſæpè eos mirificè diligamus, quos nunquam viderimus. Quamobrem ſi humanitatis & ingenii tui expectatione te multum amabam: nunc cùm veram & ſolidam benignitatem tuam ſim in me expertus, non facilè dici poteſt, qui cumulus acceſſerit amori meo. Quod ſi in te quoque colendo duo optimi Viri mihi ſocii comitesque adjuncti ſunt, alter qui philoſophiæ, alter qui eloquentiæ laudibus excellit: quid eſt quod ego ex animo magis aut lubentius facere poſſim? atque meherculè ſi his curis unquam, quibus ob æs alienum contractum maximè teneor, fuero liberatus, nulla mihi charior aut jucundior urbs futura eſt, in qua ego vitæ reliquum tempus traducam, quàm florentiſſima iſta, in qua Verinus, Victorius, Riccius, & Campanus, mei amoris, ſtudii, & pietatis magnis officiis inter ſe certant. Cujus ſi me compotem aliquando fortuna fecerit: eritis vos mihi magni patroni. Quos ego ſi meâ tenuitate imitari non queam: ero tamen & diligens, & ſtudioſus laudator virtutum veſtrarum. Senis, pridie Nonas Septembris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

3. Fauſtus Bellantes Aonio Paleario S. D.

QUòd in diſceſſu tuo ex Hetruria tàm peramanter rogaras, ne literarum ſtudia intermitterem: facerem diligenter, ſi poſſem ſine te præclari aliquid exquirere induſtria mea. Verùm enimverò poſtquam in urbem profectus es, ita neſcio quo modo animus meus torpuit, ut difficillimum mihi fuerit ſcribere epiſtolam hanc, quam ad te mitto. Nam ſi animantia quædam, in quibus ratio nulla eſt, cùm ab aliis deſeruntur, deſiderio vocem aliquam emittunt, quâ ſignificent, ſe ægrè ferre diſceſſum eorum quibus cum vixerint: quo animo putas me tuliſſe diſceſſum tuum? Omitto, quòd pater meus, vir optimus & graviſſimus, te ſemper maximi fecerit: & tu illum ſic amaveris, ut magis præterea neminem. Quid dicam de benevolentia tua in me, & fratrem, in meos, vel potius noſtros univerſos? Quamobrem mihi moleſtiſſimum eſt, quòd animo te audio eſſe propè abalienato, quod ſermonibus quorundam ſis offenſus. Qua in re te oratum velim pro amore tuo in me fraterno, ne culpa leviſſimorum hominum ita moveare, ut memoriâ deponas, quantam expectationem de te habuerit pater meus, quàm ego te ſemper dilexerim in fratris germani loco. Veniat tibi in mentem, quòd tu mihi in diſceſſu receperis, redditurum te ad nos poſt quindecim, aut ſummum viginti dies. quod ut facias, omnes noſtri, & ego in primis, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale, ex arce Areolæ.

4. Aonius Palearius Fauſto Bellanti S. D.

EGo verò & tuum animum in iis literis, quæ mihi abs te proximè redditæ ſunt, vidi: & cognovi dolorem, quem acceperis ex rumoribus, qui

qui me invito, neſcio quo autore, ad vos perlati ſunt. Quantum ſuſpicor, Cecilia, loquaciſſima mulier, permiſcuit domum. Noli, obſecro, me tàm aut ingratum putare, aut immemorem beneficiorum: ut ad revocandum opus eſſe arbitrere literis tàm humaniter ſcriptis, cum commemoratione etiam patris, fratris, & amoris erga me tui. Scilicet ad innumerabilia in me tuæ familiæ merita, hoc etiam accedere oportebat, ut omnium tuorum nomine rogares. Apage te cum iſtac humanitate: qui cùm per te plurimum poſſis, vis etiam per alios. Nihil mihi poſthac erit moleſtius, quàm ſi intellexero te ita pudenter, ne dicam remiſſè agere, cum eo, quem in fratris germani ſemper habuiſti loco. Quòd niſi ego ſuavitates ingenii tui noſſem, ut quos liberalitate & divitiis vincis, omnibus modis velis vincere: nonnihil de amicitia noſtra fuiſſet detractum. Minus enim apud te me poſſe putarem, quàm olim putabam: & falſam eſſe opinionem, quam ſemper habui, me te prorſus eſſe alterum. Quid enim, ſi uſu veniat, petere auſim: ſi tu à me tàm timidè, tàm verecundè omnia? An ſi quorundam ſermonibus ſum offenſus, abalienato erga vos me animo eſſe decet? Non ignoro, quàm mater tua, lectiſſima fœmina, & ſuaviſſimus frater, graviſſimè tulerit mulierculæ importunitatem. Qua in re illi ignoſci debet, quòd & leviſſima eſt omnium mulierum, & patre incerto nata, & puſilla ſerva, ingenua non eſt: cui ſi vir jurganti aſperè verbis & vultu, ut ſolet, os aliquando contudiſſet, reddidiſſet profectò humanitatem. Peto à te, ſi moleſta eſſe perget, ut fabellas Thuſcè ſcriptas non impedias exire. cupio enim quoſdam, & jampridem cupio, non tàm ulciſci, quàm ſanare: qui non prius inepti eſſe deſinent, quàm nominatim evocati, viderint ſe mucrone ſtyli obſtrictos, atque confoſſos. Sed hæc coràm. De ſtudiis video quid egeris: quâ in re inprimis tibi gratulor, quòd tantum per te ipſe profi-

cias, quantum vix alii adjuti à multis & doctis Viris. Benè currentem video: ſi in curſu & iis virtutibus perſtiteris, in quibus tu certè quidem id ætatis mirum eſt quàm excellas. ô partum aureum matris tuæ, quæ tàm neceſſario tempore te laboranti Reipublicæ dedit. pro qua, quoniam pater & avus emori potuerunt, proavus certè mori voluit: nihil eſt quod omni curâ in ea ſtudia non incumbas, quæ tibi patriæ charitas oſtenderit, quibus aliquid opis afferre miſeræ poſſis, quæ auxilium abs te & coævis poſtulat; quoniam à ſenibus factioſis deſtituta, locum in quo conquieſcat non reperit. Quòd niſi occidenti propè Cæſar occurriſſet, non eſſet quod aliquando curares. Nunc ille diis benè juvantibus ſpeciem reſtituit, ſuccum & ſanguinem hirudines antiquæ hauſerunt. Ærarium nullum eſt, vectigalia etiam facta deteriora, λύκαινα omninò ſtrigoſa. Sed hæc ex tuorum ſermonibus melius, vel optimè omnium per te ipſe intelliges. Qua in re illud te conſolari debet, quòd æquales habes ſummi ingenii ſummique animi juvenes, tàm Reipublicæ ſtudioſos, tàm tui ſimiles, ut in hæc tempora non incidiſſe, ſed veniſſe videare. De reditu nihil habeo certi. faciam tamen quod mandas, ubi me explicaro: nulli mihi prorſus equi erunt ſatis. Vale. Idibus Februariis, Romæ.

5. Fauſtus Bellantes Aonio Paleario S. D.

ETſi unis atque alteris literis abs te efflagitaram, ut quamprimùm ad nos redires: quod tui deſiderio faciebam, qui multis juſtisque de cauſis nobis omnibus es chariſſimus: cùm tamen interea aliqua res accidiſſet, quamobrem viderem in diſcrimine verſari ſalutem tuam, mutavi conſilium. XIII. Cal. Martias ante lucem, Placidi pueri cum literis mihi præſtò fuerunt: ex quibus intellexi, magnos motus, incredibilem conſpirationem ſceleſtiſſimo-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

rum hominum contra te eſſe factam. Viſum eſt matri meæ, & lectiſſimæ fœminæ uxori tuæ, ut ad te ſcriberem, ne te loco moveres: ſed ſuperſederes, dum hic nodus exolvatur. Cauſam accuſationis neſcimus, nomina eorum qui diem dixerunt ignoramus: nam Placidi literæ nihil horum ſignificabant. Rumor eſt, religionis calumniâ eſſe concitatos homines primarios: mater credit, Calones in te conjuraſſe, quòd ſuperſtitioni nihil ſis amicus, quâ illi domum noſtram exhauriebant. neque id ὑπερβολικῶς. nam avia, cui avus & pater pecuniam omnem noſtram crediderant, ut nobis adſervaret uſque ad firmatam ætatem, deceſſit, cùm neque teruncius eſſet reliqui: manticas ſatis grandes invenimus diſſutas, in quibus reconditæ pecuniæ veſtigia apparebant. Nos Lignipodas, qui in aviæ conclave quotidie curſabant, vocavimus in judicium, in quo tu adfuiſti nobis: nihil tamen profecimus. nam & turpiſſimum jusjurandum jurarunt: & ita ſacris manus admoverunt, ac ſi habuiſſent iligneas. Hæc omnia ſciunt nos feciſſe, fretos conſilio tuo. nihil eſt magnopere mirandum, ſi tibi ſunt irati. hæc mater. Ego verò non negarim, aliquam partem incommodorum per hoſce nebulones eſſe invectam. at tantam rem homunculos potuiſſe moliri, non arbitror: altiores ſtirpes habet hæc conſpiratio. Sunt peſtes hominum quædam alieno bono dolentium, qui cùm alicui benè ſit, ſibi eſſe putant malè. hi fronte & vultu alacri blandè appellant, ſalutant libenter, jocantur feſtivè. Clanculum ſi poſſunt nocere, cave malam rem: ubi timent eorum perfidiam reſciri poſſe, accedunt ultrò, purgant ſeſe, conqueruntur. Hem egóne iſtuc conari queam? Ab hiſce hominibus ſuſpicatur Placidus, jacta fundamenta accuſationis. In Placidi ſententiam facile eo, qui propter ingenii acumen omnia perſpicit: adhuc tamen neſcio quid animus mihi præſagit. metuo à Senatoribus quibuſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

dam, in quorum furores jam inde à cauſa ſalaria incidiſti. meminiſtin'? Egidius, qui omnia quæ ad tuum honorem & dignitatem pertinent, curat diligenter: quantum potuit odorari, eò pervenit, ut rem videat non longè eſſe à ſubſelliis. Quod ſi verum eſt, jubeo te benè ſperare: dabunt enim integritatis, religionis, pietatis tuæ teſtimonium, viri quo robore, quibus radicibus, C. F. Sfondratus, & F. Craſſus? qui duo ſunt pro centum millibus: quoniam Senatui populóque Senenſi acceptiſſimi, gratiâ & autoritate plus poſſunt, quàm cæteri omnes. Ego cras, ſummum perendie, Senas ibo: cum amicis, propinquis, cognatis colloquar. patronus, ſi opus eſt, advocabitur: dabitur pecunia, eroque omnibus rebus vel vitæ periculo ad te defendendum paratus. Antequam in arcem redeam, ſcribam omninò ad te. Tu interea, quoad potes, velim tranquillitati animi ſervias, adverſam fortunam rectè feras: neque ipſe tibi tu moleſtias addas, neque te afflictes. Vale.

6. Aonius Palearius Fauſto Bellanti S.D.

POſt cœnæ tempus, cùm ad focum ſederemus, redditus eſt mihi faſciculus literarum tuarum; quibus perlectis, acquievi aliquantulum, ſed animo planè non ſum confirmatus. Nam neque mihi dubium eſt, C. & Craſſum fortiſſimos viros non defuturos: ſed ii non plus quàm noſti, & ne benignè quidem polliceri poſſunt. In quam hominum inſcitiam inciderim, nolo te ignorare. Cùm in Senatu L. Aulœtæ literæ de Ilicinienſibus recitarentur, Cotta & Belides traducere mentes Senatorum aliò nitebantur. Itaque cùm in oppidanos ſententiæ ſeveræ & graves dictæ eſſent, & vehementer laboraretur, præter rem multa Belides de me. Quid quæris? mera monſtra. Cotta aſſerebat, me ſalvo, veſtigium religionis in civitate reliquum eſſe nullum:

quòd

quòd aliquando rogatus, quid primum eſſet generi hominum à Deo datum, in quo ſalutem collocare mortales poſſent? reſponderim, Chriſtum. quid ſecundum? Chriſtum. quid tertium? Chriſtum. Tu vide jam, in quæ tempora inciderimus. Nemo eſt inventus, qui auſus ſit in cauſa tàm bona ſe patronum præſtare. Franciſconius aderat, ſed noluit in odia tàm acerba incurrere. Aberat avunculus tuus: ſed ſi adfuiſſet, non magnâ quidem ſpe fuiſſemus: quòd in tantis anguſtiis, dici non poteſt, quàm ſim ab illo deſertus. etenim potuiſſet gravi oratione vel reprimere, vel retardare adverſariorum impetus: præfectum ſacrorum orare, obſecrare, obteſtari ob vicinitatem, & magnum uſum, quem cum illo habet. horum non modò nihil fecit, ſed ne ſtudium quidem & operam ſuam mihi unquam eſt pollicitus: quod ſolent adumbrati etiam amici. Omnia, dum pater vixit, ab eo mihi erant paratiſſima: nunc, ſeu vitio acceſſionis fortunæ (quòd omnes, dum egemus, ſumus humaniores) ſeu à Cecilia abductus, cujus ille verba cenſet λόγιον πυθόχρηστον, à noſtra conſuetudine refugit. Manus conjuratorum permagna eſt, plebs accenſa; ut quiſque in nos acerbiſſimè, crudeliſſiméque loquitur, ità quàm maximè pius habetur. rejecta res omnis eſt ad Arceſilaum, ſi veræ ſunt Placidi literæ. Quid exiſtimas ab eo proficiſci poſſe, qui nobis nunquam fuit amicus? quâ causâ, neſcio. Malum erat, rem deferri ad ſenatum: niſi hoc pejus, agi poſſe ſine legibus, ſine judiciis, ſine jure. quæ cùm miſerrima ſint, Chriſtus tamen meus mihi ſpem facit, quem ſanctè & auguſtè ſemper colui. Si impetrari poteſt, ut teſtes me præſente producantur, vicimus: homines à mendacio compoſiti, ardorem vultus mei non ferent. Magnificè nimis tibi videor fortaſſe loqui. Si ferent, curabo ut imparati rurſus teſtimonium dicant. Incredibilis eſt oblivio hominis mendacis. Sed nunquam illi, mihi crede, ſe in conſpectum dabunt.

bunt. agent omnia ſubdolè, concitabunt odia, rumores ſpargent: ut mulieres, pueri, ſervitia, ſiquando occurrant, involent mihi in oculos unguibus. Tu velim Senis eſſes: ſi fortè non es, tabellarii præſtò eſſent, Placidum convenires. Ubi ubi tamen eris, quid agatur, quid actum ſit, quid futurum etiam opinêre, diligentiſſimè ad me perſcribas. Ego ſi quid interea ſtatuero, faciam te certiorem. Vale.

7. Aonius Palearius Fauſto Bellanti S. D.

ETſi dici non poteſt, quanto cum animi mei ſenſu ac dolore caream rebus mihi chariſſimis: quamque abs te invitus abſim, qui propè æquè dolendo conſolari, & commentando admonere poſſes, quid in hac re agendum ſit, tantâ præſertim frequentiâ conjuratorum, quâ nihil mihi in Hetruria tutum fore exiſtimo: Maſæus tamen noſter ita à moleſtiis conatur abducere, ut acerbitatem, quam ex ſignificatione rerum indigniſſimarum accepi, melius feram. & in ea urbe, in qua nihil eſt præter hunc & Cincium quod me delectare poſſit, tàm lubens ſum, quàm in Ceciniano, & Areola. Homo omnium officioſiſſimus nihil eorum præterit, quæ vel conſolationem afferre, vel adjumento eſſe poſſunt. Et quoniam ab initio ætatis me iis ſtudiis fuiſſe deditum memoriâ tenet, quibus ipſe magnam gloriam eſt conſecutus: hiſtoriam quandam, & illuſtrem explanationem rerum, quam ex notis numiſmatum antiquiſſimorum collegit, mihi recitat. ea quoniam puris & electis verbis compoſita eſt, numeroſa & multiplex, ita me delectat, ut ſæpè ad multam noctem lectionem producamus. Fructus verò quem ex liberalitate ejus Viri capio, is eſt ampliſſimus: quòd nihil omninò ſe habere putat, quod non ſit meum. Numiſmata mihi donavit: pecuniam, libros, liberaliſſimè omnia pollicetur. Hæc ego ad te, quod erat

erat in iis literis quas Paſalius attulit : ſi tædet te tuorum Romanorum, redi obſecro ad nos. Sic habeto, virum egregium eſſe Maſæum : num in tantis fortunæ acceſſionibus quicquam de priſtina voluntate remiſit, aut immutavit? Eſt illud quidem Lampridii mei certiſſimum : Cum diis hoc habet vera nobilitas, ut vel ſecundis quantumvis rebus, neque tumeſcat, neque cæcutiat. Is me adhuc humaniſſimè retinet, graviter ſe laturum oſtendit diſceſſum meum. Hernici tamen expectant : ſed longa via eſt, nec ſatis tuta. Algidi ſylva latrociniis infeſtior facta, Vallis montana obſeſſa dicitur, Columnii ſunt in armis: nihil agam temerè, non tàm meâ cauſâ, quàm quòd tu ita jubes. Hæc uxori meæ, quæ de me plus etiam quàm oportet ſolicita eſt, cave dicas, ne ad metum hoc etiam. nam, ut audio, miſerrima eſt omnium mulierum : quod ego cum fletu ſcribo. fortiter enim ferre nequit fortunam noſtram, & in lachrymis jacet totos dies, & mœrore conficitur: ea cogitat, quæ fideliſſima conjux, quæ prudentiſſima fœmina, quæ accidere poſſunt: ne acciderint, Dii adhuc prohibuerunt. Conſolare eam verbis meis, ſi in municipium Collinum profecta eſt, & vos in caſtrum Mætianum ibitis. Obſecra matrem, ut eò divertat. ſi ſpes nulla melior erit, fingat aliquid ſaltem, ut è luctu miſeram abſtrahat. Nam quod ſcribis de Arceſilao, cujuſmodi ſit, non ſatis intelligo. Mitto ad te exemplum earum literarum, quibus Volaterrani ſolicitati ſunt. Is ut ab ea mente deſiſtat? non credo. nam ſi amicus eſt, quid ergò ejus pueri Florentiæ ſunt? quid inimicitias extinctas ſuſcitat? Nihil homini deliberatius eſt, quàm ut me, quacunque ratione poſſit, evertat. Sed ego jam humana contemno : fortiſſimo animo ſum. ſi quid adverſi accidat, commendo tibi liberos meos : ſuſcipe, ac tuere pro tuis. ſi vixiſſem diutius, multa mi Fauſte abs te in me officia proficiſci neceſſe erat : ea omnia in ejus liberos confer, qui ut fortunas tuas,

& patris dignitatem, & vitam tueretur, potentiſſimorum hominum inimicitias ſuſcipere non extimuit: ut vos parvulos ſervaret, patriam & ſuos reliquit, ſolum vertit. Liberos meos tibi commendo, mi Fauſte: illudque memineris, quod dico, non modò ut me imitere, ſed ut vincas etiam. Cùm pater tuus Patavio abiens, paucis antè diebus quàm moreretur, te & fratres mihi commendaſſet: ſic ejus verba hæſerunt in animo, ut nunquam exciderint: ſic inflammarunt, ut neque morte putem extingui poſſe commendationem clariſſimi Viri. Vale, pridie nonas Martias. Romæ.

12. Aonius Palearius Pterigi Gallo familiari ſuo S. D.

VEllem in meis graviſſimis & moleſtiſſimis temporibus in Hetruria eſſes. Joannelli quidam, fex populi Senenſis, diem mihi dixerunt. Deus nos juvet: nam inimiciores ſunt Chriſto, quàm Parthi. Poſſem ego vitare periculum, ſed nolo: ne culpa aliqua ſubeſſe videatur. Judicium non metuo, qui ſum innocens: nec vitæ ſum cupidus, flagrans infamia. Magna me ſpes tenet, ſi contra turpiſſimos teſtes dicere poſſim, & accuſatoribus reſpondere, ut huic invidiæ finis aliquando reperiatur. Judex nobis futurus eſt antiſtes graviſſimus, F. Bandinus, frater Marii mei. Hominem mihi ob ſtudia amiciſſimum, à me propè abalienarunt furiæ illæ: quæ, ut intelligo ex literis hodie ex Hetruria allatis, adhuc ignorant, me Romæ eſſe: quæ res peropportunè cadit. Sadoletus, homo cùm doctus, tùm ſanctus, omnium meorum non modò ſtudiorum, ſed cogitationum maximè conſcius, legatus in Galliam proficiſcitur: permagni intereſt, ut eum conveniam Senis, quaſi ex municipio Collino veniens. Iiſdem literis ſignificabatur, Florentiæ ſolicitari veteres adverſarios. Multa mihi uno tempore ſubeunda ſunt: vereor,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

vereor, ne poſſim ſuſtinere. Tuâ nunc mihi fide, diligentiâ opus eſt. Quare cùm primum has legeris, para, accinge, expedi te, inſili in equum, vola: tui amoris eſt, magnis itineribus contendere, ut antè etiam, quàm fieri poſſit, me conſequare.

9. Aonius Palearius Pterigi Gallo Familiari ſuo S. D.

Commodùm in taberna Viterbienſi aſſederam, paulò ante noctem: cùm Fabius curſor è Gallia venit, manè in urbem iturus. Haud ab re duxi, ad te aliquid literarum dare. nam cùm cœnati cubitum iviſſemus in idem conclave, ille continuò ſtertere cœpit: ego ſomnum capere non poteram. Legi diligentius eas literas, quas ex Hetruria ſuperiore die acceperam: cognovi conſilium inimicorum. nihil illis eſt deliberatius, quàm ut uno judicio occupatum, altero implicent, ne poſſim emergere. Cùm omnia cogitatione perluſtraſſem, nihil mihi viſum eſt fieri poſſe prudentius, quàm antè quàm hoſtes ſeſe moveant, intelligant omnia à nobis teneri. Scripſi epiſtolam benè longam ad Thomam magiſtrum ſacri palatii, quam ad te mitto cum his literis. putabam enim fore, ut quo tempore tu Cœlimontana introires, Fabius Flaminia. Peto à te majorem in modum, ne quam moram interponas, quin quàm primum ad Bembum afferas faſciculum literarum. Cave facias, ut te pudor aliquis deterreat. Patavii ſæpè cum eo collocutus es: quid times? facta eſt Bembo acceſſio fortunæ, non abſceſſio humanitatis. Omnia erunt ex ſententia, ſi animus, ſi fides, ſi diligentia tua non deerit. Memineris, te ſæpè, præſente me, Deos oraſſe, ut aliquid accideret, in quo ego tuam fidem & diligentiam cognoſcerem: nullum fuit tempus, quo magis ego indiguerim operâ tuâ. Philonardi Romæ ſunt, eorum exi-

eximium & ſingulare ſtudium eſt, in defenſione ſalutis & dignitatis meæ. hos tu conveni quotidie. Cincium quoque: nam iſte nos verè amat. cæteros, quos non noſti, eſt omninò difficile ut convenias, iſta præſertim virginali verecundiâ: in quam ego multa eram ſcripturus, niſi me lucerna defeciſſet.

10. Aonius Palearius Thomæ Magiſtro ſacri Palatii S. P. D.

NIſi ego te ſummâ probitate Virum ex iis laudibus, quæ de te pulcherrimè perferuntur, cognitum haberem, ad bonorum injurias ulciſcendas, innocentiamque tuendam, tuâ ſponte ſatis eſſe incitatum: nunquam ego ſic meis literis confidiſſem, ut tuâ operâ furioſiſſimi atque iniquiſſimi hominis, adverſarii mei, non modò ſuſtinere, ſed reprimere impetum me poſſe arbitrarer: præſertim cùm homo ille inſaniens, omnia intentarit, ad omnium pedes ſe abjecerit, ut aliquam mihi moleſtiam ſuis præſtigiis exhiberet: faciléque poſſim ſuſpicari, ejus perverſa hâc diligentiâ aliquid fortaſſe ad te de me jam iniquius fuiſſe delatum. quod ſi factum certò ſcirem, purgarem ego me tibi primùm, homini æquiſſimo: deinde ut cumulatius ſatisfacerem, appellarem hic ego Bembum, Sadoletum, Polum, Cervinum, Philonardum, Viros optimos, & ſanctiſſimos, virtute ipſâ in altiſſimum locum provectos: ex quibus omnem vitam meam, mores, ſtudia, potuiſſes cognoſcere: quorum ego teſtimonia ejus dignitatis puto eſſe, ut nihil apud bonos poſſit excogitari religioſius. Hæc non eò dico, quòd mihi in dubium veniat humanitas & æquitas tua: aut quò verear, ne meis literis parvam fidem ſis habiturus: ſed ut facilè homo prudentiſſimus intelligas, ſi quis injurioſus in me maledicto extiterit, quàm verax is eſſe poſſit, qui cum tan-

tis & talibus viris non conveniat. Nunc multa omittens, quæ in medium proferre poſſem, ea breviter attingam, quibus tu meam integritatem, impurumque animum adverſarii mei poſſis cognoſcere. Cùm ſuperioribus annis emiſſem villam A. Cecinæ, quæ fuit in agro Volaterrano: & oppidani Collini, in quorum finibus nunc Cecinianum eſt, me ſummis honoribus affeciſſent: convenere me officii cauſa, incredibili humanitate philoſophi duo, ejus quidem artis, quæ naturæ conſiderationem continet, bene periti. Ii cùm familiariter accepti, cœnaſſent etiam apud me, nonnulla ex iis quæ ſubobſcurè ſcripſit Ariſtoteles, in quæſtionem vocaverunt. Poſtridie ejus diei, allecti credo ſtudiorum ſimilitudine (qua nihil eſt potentius ad jungendas amicitias) poſt cœnam ad me redierunt, & quædam quæ in libellis meis de Animorum immortalitate carminibus proſecutus fueram, petiverunt à me ſibi repeti altius, familiariusque ediſſeri. Id cùm ego feciſſem, neceſſe fuit multa à me adduci ex ſanctiſſima facultate Theologorum, quæ me ſemper mirificè delectavit. At verò, quia cum iis ſermo erat, quorum ingeniis nihil ego vidi acutius: alterque eorum Dialecticam publicè docebat, alter in diſciplina Peripateticorum ætatem conſumpſerat: tractavi locos communes argumentorum non indiligenter. Venerat fortè illis ipſis diebus homo quidam in oppidum, animo audaci & ſubdolo, ad concionandum. is primùm (puto, ut expectationem faceret) jactare, ſe in Thomam Vium Cajetanum ſcribere, quòd multa in ejus libris errata deprehendiſſet: deinde quia parum id credebatur, prædicare, ſe in Germanorum aſſertiones editurum volumina. Eo rumore ego quoque adductus (præſertim quòd, cum faciem videas, videtur eſſe quantivis precii) acceſſi ad eum perhumaniter, interrogandóque cœpi experiri, quid in Peripateticis poſſet. Ubi philoſophiæ prorſus ignarum, ſed verboſæ contentionis avidiſſimum novi,

ne-

neque Græcè neque Latinè ſcientem: Thuſci etiam dicendi generis, quod & lepidum eſt, & venuſtum, propè imperitum: cœpi percontari quoſdam domeſticos ejus, de voluminibus in Germanos. Ibi homo facetus exclamat, furem eſſe in oppido: vidiſſe ſe, Echium, Roſenſem, Marcellum, Lancilotum malè compilatos: in tot furtis indignum facinus comperiſſe: ornamenta omnia, ſi qua in illorum libris eſſent, hujus opera tenebris involuta, barbarie reſperſa, conveſtita paupertate incredibili orationis, & infelici ſiccitate verborum, omnibus contumeliis affecta. Hic cum ego riſiſſem, neque ad ejus quotidianas conciones accederem: delatumque etiam eſſet, ridere me ejus ſcripta: quid putas potuiſſe ſe hominem ferocem, ambitioſum, arrogantem continere? Vultu, colore, motu corporis atque animi varius, manè in concionem prodire: conclamare, illatam ſibi eſſe injuriam: flere, obſecrare, obteſtari oppidanos, ſolicitare plebem in meam perniciem: occaſione item accepta diſputationis, quæ mihi cum phyſicis fuerat, impingere infamiam, & capitis accuſare, conjurationem facere cum aſſeclis ſui ſimillimis: conſilia inire, quibus non modò oppidanorum animos averteret, ſed raperet etiam in invidiam Principis optimi florentiſſimæ civitatis totius Hetruriæ. In has ſalebras cum me quaſi joco incidiſſe viderem, & licentia quadam furere adverſarium, egreſſum jam omnes modeſtiæ cancellos: neque ſi tacerem, in probris vomendis, in concionibus finem ullum eſſe facturum: ſcripſi biduo Apologiam, per quam incuterem primùm homini impudentiſſimo timorem: ut agnoſceret ſeſe aliquandò, inciperetque vereri, ejus inſcitiam poſſe ante oculos eruditorum nudari: intelligeretque, nihil ſibi in vulgari illa loquacitate præſidii fore. deinde ſi ad Principem civitatis, illuſtrem quidem, & excellentem imperio & ingenio juvenem, cauſam (ut minabatur) deferri curaſſet, perfectum jam eſſe in-

induſtria mea, proviſumque, ut nihil mihi ab mendo, ex quo homo totus eſt compoſitus, periculi eſſet. Ad hæc, illud accedebat, quòd de virgine ſanctiſſima, cujus nomen reverentiæ & pietatis plenum eſt, edictum graviſſimum concilii Baſilienſis contempſerat inſolenter, ut ſolet omnia. Credo propterea, quòd nullum inſcitiæ propius conjunctiusque malum eſt, quàm arrogantia: qua ſibi hic omnia licere putat. Eam ego Apologiæ partem exiſtimabam oppidanis fore non injucundam, quáque poſſem eorum animis mederi, quos ille magnis clamoribus abalienarat, & ſuſpicionibus propè infecerat. ſcripſi Apologiam, ut dixi, biduò: miſique eam ad Petrum Victorium, civem egregium Florentinum, vitæ integritate, morumque modeſtia, & liberalibus ſtudiis excellentem. Id cum reſciſſet adverſarius, legiſſetque Apologiam, cujus copiam feceram, mirum eſt quàm præter omnium opinionem animo ceciderit. Curatum interea tamen eſt ab optimis viris, qui in oppido erant, ut cum illo redirem in gratiam. Itaque humaniſſimè acceſſi ad eum. ille me dextra prendens, purgavit ſeſe de injuriis illatis: culpam in iræ motus repentinos rejecit. Accepi ego excuſationem, ſimultates omnes Chriſtiana pietate depoſui: offenſionem, odiumque omne ex animo delevi: Apologiæ item exempla, quæ ad nonnullos mittere ſtatueram, conjeci in ignem, ne quod alicubi inimicitiarum veſtigium appareret: unum tantum apud me exemplum relictum, alterum habebat in manibus Victorius, tertium erat apud adverſarium. Rebus ita compoſitis, cum is ad ſuos rediiſſet, nihil ego jam ſuſpicabar, nihil metuebam, præſertim cum biennio amplius nihil mihi cum rabula negocii fuiſſet: & ego relictis magnis iſtis cauſis theologorum, retuliſſem me ad manſuetiores Muſas. Itaque cum omnia quieta putarem, ecce ad me literæ ab amicis: furere nunc adverſarium meum, jactare ubique minas, rumores non honorificè de me

me ſpargere, turpiſſimè in concionibus appellare: epiſtolas etſi nulla Latinitate plenas, tamen omnium in me probrorum, recipere ſe cum libello editurum, nihil niſi contumelioſum cogitare: muneribus quoſdam ſubornaſſe etiam, ut Romæ maledictis onerent, faciantque invidioſum me apud Dominicanos: nihil fermè per biennium curaſſe, niſi ut quàm plurimis incommodis me ſolicitum reddat. quæ omnia, niſi reſtitiſſent optimi viri, amici mei, non dubito obnixè fuiſſe facturum: magis ut eruditionis nomen apud plebeculam aſſequatur ex contentionibus iſtis, quàm ut mihi periculum creet. nam hoc ipſum, ne quis me lædere poſſit, faciet, ut ſpero, vita mea, & ſpectata ſtudia à puero: quorum ut imaginem aliquam videre poſſis, mitto ad te orationes, quas ſcribere incœperam: nòn quòd in illis tale aliquid ſit, ex quo me præclaram aliquam laudem conſecutum putem: ſed ut omnibus modis intelligas, quàm iniqui homines ſint, qui non ſinant me in iis ſtudiis acquieſcere, in quibus fixi mentem, & cogitationem meam. Quod igitur per ingenium tuum, & virtutes animi egregias à te peto, breve eſt, ut ſi quid ille unquam de me iniquius deferendum curarit, non modò ejus impudentiam redarguas, ſed ejus audaciæ ſatellites & adminiſtros tua gravitate frangas. Quòd ſi quis Apologiam produxerit, qua bellua putat me capite oppugnari poſſe: in qua tamen, ut arbitror, nihil tale eſt, quod boni cujuſquam animum poſſit offendere, niſi quòd ſint in ea quædam fortaſſe liberius dicta: aſſeras, id omne factum ejus culpa, qui in concionibus nullam Chriſtianæ modeſtiæ, nullam pietatis rationem habuerit: ſed laceſſiverit impiè, pupugerit petulanter, turpiſſimè appellarit, fœda & falſa quædam, & me quidem (ita me Dii ament) omnino indigna ad populum evomuerit. Quòd ſi tam cupidè, tam effrenatè alterius lædendi libidine efferatur, ut non intelligat, eos qui religioſi.

ligioſi appellantur, debere moribus eſſe temperatiſſimis, cautum eſſe legibus majorum: curaturumque eſſe te, qui loco tam excelſo & illuſtri ſedeas, ut ſentiat id ſuo cum magno malo. Sed quid ego te, quem ſuaviſſimis literis ad amicitiam allicere debebam, moleſtiſſimis obtundo, cauſa leviſſimi hominis? Obſecro te, mi humaniſſime & doctiſſime Thoma, ne id mihi vitio des: ſed importuniſſimo homini, adverſario meo: cujus ineptiæ tam multæ ſunt, ut inimicis quoque ſuis non nihil impertiat. Ejus ego audaciam, quæ in urbem quoque (quod vix credo) pervolaſſe dicitur, ſi intellexero aliquando tua opera retuſam: faciam profectò, ut ſi non tam multis verbis ſcriptas, at ſuaviores poſthac à me literas accipias, plenas quidem amoris & obſervantiæ erga te meæ. Vale.

11. Aonius Palearius Pterigi Gallo Familiari ſuo S. D.

IDibus, jam veſperi, cum veniſſem in ſuburbanum Bellantis, Senas non ſum ingreſſus: quòd in ea civitate nihil mihi tutum, nihil inſidiis vacuum putarem. Manè paulo antè lucem, ne quis conſpectus fieret, iter faciebam per vallem Marcianam: atque eo die putabam in municipium Collinum. in Clivo offendi muliones Furii tui, quibus in via dedi hoc literarum. Amico noſtro dicas, noluiſſe me nominatim appellare adverſarium: quòd neſciam, an quæ ad me allata ſunt, vera ſint omnia. ſi ille, ob reconciliatam gratiam, me non lædendum putat: ego eum non modò non lædendum, ſed ne offendendum quidem arbitror. & certè ad rem nihil intereſt: adverſarius nobis eſt, quiſquis negotium faceſſit. Bembum convenias quotidie. homo acutus & prudens, intelliget te mea cauſa Romæ eſſe: nihil differet, ut expeditus ad nos reverſare. Philonardi ſatis per ſe incitati ſunt: ni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

hil eſt quod labores. illud potius cura, ut ſciam, qua die Sadoletus Roma exibit. Eo præſente, mira alacritate ſum ad pugnandum cum accuſatoribus, & mendaciſſimis teſtibus, ſi prodierint. Sed ille fortaſſe exivit: nam Senis ea apparari audio, ut non poſſit longè abeſſe. angor ſingularum horarum expectatione.

12. Aonius Palearius Franciſco Bandino Archiepiſcopo Senenſi S. D.

ETſi mecum ipſe ſtatueram, niſi cognita cauſa, abſolutóque judicio, nihil omnino ſcribere ad te, ſumma prudentia, amplitudine, & gravitate virum: ne meæ primæ literæ, quas ego & ſuaves & jucundas eſſe volebam, moleſtiæ aliquid haberent, & offenſionis. Solet enim fieri, ut quæ principio ſtomachum fecerint, nunquam poſſint eſſe jucunda. Quamobrem conſultò in illud tempus differebam, quo tibi gratiæ agendæ eſſent, vindici veritatis ſanctiſſimo, & patrono optimo innocentiæ meæ. Fregit tamen hoc conſilium improbitas adverſariorum meorum, qui Chriſtianæ pietatis umbram fortaſſe aliquam tenent, ſolidam atque expreſſam effigiem certè nullam. Nam quòd me in vulgi voculas objecerint, quòd ſervierint invidiæ atque odiis, quòd dolo malo & rumoribus concitarint in me infinitam hominum multitudinem, non puto eos didiciſſe à Chriſto. Sex menſes ſunt ipſi, quibus præterea aliud actum curatumque eſt nihil, niſi ut indigniſſima accuſatio confletur, allegentur florentiſſimi homines civitatis, conſtituantur quàm plurimi teſtes partim è plebecula, tenues, atque ita rerum de quibus teſtimonium dixerunt imperiti, ut ſi quis alius non indiligens roget, peream niſi vel non illa eadem, vel pugnantia loquentur: partim ex nobilitate irati, factionibus accenſi, non idonei vel ex eo, quòd cum iis nullus mihi uſus, nulla

nulla conſuetudo, nullus ſermo unquam fuit: nihil mearum ſcriptionum legerunt: quæ etſi cujusquam pii animum non poſſunt offendere, in iis tamen conquirendis, ut ob idipſum in ſuſpicionem vocarent, adverſarii cœlum & terras miſcuerunt. Quæ omnia, quis non intelligat, ad infamiam, ad notam mihi inurendam pertinere? Nemo enim fuit unquam tanta ſanctitate, qui ejuſmodi teſtium concitatione, & ſiniſtra diligentia accuſatorum, cavere ſatis potuerit. Omitto Socratem, & Scipionem, Rutilium, Metellum: fuit in his aliquid, quod vitio dari poſſet. An non ſic olim, quo nemo melior, nemo ſanctior, circumventus eſt innocentiſſimus Chriſtus? Facile eſt verba ab imperitis, & invidis multis, ſingillatim non una de re extorquere, quæ Sophiſtes poſſit improbare. Recitantur ſæpe etiam aliter, ac dicta ſunt: plerunque in aliam partem accipiuntur, quàm ab autore ſunt pronunciata. At quò ſe vertat vir bonus? quem imploret, aut appellet? ubi non modò verborum, ſed animi ſui ſenſum, emiſſarios & obtrectatores videat interpretari? Serpit interea rumor, & aliquid de ſuo addit: multi ex auditionibus moventur, & ſecundum fidem & religionem exiſtimant ſe teſtimonium dicere: ſi quid reus auxilii habet, hoc etiam antevertunt. Ecquid, Dii immortales, ab iſtis ipſis eſt prætermiſſum, ut C. Franciſcum Sfondratum, lectiſſimum & maximè illuſtrem virum, Patrem patriæ tuæ, & Franciſcum Craſſum Prætorem & fortiſſimum juſtitiæ ducem, conſervatoremque æquitatis, abalienarent? Quid? ſi te, tanta gravitate & conſtantia virum, peramantem mei, cujus mehercule imago in animo mihi ſemper verſatur, cum de fide, de pietate in amicos ſoleo cogitare, propè abduxerunt? Nam probitatis opinione ſublata, quæ mirificè conjungit ac conglutinat animos, amicitiæ vincula relaxantur. Itaque ut ab amicis imparatior eſſem, exiſtimationem meam,

ſi qua mihi eſt, quæ parva ſanè eſt, & perexigua, ſexcentis locis oppugnaverunt. Atque ut veteres injurias præteream, quid de recentibus dicam? ob rumores, quos ſpargunt in civitate. Proximis enim diebus, cum ſanctiſſimus vir Sadoletus legationem obiret, & per Hetruriam iter faceret, fuiſſetque apud te, veniſſemque eum ſalutatum: commendavit ille me tibi majorem in modum, cum teſtificatione etiam ſtudiorum meorum, & amoris in me ſui. Viſus eſt hic mihi animus tuus ſuboffenſus. nam accepta eſt commendatio duriuſculè: exaggerata ſunt item omnia, quæ adverſarii puſilli & malevoli, invidioſe ſuperioribus menſibus objecerant. Quæ res etſi me conturbavit, reſpondi tamen modeſtè & humaniter, culpamque omnem in eos rejeci, qui de me aliqua ad te iniquius detuliſſent. Vix perveneram ad Virginis, cum mihi nunciatum eſt, in foro ſermonem opera adverſariorum increbreſcere: dicere alios, me accuſatum turpiter tacuiſſe, neque verbum potuiſſe proloqui: alios, reſpondentem graviter objurgatum à Sadoleto: quorum utrumque tam falſum eſt, quàm quod maximè. Reſpondi enim, quantum mihi eo tempore viſum eſt ſatis: vel habenda ratio non erat dignitatis, amplitudinisque tuæ? Egóne in conſpectu Legati obſtrepere audeam antiſtiti ſancto, atque auguſto? quem colui ſemper, & obſervavi. non faciam. Hujuſce modeſtiæ neque me pœnitet, nec pœnitebit unquam. Aberant accuſatores, abdiderant ſeſe teſtes: qui ſi auſi fuiſſent ſe in conſpectum dare, audiſſent fortaſſe multo plura quàm voluiſſent. Huc accedit, quòd illo ipſo die cum Senas veniſſem, præſtóque mihi fuiſſet Ambroſius Spannochius, antequam ſalutaſſet dexteram porrigens, ut ſolet: Hem, inquit, Aoni, quàm tibi gratulor: invidiæ nihil loci eſt: habes defenſorem tui, optimum virum. Cum interea conſediſſemus, narrabat mihi, Senatores vel nobiliſſimos quatuor fuiſſe ad te veluti à Senatu miſ-

miſſos, qui percontarentur de vita, de ſtudiis meis. ibi te tam amicè & liberaliter reſpondiſſe, ut dejeraret, nihil mihi per te deeſſe ad ſummam gloriam. Quare cùm horâ ſextâ diei veniſſem ad Sadoletum ſalutandum, veneram etiam ut te viſerem: gratus quidem, & memor, qualem me natura finxit, qui non injuriam pro gratia, ſed gratiam pro injuria referre velim, & cupiam: quíque ſi tantulum benevolentiæ oculis, ore, vultúque ſignificetur, contumelias & ſimultates deponere ſciam, & poſſim: idque puto in primis eſſe Chriſtianum. Id adverſarii nunquam didicerunt; ſed injuriâ augere injuriam, & odio cumulare odium. Eò ſpectat, quod de objurgatione commentantur. an quòd à Sadoleto amicus ſum appellatus: quòd teſtimonium datum eſt, me de iis rebus, quæ in quæſtionem vocantur, Romæ ſecum diſſeruiſſe: nunquam diſceſſiſſe me aliâ opinione, quàm quæ firmiſſima ſemper eſt habita: id vero non fuit perhonorificum? Adhuc cum objicerentur quædam, quid humanius, quid lenius cogitari poteſt ejus admonitione? cùm is, qui dignitate, autoritatéque ſuâ imperare poſſet, ut eſt humaniſſimus, oravit, ne rerum novarum ſtudioſus eſſem. Cui cùm reſpondiſſem, me novarum rerum non eſſe ſtudioſum, qui putaſſem nunquam quicquam eſſe veritate antiquius: cumque in digreſſu te præſente vocaret, & eadem repeteret: recepi, eâ mente me ſemper fore, quam bonus quiſque optimam ſemper judicaſſet: hæc gravis, hæc turpis, hæc fœda objurgatio fuit? Habuit, fateor, oratio Sadoleti ponderis apud me tantum, ut enixè ſim curaturus, ut in his quæ pietatem lædunt, non modò à ſcelere abſim, ſed ſuſpicione etiam vacem. At quòd is Vir, quem tanti facio, quanti præterea neminem, iratus, acer, contumelioſius in me fuerit: tàm mentiuntur adverſarii mei, quàm ſolent ſemper. Hæc à me pluribus fortaſſe, quàm oportet; cupio enim, & jam pridem cupio, ingenia le-

vitatis, impudentiæ, arrogantiæ pleniſſima, in hoc meo caſu dignoſci. nam quæ de te graviſſimo Viro etiam loquantur, coram fortaſſis aliquando. Extant eorum literæ, quibus ſe ſummis precibus abs te ad accuſandum accitos aſſerunt: conjurationem tuo conſilio in me factam, ſolicitatos inimicos meos Volaterris & Florentia uſque literis tuis. Quæ omnia non eò dico, quo mihi in dubium veniat tua fides, candor, integritas honeſtiſſimæ familiæ Bandinæ: ſed ut eos jam cognoſcas, qui ad te curſant, homines mendaces, veteratores, qui ut accuſatorium nomen abjiciant, quod illiberale ac ſordidum apud omnes gentes & nationes ſemper fuit, ſummâ amplitudine & dignitate antiſtiti objicere non verentur. Piget enim credo miſeros, ac pudet, quòd tantas mihi tragœdias excitarint: qui nihil ſanctum, nihil firmum in meis dictis, ſcriptíſve eſſe volo, niſi quantum probet ἐκκλησία καθολικὴ, ϗ ἀποϛολικὴ. quam ſententiam plenam animi, plenam ſpiritus, plenam pietatis, veluti firmiſſimum teſtimonium depono apud te ſanctiſſimum Virum: quòd ſacrarium nullum ſciam religioſius: ex quo, ſi quando uſu venerit, expeditius depromere illud ipſum poſſim ad frangendam improbitatem, & retundendam audaciam adverſariorum meorum. Vale, ex municipio Collino.

13. Aonius Palearius Horatio Malevoltæ Equiti S. D.

EX literis amicorum, & ſermone omnium qui ad me veniunt, de tuis magnis erga me officiis, & benevolentiâ iſtâ incredibili, quotidiè accipio mea ſumma cum voluptate. non mehercule cupiditate rei alicujus, quam tu cum optimis & florentiſſimis juvenibus, omni ſtudio & diligentiâ ab Octoviris petiſti: ſed admiratione ingenuitatis animi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

mi, & ingenii tui. Nam mea erga te merita, neque tanta, neque ejuſmodi fuerunt, ut mea cauſa tantopere ſit elaborandum: præſertim cùm ſuſcipiendas tibi ſimul videam inimicitias potentiſſimorum hominum, qui veluti furiæ quædam ad perdendas familias, ad delendos civium ordines nati, unius hominis calamitate contenti eſſe non poſſunt. In horum ego te furores incidere nollem, qui odio inveterato ratione certâ regi nequeunt. Sicuti enim in hyeme, cùm plures dies tempeſtates ſecutæ ſunt, ſi ſerenitas cœli aliqua contigerit, ſubitò non eſt credendum: ſic iis qui factionibus omnia evertere conſuerunt, ſi meliore formâ Reipublicæ conquieſcere viſi ſunt, fidendum non puto: meliuſque, ſi tibi videtur, petitio dimittenda eſt, quàm committere, ut in diſcrimine verſetur dignitas utriuſque noſtrûm. Si non impetrabis quod tanto ſtudio & contentione poſtulas, quâ lætitiâ afficientur adverſarii? Si impetrabis, quid tandem? præmia interpretationis perexigua ſunt, labor ſuſtinendus non mediocris. Scriptiones meas neque tu, neque ego (quanquam ineptiſſimæ ſunt) ita parvi facimus, ut iſto ſtipendio compenſemus. Quanti verò illud eſt, quòd impuriſſimi homines rogandi atque obſecrandi ſunt? quos ego, ſi obvii mihi fiunt (fiunt autem quotidie) nunquam ſaluto. Hoc munere accepto (me miſerum) ſemper erit aſſurgendum. Si qui me accuſant, quòd mihi ipſi deeſſe videar: non modò in bonam, ſed in optimam partem accipio. ex amore enim quodam in me præſtantiſſimorum juvenum proficiſci video, expectatione ſtudiorum. Eam ob rem magnos concurſus fieri audio ad ædes Octovirûm. Quàm vellem, ſi commodo noſtro fieri poſſit, ſatis ad referendam gratiam facere honeſtiſſimis juvenibus: vereor, ne cùm ſenſerint me ita frigere, eorum animos offendam, quibus placere ſummopere cupio. Tu, quæ tua eſt humanitas, eorum deſiderium leni, ſi graviter ferre intelliges: potius quàm abalie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

nemus, faciamus ut jubent. Perge quo cœpiſti ordine. Pater tuus, clariſſimus Vir, multum nos commendatione adjuvabit: ejus conſilio cupio te omnia adminiſtrare, quòd officioſus eſt, & diligens, & prudens, & mei amantiſſimus. De Fabiolo, quem animo in nos inimico eſſe dicis, nihil miror. miſeret me adoleſcentis, qui à Macho Blaterone indies virus accipiat, quod in nos turpiſſimè evomat. quodcunque hoc eſt, ex officina illius eſt, in qua barbaries, fuco Græcæ linguæ illita, triumphat. Serò tyronem pœnitebit: neque prius, quàm viderit, ſe in tantis vigiliis nihil aſſecutum, quo ſchedulam poſſit ſcribere dignam ut iterum legatur. Nullus dolor extat major, quàm is qui fit recordatione jacturæ temporis, ſive quòd vitæ curſus omninò brevis eſt, & propterea minima ejus quæque pars non negligenda: ſive quòd nobis ipſi conſcii ſumus malè geſtæ rei, de qua cum aliis expoſtulare non licet, quòd nos in cauſa fuerimus. Ejus frater valdè amatur à me, & quia urbanus eſt, & ſuaviſſimis moribus, & quia me quoque amat. hujus rationem habeo, ne maledictum maledicto trudam. Neque verò dubito, iſtum ipſum tàm averſum longè aliâ opinione fore aliquando, cùm ætatis beneficio, & uſu rerum multa didicerit: itaque nihil nobis magis eſt optandum, quàm ut vivat. Vale, ex municipio Collino.

14. M. Antonius Placidus Aldelli filius S. D. Aonio Paleario Matthæi filio.

EGo verò ſtatueram initio petitionis tuæ, quæ tibi fuit tanti, quanti eſſe leviſſima debent Viro egregio, atque homini benè docto: quicunque exitus contigiſſet, neque magnopere gaudere, neque dolere vehementer. Sed poſteaquam & præclarè tecum actum video de repulſa, & peſſimè cum ſtudioſis bonarum artium adoleſcentibus: primùm tibi gra-

gratuler neceſſe eſt, quod ex ea magnus cumulus acceſſerit dignitati tuæ: deinde noſtrâ, Reipublicæque cauſâ doleam, quod florentis virtutis tuæ fructibus jucundiſſimis carere debeat, propter hominum leviſſimorum improbitatem: quæ cùm illud non dederit, quod tu, is Vir, tàm exiguis propoſitis præmiis petebas. tantum auxit dignitatis tuæ, quantum imminuiſſet ſi dediſſet: & quantum non imminuit, tantum eripuit expectationis, in quam maximam veneramus, fore aliquando ut per te florentem haberemus in Republica juventutem. Hæc cùm ita ſint, tamen ut & melius fruaris iſto tuo tàm excellenti bono, ſimúlque interdum miſerearis noſtri incommodi, atque ut in minimis cognoſcas, quos in maximis rebus cavere poſſis: ſcribam ad te non ſolum quæ ipſe vidi, quibusque interfui: ſed quæ ab aliis audivi, quæque etiam non inani conjecturâ ducor ad ſuſpicandum. Habuiſti igitur in petitione competitores Machum Blateronem, & Licianum, quorum Blatero audaciſſimus homo, & impudentiſſimus, tantum profecit & dicendo & rogando, & interdum vehementius inſtando & urgendo, ut & tu propter quorundam ſtultitiam & inconſtantiam excluſus ſis, & Licianus non admiſſus, qui cum multæ & graves inimicitiæ intercedunt. in quo primùm illud putare debes, non judicio moveri homines in Republica, ſed partim gratiâ, partim precibus, ambitione multos: nonnullos verò etiam propter inſcitiam impetu quodam, atque temeritate duci ad judicandum. Quod quanquam plurimis in rebus antea fueram periclitatus, nunquam tamen, quàm hoc tempore in tua petitione, aut illud patuit manifeſtius, aut ego acerbius dolui vicem Reipublicæ. Quo minus admirandum eſt, ſi tu vel præteritus ſis ab Octoviris ob inopiam fautorum, atque adverſariorum copiam, vel ab nonnullis proditus per ſimulationem amicitiæ. Vides enim quàm ſint iniqua omnia, quàm miſera Reipublicæ tempora, quàm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

non liceat benè de quopiam ſperare. Nam quid illud eſt? Sp. Cæcium, & A. Blaſium Barbatum, qui magnis abs te beneficiis ornati, fatebantur olim tuâ causâ omnia & velle, & mehercule etiam debere: alterum ita Licinio favere, ut te palàm oppugnaret: alterum tàm tui clam inimicum eſſe, quàm amicum coràm? quaſi illud factum ſit: Multum oderunt, quia multum debent. Nam quòd Cæcium neque pulchrè noram, neque poteram hominem tàm ingratum & immemorem beneficiorum in animum inducere meum: tum fateor me illi aliquando credidiſſe, à quo nefas putaram decipi, aut etiam cui ne vel expedire quidem exiſtimabam: tùm quòd crediderim, improbitati & ſceleri illius potius arbitror, quàm imprudentiæ credulitatíque meæ aſſignandum. Quid dicam de A. Blaſio? qui ſe tui defenſorem acerrimum profitebatur, cum commemoratione benevolentiæ, conſuetudinis multorum & magnorum inter vos officiorum? O ego augur non ignobilis. Sic eſt enim (ita me Dii ament) ut prædixeram, homo leviſſimus. Dum virum præ ſe ferret eſſe te inprimis eruditum, dum familiariſſimum ſibi, tamen quod de religione malè, hoc eſt, non ſuperſtitiosè ſentires, nullo pacto cenſebat adhibendum ad juventutem bonis artibus inſtruendam, ne eam inficeres opinionum pravitate. Rides bellum theologum? Planè illud eſt certiſſimum, infenſiorem in Senatu, & apud Octoviros, te, quàm illum, habuiſſe neminem. Sed hæc & plura cognoſces, cùm veneris. ſunt enim ejuſmodi, quæ tutò literis credi non poſſint. Cætera cujuſmodi fuerint, tu ipſe conjicito. potes enim ex iis quæ dixi. Tantum ego dicam, dignitati tuæ faviſſe paucos, & eos impotentes: repugnaſſe plurimos, & eos potentiſſimos. De me autem, qui totus ex tua voluntate pendeo, quique ad tuum arbitrium & nutum fingo & accommodo conſilia mea, tibi perſuadeas velim, quæ ad te, tuamque dignitatem, quæque ad officium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

cium meum ſpectarint, tantâ me curâ, ſtudio, diligentiâ, quantâ & debui, & potui ſemper, curaſſe omnia: idque non modò ut tu, quem maxime cupio, ſed ut omnes homines intelligant, me tuorum erga me meritorum neque ingratum, neque immemorem extitiſſe unquam. quanquam & quòd tibi tantum debemus, quantum omnes ſciunt: quodque propter iniquitatem temporum apud omnes parum gratiâ poſſumus, in hac tua petitione minus pleriſque ponderis habere noſtra ſtudia videbantur: atque ea quæ pro te facerem, officii causâ potius facere, quàm quòd ita ſentirem, putabant. Tu verò præſta te eum, qui quam amplitudinem & dignitatem tot annorum ſtudiis, laboribusque, atque iſto præclaro ingenio, ſingularique induſtriâ conſecutus ſis, in illuſtri virtutis tuæ loco, non in voculis malevolorum, aut nequiſſimorum invidiâ poſitam exiſtimes. Ita enim comparatum eſt, ut quemadmodum maximæ virtuti maxima laus debitum præmium ſit: ſic & invidia laudem, atque invidiam malevolentia ſubſequatur oportet. Quod reliquum eſt, dabis operam, ut quando homines infantiſſimi tui adverſarii hoc aſſecuti ſunt, ut quod petebas, non aſſequerere; nunquam tamen aſſequantur, ut cures te illud non fuiſſe aſſecutum: ut quantum eoſdem rebus omnibus ſuperas, tantum animi moderatione & magnitudine potius vincas, ne ſe aliquid poſſe putent, ſi te talem Virum vel transverſum (quod ajunt) unguem de ſtatu gravitatis & conſtantiæ dimoverint, atque deduxerint. Vale, Senis.

15. Aonius Palearius Matthæi filius S. D. M. Antonio Placido Aldelli filio.

INcredibilis tua erga me pietas omni ex parte elucet in iis literis, quas ad me proximè dediſti, conſilii, benevolentiæ, & prudentiæ plenas: in quibus cùm ſapienter & jucundè collegeris, quæ ad

ad conſolandum plurimùm valent, & ad declarandum amorem in me tuum, utrunque illud es conſecutus, ut quem tanti faciam, tantúmque diligam, habeam omninò neminem. Et quidem tuis perlectis, magnam cœpi voluptatem, quòd in eo, in quo à noſtris accuſabar, quòd non omnem animum ad petitionem appuliſſem, & in ea ſententia ſemper perſtitiſſem, ut ne honorem quidem ab improbis accipiendum putarim, intellexi probari abs te conſilium meum. quod ſi ſecuti fuiſſent æquales tui, minus ſuperbiæ eſſet adverſariis meis: & plus gloriæ nobis, quòd aliquid facere viſi fuiſſemus contemnendo, qui petendo nihil profecimus. Noli enim putare, me jam inde à principio non prævidiſſe rei totius exitum, qui inſcitiam hominum, qui factiones, qui inconſtantiam probè noſſem: in iis ut ſpem aliquam ponerem, qui omnia ad ſuum commodum referunt? qui, cum ſint imperitiſſimi, ſapientes vocari & haberi volunt. Age tu, ex iis quos in Republica verſari vides, unum aliquem oſtende, qui ſciat, quid ſit Latinè dicere? Age oſtende alterum, qui ſi de ſtylo ſermo ſit, non obtundat, non pronunciet veluti magnus rhetor? Quid eſt? Omnes imperiti arrogantes. An Machi Blateronis infantia, cujus perbellè ab Aretino fabula ſcripta eſt, ferri decennium potuiſſet, ſi inter primarios ſenes aliqui extitiſſent amatores Latinitatis? Herclè cùm iſtud mihi in mentem venit, incipio vereri, te, & Salluſtium, & Fauſtum, noſtros, minus fore gratioſos apud barbatulos iſtos; quòd vos vel quaſi perduelliones, vel perfugas habeant, qui ab eorum caſtris profugeritis: & elegans purúmque dicendi genus ſecuti, rejeciſtis ſordidum & vitioſum. Nam, per Deos, niſi aut tu jam nihil conjicis, aut ego ſemper inſanio, quid aliud eſt, quòd Hieron, Vir alioqui gravis & prudens, Blateroni ſemper favit? Sancium nobis præpoſuit, qui cum injuriam hanc aliquando expoſtula-

ſtularem, niſi ſumma ſpe, ſummo ingenio ejus filius me obſervaret, & coleret: cujus mihi ratio habenda eſt, quòd nihil eo juvene honeſtius, nihil humanius poteſt excogitari: ſicuti loquaciſſimo ſene Antonio nihil moroſius, aut ineptius. qui cum illud, cum Juvenale meo, canere cœperit, ita obdureſcit, ut nulla eum ratio molliat, nihil à literaturæ opinione abducat. Sed ne ego ſingula proſequar, mitto alia, quæ tu plura eſſe intelligis, quàm velles. Venio ad Octoviros, πρόσθε λέων, ὄπιθὲν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. Dii veſtram fidem: quæ minæ, qui rumores de purgando Gymnaſio? Nunc ita frigent, ut Ilcinius in tuto ſit, Veteramentarius non dubitet, Blatero ſeriò triumphet. Peto à te, ne quid hinc boni expectes. In ea enim civitate, in qua privati commodi magna ratio habita eſt, nunquam floruit ulla Reſpublica. Circumſpice omnes Gymnaſiarchas, qui tibi notiſſimi ſunt: neminem reperies, qui non propinquis, conjunctis, amicis ſtipendia perhonorifica eſſe velit. nos ſemper vel præteriti ſumus, vel oppugnati: quorum alterum ſatis æquo animo ferimus, alterum ſanè gravi: quòd non ita de juventute meriti ſumus, ut hæc ſperaremus. Nam ſive eam philoſophiæ partem, quæ ad mores attinet, pertractavimus interpretando: ſive eam quæ diſſerendi ars dicitur, diſputando: nihil obfuimus ingeniis, quibus hæc ipſa erant propoſita. Quòd verò ex arte jam aliqui ſcribunt, & eloquentiæ ſtudia vigent inter vos, totum hoc noſtrum eſt. Eam quoque partem quæ eſt de rebus divinis, cupiebamus oratione illuſtrare: at quoniam nihil à nobis longius abeſt ſuperſtitione, videmur fortaſſe nonnullis non idonei. nam cætera vitæ teſtimonio ſatis probantur. Riſi Blaſium theologum, qui cùm quotidie benè mane ad pedes ſtatuæ ſe abjiciat, & provolvat, æs tamen alienum non diſſolvit: ipſe in auro atque argen-

gen-

gento, creditores in ſitu & ſqualore, in animum induxit, ſe Deo, ſicuti & creditoribus, per aſtum poſſe illudere. enimverò nunquam putaſſem, tot illum ſcire comminiſci dolos. Næ ego homo infelix ſum, qui ducem hujuſmodi conſiliorum meorum delegeram, moderatorem petitionis, ultorem injuriarum. Eques noſter Horatius, primus vidit me circumventum, atque deſertum. Eò ſpectabat riſus ille Octovirûm, cùm alter alterum intueretur. Mirari ſatis hominis perfidiam non queo, quam conſecutus ſum omnibus veſtigiis. Speravit (Dii prohibeant) Bellantes meos à me abalienatum iri: illum, illum me defenſorem fortunarum, cuſtodem familiæ, ſervatorem patris, buccinatorem laudis & gloriæ Bellantiæ volebat excludi: atque hæc omnia clàm. interim verò blandè ſalutabat, arridebat feſtivè, prehendebat manu: ſed dies ipſa prodet hominem, ſuique illum mores ulciſcentur. Poſteaquàm nos ſibi amicos eſſe noluit, habeat inimicos: & quoniam multa ab illo clàm in nos profecta ſunt, palàm gratia referetur. ſine modo Thuſcè ſcripta edantur, par pari aliquando. quantum in me oppugnando à mulierculis amari voluit, tantum ſibi in vita ſentiet eſſe amari. De Sp. Cæcio neque credidi quicquam: neque ante tuas literas, ut cùm improbis ſentiret, potui adduci. magnum capio dolorem, illum contra me ſtetiſſe: ſed multò majorem, eum non eſſe talem, qualem ſperabamus: cujus in me officia, non tu magis deſideras, quàm ejus frater, quàm omnes boni. De te verò, quem tua virtus & vera nobilitas non ſinit eſſe diſſimilem tui, tantum mihi polliceor, quantum animo complecti potius, quàm verbis exequi poſſum. Quid enim non pollicear? ſi me abs te mirificè diligi, certiſſimè ſciam, invitis etiam tuis? Quod non eò dico, quod de te dubitem: ſed ne, ſi ego id neſcire diſſimulem, tu fortaſſe me minus ames. Utinam Marce, quàm amicitiæ legem ſanctiſſimè colis, alii non ita violaſſent: ut jam ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ceſſe ſit, me vel mihi ipſi manus afferre', vel dolore confici, atque abſumi. Quantum enim (ut tu ſapienter mones) in contemnendis honoribus, in ferendis injuriis fortis: tantum in ignoſcendo clemens eſſe, & videri vellem, ſed dum ipſe contorta tela, quæ capiti & cordi infixa hærent, mihi revellere conor, alia adhuc conjicere non deſiſtunt. Quamobrem nihil tibi & amicis mirum videri debet, ſi vel in revellendis, vel excipiendis telis, vocem aliquam emiſero, qua vel quaſi repugnans furioſos deterream: vel miſerabiliter ingemiſcens, ſignificem dolorem meum. Vale.

16. Aonius Palearius Franciſco Corſinio S. D.

Ego pro tuis magnis, multisque in me officiis, quantum tibi debeam, facilè intelligo: tu quantum à me amaris, ut re ipſa intelligeres, quod unum maximè ſemper optavi, non ſum aſſecutus. nam etſi quæ ad tuorum commodum, honorem, dignitatem pertinent, curavi diligenter: is tamen exitus fuit rerum, ut vel magnam ex eo capiam moleſtiam, quòd ſingulari meo ſtudio atque opere, ne dicam labore, bis jam nihil video me profeciſſe. C. Sfondrati diſceſſus, à quo nobis prompta & parata erant omnia, magno impedimento fuit: ea nunc perturbatio Reipublicæ ſecuta eſt, ut quod in manibus haberemus, ereptum videatur. S. C. factum fuerat in affinem tuum, ut perhonorificè magiſtratum peteret: in quo licet competitores haberet magnos viros juriſperitos, nihilo tamen ſecius gratia civium potentiſſimorum ſuperiores eramus. Comitia quæ Idibus Majis haberi ſolent, rejecta fuerant in Idus Junias, quod nobis perincommodè accidit: tum quòd animos Senatorum, opera familiarium noſtrorum accenſos, refrigeſcere videbamus: tum quòd per id tempus claſſis illa barbarorum prædonum, quæ omnem propè Europam per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

perluſtravit, in Senenſium fines converſa, occupavit eorum portus, oramque maritimam. quamobrem tantus repentè timor civitatem invaſit, ut omnium mentes, animique perturbarentur: uno eodemque tempore curſari ad Senatum, cogi pecuniam, delectus haberi neceſſe erat. Juſtitio indicto, nullum fuit tempus vacuum à negociis publicis. Qui erant amiciſſimi, negabant ſe mihi operam poſſe dare. Fit S. C. de magiſtratibus prorogandis, comitia tolluntur: jubet populus, ut Senatus unum videat, unum curet, ut barbari è finibus pellantur. quæ omnia etſi certò ſcio rumorem ipſum, & multorum literas ad vos pertuliſſe: volui tamen ſcribere, ne ignorares, in tanta rerum difficultate nihil fuiſſe remiſſum de officio, & diligentia mea. Immò verò cum in arcem Bellantiam, quæ ad Arbiam eſt, confugiſſem, & Ugolinus pater ad milites auxiliares miſſus eſſet, comitiaque interim reſtitui dicerentur, contuli me Senas. id ubi falſum comperiſſem, redii in Arcem: & quoniam viis obſeſſis tabellarii ſexcentis locis excutiebantur, ſcripſi de iis rebus ad affinem tuum, qui neque tam longè aberat, & via ad Liguriam tutò ibatur. ab eo ſunt ad me literæ, opinor, nondum acceptis meis: quibus ſignificat, à villico, qui ex agro Senenſi venerat, renunciatum, de magiſtratu ſibi demandato. quî tamen fieri poſſet, tantis tempeſtatibus coortis, dicebat ſe non ſatis intelligere, præſertim cum comitia nulla fuerint: & propterea ſe non pedem inde, niſi ea de re certior ſit à me factus. Rogat item alia, quæ ſpero nos impetraturos cum dignitate, ſi ſpes otii fuerit: in quam nonnulli veniunt, quòd prædones claſſiarii in Græciam tranſmittere dicuntur. De Corſinii noſtri ſuavitatibus, quæ cupio, legi libenter: iis literis nihil mihi poterat eſſe gratius. ſpero illum talem fore, qualem tu optas. Huic omnia à me eſſe paratiſſima, nihil opus eſt valde polliceri: res enim ipſa, ſiquando uſu veniet, faciet fidem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

nam cui mehercule plus quàm tibi debeam, habeo neminem. Quodcunque tuum in ea re conſilium erit, illud perſequar. Meum conſilium, inquies, novi: tuum requiro. Tu qui ab initio ætatis egregiæ eruditionis, & literarum non vulgarium perſtudioſus fuiſti, eruditulis quibuſdam vix ſemilatinis, quos ego audiendi ſpe in Hetruriam veni, non eris contentus: præſertim cum Corſinii cauſa Romæ neque Reges, neque Cæſares, neque cenſu iſtos ampliſſimo præditos, ſed poetas, oratores, philoſophos eſſe velles. nihil eſt hic, quod præſtanti ingenio adoleſcentem delectare poſſit: Gymnoſophiſtæ tres, aut quatuor, ſummum quinque, barbarè jubent loqui Ariſtotelem: quem non intelligat Oedipus, ita implicitè obſcureque omnia, non autoris, ſed interpretum vitio, qui philoſophi ordinem ſæpe invertunt: & loco non diſputant, ſed per coacervationem, veluti ex commentationibus & ſectis digladiantur: quantum à veterum ratione remotius, tantum (ut ipſi ajunt) melius, idque vocant acutius. Dialectici nuſquam hebetiores: nihil habent ejus ſcientiæ, quam profitentur, niſi quòd maximè ſunt contentioſi. Medicos obſecro ne quæras: peſſimè enim habere ſeſe eos neceſſe eſt, qui tales quærunt: morique non tam miſerum eſt, quàm quòd per hoſce ἀνδροφόνους τε καὶ ἀνθρωποφάγους. Nullos habet hæc urbs (mihi crede) viros, ex quibus poſſit haurire, quod velit avidum illud ingenium Corſinii tui. Quòd verò maximos iſtic te ſumptus facere dicis, credo equidem: facies hic etiam aliquos, ſed non ita magnos. Aberit tamen adoleſcens longius, non ſatis firma ætate: at ea, quæ ad morum & valetudinis rationem accommodata minimè eſt. Gallia bello ardet, Allobroges ſunt in armis, in Piceno delectus habentur, Hetruriæ aliqua tempeſtas impendet. bellum longius trahi videmus: quid futurum ſit, ignoramus. Hæc ſi te non pungunt, mihi cætera perplacent. Ego me Senas cras,

vel perendie. Hæc quamvis ita ſe habent, aut non multò ſecus, tamen cum amicis colloquar. Sequentur has aliæ literæ, in quibus de ſumtu, de gymnaſio, de ſophiſtis, de re omni faciam te diligentiſſime certiorem. Vale, VIII. Cal. Auguſtas, ex Arce Areolæ.

17. Aonius Palearius Alexandro Vice Comiti Urbi Præfecto S. D.

SI quàm mihi in te colendo, atque obſervando, ſemper animus præſens eſt, tàm aliquando adfuiſſet in ſcribendo, neque in hoc tempus gratiarum actionem diſtuliſſem, neque tàm paucis agerem: ut intelligeres, magna ac multa beneficia erga me tua, & mihi gratiſſima eſſe, & à me maximi fieri ſolere. Sed quemadmodum iis, qui ſolem intuentur, evenit, ut ſi quò poſtea oculos convertant, diu eandem orbis perlucidi imaginem videre videantur: ita ubi tua mihi humanitas perſpecta eſt, me in eam admirationem traxit, ut nihil àliud facere ſciam, & poſſim, quàm admirari ſuavitatem ingenii tui. Quod ſi, cùm in cogitationem alicujus rei impenſius incumbimus, ſæpè prætereuntes propè non videmus, & loquentes non audimus: quid mirum videri debet, ſi dum bonum iſtud tuum tàm excellens toto animo complector, & ad ſcribendum factus ſum piger, & ad gratias agendas ineptus? Crebritate verò meritorum ita mecum actum eſt, ut nullum unquam mihi ſpacium datum ſit ad me recipiendum. Primo enim quoque tempore quo in Hetruriam veniſti, apertis mihi non modò foribus, ſed adytis amicitiæ tuæ, nihil abs te prætermiſſum eſt, quo in tuas partes raperes, raptum magnitudine officiorum devincires. nullus dies fuit, cùm in urbe eſſem, in quo tuam erga me benevolentiam non ſim expertus. abſentem etiam in villam uſque proſecutæ ſunt humaniſſimæ literæ, plenæ illæ quidem amoris

&

& deſiderii: in quibus peramanter ſignificas, maximæ tibi curæ eſſe dignitatem meam: & propterea cùm quidam literis obſtrepuiſſet, non dubitaſſe ad me ſcribere. ſubvereri te ais, aliquid ad Lucenſes, honeſtiſſimos homines, de me iniquius eſſe delatum: cujus operâ, quoniam dicis te ignorare, faciam ut ſcias. Machus Blatero, is de quo hominibus noſtris fabula data eſt ab Aretino, lepidè & feſtivè ſcripta, homo impudentiſſimus, & puræ veræque Latinitatis tàm ignarus, quàm ii qui trans Taurum incolunt: Senis quandiu fuit, magnas mihi turbas fecit, veritus ne munus interpretationis ſcriptionum Latinarum mihi demandaretur: in qua cum ille infeliciter multos annos laboraſſet, apud eruditiores juvenes nihil aliud fuerat aſſequutus, quàm turpiſſimum infantiæ nomen. is nunc Lucæ eſt: utinam tàm cognitus, quàm Venetiis, ubi & fabula acta eſt, & Machus ludibrio habitus: proptereáque deſperatis rebus, clarorum hominum conſpectum fugiens, ad foſſas Claudias abire coactus, ludum Græculis naviculatoribus aperuit, in quo non ſat ſcio pluráne docuerit, quàm didicerit. nam per Deos, quid iſte præter barbariem potuit docere? At mentiri, fallere, quod Græcorum eſt proprium, ita repentè didicit, ut magiſtri ipſi mirarentur. levitatem verò, loquacitatem, audaciam (quæ vitia, veluti innata, homini ſemper tribuit Aretinus) noli quærere quàm Græcorum hominum conſuetudine firmavit atque auxit. & quoniam, ut in proverbio eſt, ſæpè fit, ut pro aſtuto prudens, & pro audaci fortis, pro loquaci diſertus quis habeatur: nihil miror, ſi in vulgus Macho etiam aliquando fuit opinio eruditionis. quam fortaſſe ſuſtinuiſſet, ſi ut tibicen Xenophontius à canendo, ità hic à dicendo potuiſſet abſtinere. Verùm lucri cupiditate adductus, Lucam ſuperiore anno profectus eſt, quaſi aliquis magnus Rhetor: ubi ſi, ut audio, homines ſunt, qui aures habent teretes, & religioſas, Blateronis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

infantia diu latere non potuit. quod ex eo conjicio, quòd propediem affuturus dicitur infirmâ valetudine, cujus ille opinionem ſemper auget: ut ſi quando inſcitia detegatur, aut hebes ſit in interpretando, facilè excuſationem habeat, & poteſtatem decedendi, quòd aëris modò tenuitatem, modò craſſitudinem ferre non poſſit: aſtutè. Nunc quantum Victorii literæ ſignificant, aliqui ſunt in ea civitate, qui me acciri vellent, deligíque in interpretis Latini locum: quod cùm Blatero audivit, quo credis animo? quid putas buccam illam maleolentem, ex barbarie & mendacio compoſitam, potuiſſe contineri? cor illud odio exæſtuans non efferbuiſſe? non eructaſſe virus improbitatis? Noli jam pro tua prudentia quærere, qui tàm falſos rumores de me ſparſerit in ea civitate, in qua is eſt, qui ne me Senis competitorem haberet, hiſce ipſis obtrectationibus, iiſdem fallendi atque abalienandi artibus uſus eſt, homo vafer, atque ad hæc natus. Quem ego, ita vivam, ut probè ulciſcar. Nihil enim poteſt eſſe acerbius homini, qui literarum falſam ſibi vendicat ſcientiam, quàm ſi ſcripto laceſſas: & ut ſcripto reſpondeat, pungas aculeis vel liberi carminis, vel vehementis orationis. Haſta, enſis, mucro, literatorum hominum oratio eſt. Feriat Blatero, ſi poteſt: at is, ſi Diis placet, niſi puerum aliquem de grege, nolo plura dicere, ſubornabit ut reſpondeat: veluti Aretina illa, itidem hæc noſtra ſimulans ſe contemnere, tametſi animum exedent: ſcripto nihil, dolo omnia. In conſpirationem hominum potentum cogitationem figet. cives concitabit: alios ad Prætores, alios ad Patres conſcriptos mittet: omnia experietur potius, quàm rem ſcripto agat, ne inſcitia nudetur ſua. Hæc ego tàm video animo, quàm ea quæ oculis cerno. Dii boni, quàm nos ridebimus, qui tanto antea tempore vaticinati fuerimus: quàm optimi juvenes, qui ejus ingenium norunt. Sed ego in bellua nimium: tu ſi me

me tantum amas, quantum profecto amas, cura ut ſplendor iſte generis, nominis, & animi tui tenebras indigniſſimè mihi offuſas excutiat, atque propellat. Si Lucenſes (ab his enim ad te literas eſſe arbitror: tu nihil horum ſcribis, ſed ego conjectura ducor ad ſuſpicandum) in falſam aliquam de me opinionem hujus nebulonis opera adducti ſunt: commoneas amicè, ne quid temerè credant: Chriſtianum hominem eſſe me, atque eum qui, ſi uſu veniat, pro Chriſto emori poſſim: imperitorum, & Blateronis ſimilium obtrectationibus, copioſa oratione, quam tu ipſe legeris, fuiſſe reſponſum: adverſariis convictis atque rejectis, populum Senenſem de nobis benè exiſtimare, & loqui. quæ res etſi in obſcuro eſſe non poteſt, cupio tamen eam fieri illuſtriorem teſtimonio tuo: ut omnes intelligant, noſtrorum ſtudiorum ſimilitudine, & vitæ integritate ſanctiſſimè juncta inter nos amicitia, & perdiligenter culta, neque meam in te obſervantiam, neque tuam erga me benevolentiam ulla unquam in re defuiſſe. Ex Argiano Bellantis, IIII. Idus Aprilis, Vale.

EPISTOLARUM
LIBER QUARTUS.

1. Aonius Palearius Verulanus Senatui Populoque Lucenſi S. P. D.

ETSI mihi ſum conſcius, ea in me ornamenta non eſſe, quæ de me ad vos perlata ſunt à laudatiſſimis ſummâ humanitate & modeſtiâ Viris; gratiſſimum tamen fuit, invitari in eam Hetruriæ civitatem, quæ ſapientiâ civium viget, quaſi divinum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

aliquod lumen. Neque enim virtus veſtra in obſcuro eſſe poteſt, quæ in totius Italiæ conſpectu poſita, præ ſe fert magnam animorum continentiam, & Reipublicæ temperandæ optimam diſciplinam. Itaque quod difficilibus, miſeriſque temporibus florentiſſima eſt Reſpublica Lucenſis, nemo eſt omnium qui id aut fortuitò fieri, aut ab aliis quàm à vobis putet eſſe profectum. Etenim animos magnorum Principum, à quibus omnia meliora ſperare debebamus, ita pugnandi cupiditate efferri multos annos vidimus, ut arbitrer eſſe neminem qui ab ipſis ocium civibus, & rebus publicis ſecuritatem conceſſam audeat affirmare. Veſtra induſtria, veſter labor, veſtra laus eſt, omni propè Italia ſæpè bello barbararum & immanium gentium ardente, urbem unam non æſtuariis ac paludibus, ſed conſilio & prudentiâ civium pulcherrimè eſſe ſervatam. dumque proximis temporibus aliæ urbes aut externis aut civilibus diſcordiis exagitatæ, in magnas calamitates inciderent, cœlúmque & terra miſceretur, obrueretque omnia belli eluvies: vos ad Reipublicæ gubernacula ſedentes, veluti magni Dii, repuliſtis tempeſtatem è mœnibus veſtris. Sed hæc majora ſunt, quàm ego exponere poſſim, & epiſtolâ complecti. ad ea venio, de quibus ut aliquid ſcriberem, ſi pluſculum temporis mihi eſſet, res ipſa admonebat, quando ob hæc ipſa tàm humaniter à vobis per literas invitor. Aluit ſemper iſta civitas ſtudia bonarum artium. quòd ſi alacritas & animi firmitudo nunquam defuit, ut cùm libêret maria transmitteretis, ut magnis opibus & fortunis augeretis civitatem, nunquam etiam defuit ſtudium, ut exornaretis optimis diſciplinis. Hujus rei teſtes habeo eos, quos acciviſtis ſæpè, & præfeciſtis erudiendæ juventuti, diſertos & eloquentes homines: teſtes item eos, qui apud vos excellunt in iis artibus, quæ liberales appellantur, cives veſtri, Dii immor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

tales qui Viri, quibus laudibus? De quibus quoniam ego libenter cogitare ſoleo, & ex cogitatione ipſa incredibilem capere voluptatem, vel quantum hoc eſt? quæ gratiæ agendæ ſunt vobis? per quos occaſio nunc mihi detur videndi & ſalutandi ſapientiſſimos Viros, & fruendi conſuetudine lectiſſimorum civium, & honeſtiſſimæ juventutis, quam ego audio ſtudiis bonarum literarum mirificè delectari, & teneri jam deſiderio noſtri. Atque utinam vigiliis, & laboribus à pueritia ſuſceptis, id aliquando aſſequar, ut ſpes, in quam optimi adoleſcentes venerunt, hoc delectu veſtro neque inanis omninò, neque falſa fuiſſe videatur. Qua in re non mediocrem mihi ſpem affert admirabilis propenſio adoleſcentium veſtrorum in præclara ſtudia. Solet enim fieri, ut in quod noſtrâ ſponte ferimur, id vel parvo freti auxilio, facillimè conſequamur. Nam quod ad me attinet, illud vobis polliceor, ac recipio: ſi quid deſiderium obtemperandi voluntati veſtræ, & ſtudium colendæ atque obſervandæ nunquam ſatis laudatæ Reipublicæ efficere poteſt, id perficiam ut omnes intelligant, multos à vobis eloquentiores & peritiores eligi atque accerſiri potuiſſe: at qui juvandæ veſtræ juventutis ſit ſtudioſior, & æquè ex ſenſu animorum veſtrorum cupiat eſſe totus effictus & compoſitus, vos habituros fuiſſe neminem.

2. Jacobus Sadoletus Cardinalis Aonio Paleario S. D.

EX iis literis quas ego & collega meus ad Cardinalem Vidacionium dedimus, intelligere potes quantum te amemus, quantique faciamus: neque enim majori pietate teſtimonium dare potuimus probitatis, ingenii, animi, ſtudiorumque tuorum. Maluiſſet Bembus iſtas ipſas literas ſcribi ad Senatum, populumque Lucenſem: quod mihi quo-

que perplacuiſſet, ſi iſtorum hominum ingenia, mores, voluntatesque cognoſceremus. Veritus ſum ego ſuſpicioſam fore commendationem, quæ ab iis proficiſceretur, quibus cum nullus fuiſſet uſus, nulla neceſſitudo interceſſiſſet: præſertim cùm in epiſtola ad me ſcripta ſignificares, id unum te petere, quod maximè velles, maximéque ſcires tibi eſſe neceſſarium: quod cum Bembus quoque legiſſet, facilè ivit in ſententiam meam. Optamus tibi ſalutares eſſe literas noſtras. quæ cùm ad te perlatæ fuerint, ſi Vidacionius Luca diſceſſerit, tuum eſt curare ut aperiantur, & recitentur in Senatu: ut qui tibi ſunt infenſiores, intelligant, ſe puſillorum & malevolorum obtrectationibus, nullis ſatis juſtis de cauſis fuiſſe commotos. Qua in re tu ſingulari quidem, ut dicis, es fato: & propterea feciſti ſapienter, quòd ab iis artibus, quarum à puero fuiſti ſtudioſus, auxilium petiſti: quæ cùm ſint liberales, nunquam commiſiſſent, ut quæ ab eis ſæpè adjumenta accepiſti, ut cæteris opitulari, & alios ſervare poſſes, tibi defuiſſent. Scripſiſti orationem pro teipſo inprimis ornatam & gravem, numeris quidem omnibus abſolutam: in qua tu mihi tonare & fulgurare videris, neque id aſſentatoriè. Præteriri ſine ſcelere non poſſunt tuæ laudes, quas ignorare, imperiti hominis eſt: improbi, diſſimulare tacendo. Cauſa nulla eſt, cur pudentiſſimo viro, & mihi amiciſſimo, mentiar: veriſſimè tecum ago. cùm tua lego, ſic afficior, ut inflammer, & impetu quodam rapiar vehementis orationis: quæ veluti amentata haſta, magnis viribus contorta, fertur, & varietate numerorum incredibiles motus ciet. Ad egregias ingenii tui dotes, hæc etiam accedit: divino illo poëmate, à me nunquam ſatis laudato, quid verſibus poſſes, intelleximus. nunc difficile eſt judicare, utrâ facultate plus valeas, poëtarum, an oratorum. Laudati ſunt quidam ſuperioribus annis, quòd in hac, atque in illa excellere viderentur: quibus tu ſic cultu,

&

& verò etiam caſtitate orationis anteis, ut cùm illorum ſcripta cum tuis confero, cætera ut omittam, ornatè magis, Latinè loqui ſolus videare. Quòd ſcribis te vereri, ne quem offendas, quòd, cum miſerabiliores epilogos velles elicere apud P. C. Reipublicæ Senenſis, ad quos oratio eſt, mentionem Bernardini Ocelli feceris deſiderii plenam: nemo eſt in dicendi arte mediocriter verſatus, qui non videat, id tibi propoſitum fuiſſe in peroratione, ut commoveres, & incenderes cives, civis cupidiſſimos. Nihil eſt quòd metuas: ſunt enim omnia abs te accuratè & prudenter ſcripta. Quid, quòd ego tibi ſum teſtis, cùm in Galliam legatus proficiſcerer, me Senas veniſſe, ubi & tibi affui, & commendavi te antiſtiti majorem in modum: tùm primùm fuiſſe rumorem de Ocelli fuga, incerto adhuc autore, nec ſatis conſtantem. quo tempore ſi tu, cùm ſcriberes iſtam orationem, cujus principium mihi legiſti, eadem vel ſperaſti, vel deſideraſti, quæ omnes qui popularem illam Ocelli eloquentiam norant, quis te reprehendat? cùm ſit potiùs obſervandum, quæ tu ab illo fieri voluiſſes, quàm quæ ille multò pòſt aut dixerit, aut fecerit. Quòd ſi hæc commendationis conditio eſt, ut præſtare debeamus omnia, quæ uſquam gentium ab eo quem amicè nominaverimus dici, fierique poſſunt: nulla erit laudatio periculo vacua, nulla officia humanitatis, nulla munia amicorum. Ea re cùm magnæ ſæpè perturbationes ab iis profectæ fuiſſent, qui nec clementiâ, nec æquitate, nec conſuetudine majorum noſtrorum de ſcriptoribus judicarent: ſapientiſſimè feciſſe videtur Paulus Pontifex, quòd præfecit ſcriptionibus rerum divinarum doctiſſimum & temperatiſſimum Virum: in cujus gratiam cum ego & Bembus ponere te vellemus, dixit is, ſe ſuperiore anno accepiſſe abs te literas, veluti interpretes humanitatis, & pietatis: & propterea profiteri, & polliceri ſingulare ſtudium, ut quæ à nobis tibi prompta eſſe ſciret, à ſe eſſent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

paratiſſima. Sed ego te meo & Bembi nomine non modò hortor, ſed rogo, audi homines tui amantiſſimos: quoniam in ea tempora incidimus, quibus non quid ſentias, ſed quid calumnientur quidam, maximè obſervent: ut iis ſcriptionibus te exerceas, quibus incitetur, non impediatur curſus ille nobis non ignotus animi tui. In eam civitatem veniſti, quæ optimis legibus & moribus inſtituta dicitur: quid eſt quòd animum, ut civibus gratum facias, ad ea non appellis, quæ de moribus à tota illa familia Peripateticorum tuorum ſæpè ſcripta, nunquam aptè oratione Latinâ illuſtrata ſunt? Nihil opus eſt ut ea colligamus, quæ tu jam vides: ſunt quidam averſiſſimo animo à ſcriptoribus. A Peripateticis interpretandis, aut illuſtrandis, nullum periculum eſt. Poſtremum illud, ut tranquillitati ſervias. nam qui ſtudia, vitam, mentem, voluntatem tuam tàm novimus, quàm qui ſemper vixerint tecum: nunquam auderemus ea legere, aut attingere, in quibus de nobis perhonorificè ſcribis, & amiciſſimè opinaris, ſi te deſereremus. Vale.

3. Aonius Palearius Sylveſtro Lilio S. D.

SI patriæ charitas, & deſiderium tuorum facit, ut cum Romam veneris, tàm citò cupias ad nos redire, pietati magis tuæ tribuo, quàm conſilio tuorum. ſin magnificentia & pompa iſta Curiæ, quæ cæteros magnopere delectat, tibi ſtomachum facit, & cum tua nobilitate atque opibus iſtic belliſſimè potes eſſe, redire ad nos mavis: tibi gratulor, quòd ſapientiâ præditus ſis certè ſingulari: & nobis gaudeo, quòd fructum capiemus aliquando dulciſſimæ conſuetudinis tuæ. Noli tamen putare, me à principio non divinaſſe: qui probè noſſem te perpetuum hoſtem ambitionis, obſervatorem integritatis, non modò amicum, ſed amatorem pudoris & modeſtiæ. Mirabar interea, te menſem abfuiſſe

fuiſſe à rebus animo tuo gratiſſimis: præſertim cùm tibi charius nihil eſſe debeat optimis parentibus, locus nullus dulcior patriâ. Quæ verò patria? libera civitas, ſanctiſſimis inſtituta legibus, ac moribus: in qua improbis neque locus eſt maleficii perficiendi, neque ſpes ſceleris occultandi: in qua ſumma eſt expectatio tui, ea obſervantia, ut iſtâ ætate habearis, & veriſſimè ſis moderator ſeniorum, dux religionis, magiſter ſanctitatis. Quamobrem ne patiare, cùm omnibus tàm charus ſis, atque jucundus, ut oculi noſtri tuâ præſentiâ defatigari poſſint, ſatiari non poſſint, ut tandiu ſine te ſimus. Nam ego, qui mihi ſum conſcius, hoc certò ſcio, poſt tuum & Joſippi noſtri diſceſſum, nihil unquam fuiſſe, quod me lætitiâ valdè affecerit: quinetiam is languor, & mentis torpor eſt ſubſecutus, ut omnes mirentur illam hilaritatem, quam in me tu admirari ſolebas, omninò ex animo & vultu meo excuſſam. quam ſi quis ſuavitate ingenii reſtituere poterat, erat unus Martinus Lilius patruelis tuus. hunc incommoda valetudo, quâ propè emerſerat, adhuc tenet, & frigus, & anni tempeſtas incredibiliter angunt: cujus ægritudo ita me ſolicitum habet, ut non dubium ſit, vel ego ægroto, vel proximè incidam in morbum. Ejus mater præſtantiſſima omnium fœminarum, ejus uxor humaniſſima, ſuaviſſimus frater, orant, obſecrant, ut me ad ſe transferam: ſed ego adhuc in domicilio meo ſum, ſine uxore, ſine liberis, ſine ſervo, ſine arca: quòd, ut ſcis, ſuperioribus menſibus longâ viâ, & pulverulentâ, in municipium Collinum ire neceſſe fuit: nunc via lutoſa, his præſertim imbribus, nolo miſeros curſare meâ cauſâ. amici tamen omnes, pater tuus, Bonviſii, Cenami, Bernardini, Arnulphini, nullo loco deſunt: curant diligenter, ut in omnium rerum inopia abundem omnibus rebus. quanquam ego tàm paucis contentus ſum, ut facilè ſuperem Craſſum divitiis. Quòd ſi, ut ex literis, quas ad patrem miſiſti, intellexi, tuus ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

adventus appropinquat: brevi multò plus mihi futurum eſt boni, quàm nunc impendet mali. In iiſdem literis vidi, te Pauli epiſtolas legiſſe. Næ Flaminius tuus, & idem noſter, ad Theologiam cohortatus eſt: Dii benè homini faciant, qui ut te bearet, deduxit ad magiſtram veræ vitæ, ad diſciplinarum principem, & reginam. Quòd ſi tu, qui ab initio ætatis omnium liberalium artium ſtudioſus fuiſti, & didiciſti omnia quæ à ſapientibus tradita ſunt ad benè vivendum, nunc interioribus literis operam das, quæ tua ſtudia futura ſunt? quæ cenſura morum & vitæ? Id ſi verum eſt, (nam ego certi nihil habeo, ſed conjecturâ ducor ad ſuſpicandum: quia te plus amo, quàm me ipſum: plurisque facio tua, quàm mea commoda omnia) cave pedem ex urbe efferas, id eſt, è Flaminii domo: qui quòd apud ornatiſſimum Polum eſt, quem ego reverentiæ causâ nomino, quantum putas intereſſe? Dii immortales, quæ omnium rerum tibi acceſſiones fient, ſi cum his diutiſſimè vixeris? Quare, etſi ego tàm ſum tui cupidus, quàm qui maximè, nihil tamen temerè faciam: nullæ meæ literæ, nullæ preces, nullæ commendationes vel parentum, vel patriæ, vel rerum omnium tibi chariſſimarum, tanti eſſe debent, ſi cum Flaminio apud Polum es, ut te loco moveas. Vale. Parentio & Pacino, noſtris, ſalutem dic. Vale.

4. Aonius Palearius Bartholomæo Riccio S. D.

SI minus ſæpè ad te ſcribo, quàm amicitiæ noſtræ vetuſtas poſtulat, peto à te, ut occupationi meæ potius tribuas, quàm aut negligentiæ, aut oblivioni tuorum in me meritorum, quæ tu officiorum crebritate quotidiè auges: & ſignificatione optatiſſimi & jucundiſſimi amoris mentionem tui non

inter-

intermitti ſinis. Quotusquiſque eſt, qui iſthinc veniat, qui ubi tuo nomine mihi plurimam ſalutem dixit, non multis etiam proſequatur mirificam benevolentiam & humanitatem tuam? qui libellus à te ſcribitur, in quo ego non honorificè appeller? qua in re cùm parem tibi gratiam referre non poſſim, moriar ſi non me angunt putidiſſimæ interpretationes meæ, ſive Græcæ, ſive Latinæ, in quas veluti in piſtrinum detruſi me, non tàm imprudentiâ, quàm neceſſitate. Ego enim, ut ex meis ſtudiis noſſe potuiſti, ſemper judicavi obſcurum & ſordidum iis, quorum ingenio aliquid fieri poteſt illuſtrius, ſi interpretandis ſcriptis aliorum humiles ac demiſſi, quaſi ſervitia ancillentur. Sed cùm mihi res domi eſſet anguſta, uxor lauta, liberi ſplendidi, & propterea magnos ſumptus facerem, mancipavi propè me iis ſtudiis, à quibus ſemper abhorrui. Nam cùm Lucenſes homines honeſtiſſimi propoſitis præmiis invitarent me ſingulorum dierum unius horæ uſurâ ad interpretandum, accepi conditionem duram mihi, & aſperam, & verò etiam odioſam. Dicendum eſt enim quotidie & ex tempore, quod inprimis eſt ſophiſtæ. id ne faciam, ſumo mihi ſemper aliquid temporis ad meditandum, in qua re plurimum noctes me adjuvant: cùm tamen inopiam & jejunitatem interpretum non probem, & multa è penu locupletiſſimo Græcorum petenda eſſe ducam. Quicquid diei reliquum eſt, in ſcriptoribus Græcis legendis tero. Sed omnino conciſum eſt hoc dicendi genus διδασκαλικόν: in quo ſi qui diu verſantur, ſummum periculum eſt, ne exercitatione umbratili amittant quicquid habent roboris & nervorum. Quod cùm ego in me fieri ſentirem, ne hoc morbo intabeſcerem, retuli me aliquando ad eas exercitationes, quas tu maximè probas. Vide quanti faciam judicium tuum. Cùm ex iis literis, quas proximè abs te accepi, intellexiſſem, placere tibi ſcriptiones meas: magna mihi ſpes injecta eſt,

poſſe

poſſe orationes aliquas à me ſcribi. eas quæ ſint, propediem expecta, modò typographus non moretur. Tu contra ad nos, tuos libros De gloria: obſecro ne ſinas diutius nos duci expectatione. Si non perfeciſti, ſcito eos libros dignos eſſe, ut abs te abſolvantur, qui ingenio & induſtriâ aſſecutus ſyncerum & ornatum dicendi genus, habitas in oculis Principum, quorum fœminæ multis Regibus ſunt ſapientiores. Nam quid eſt, ſi non hæc veriſſima gloria eſt, potentiſſimi Regis filiam, maximi Ducis uxorem, ſic verſari in ſtudiis noſtris, ut excellat? Annam verò, & Lucretiam, aureos Hereneæ partus, ſcrutari interiores literas Latinas & Græcas? quæ cùm in matre quoque eſſent, & eæ neque paucæ, neque vulgares, Regina in philoſophia hac humana noluit acquieſcere: ſed ob magnitudinem ingenii, & ſtudium ſanctitatis, quæ in iſta ſemper veluti divinum aliquid eluxit, maturiore ætate retulit ſe ad cœleſtes artes, & diſciplinas theologorum. Quod ad te ſcribo, ne in texendo opere, cùm iſthic habeas maximè illuſtres & glorioſos Principes, quos proponere omnibus potes ad imitandum, tu rerum geſtarum causâ eos quæras, qui in unis armis omnia poſita eſſe cenſent, ſtudiorum noſtrorum hoſtes acerrimi: quorum exprobratione extenuari ſpem literatorum, & evaneſcere videmus. Non eſt credibile, quæ ſit imperitia & ſuperbia in quibuſdam. Ego me abs te tantum amari puto, quantum volo: volo autem plurimum. Si me amas, ſine iſtos in tenebris & ſitu jacere: qui, ſi ad eorum pedes nos abjicimus, ne ſublevant quidem. De Sardonio, cùm defenſionem tuam legerem, valdè mehercule riſi. Si eſt homo, poſthac tacebit. ſed quantum ſuſpicor, aliquid etiam ſcribet: & tamen dicet nihil. De Jacobo Grifolo ſcripſi ad te ſuperioribus menſibus: ſi quid ad me poſtea dediſti literarum, non eſt allatum. Is tàm bellè ſe habet, quàm ego, & tu. Exanimatus propè ſum

tuis literis, in quibus dubitare videbaris de ejus vita. Cùm in oppidum Collinum veniſſem, miſi pueros, qui quærerent diligenter. ii poſtridie Senis omnia læta & optata retulerunt: hominem ingenio & ſtudiis florentem, magno in honore eſſe apud ſuos: pangere etiam aliquid, & tui meique memoriam amantiſſimè conſervare. Lucæ, pridie Nonas Octobris. Vale.

5. Bartholomæus Riccius Aonio Paleario S. D.

EQuidem Aoni excuſationem, quam affers, quo minus crebrò ad me ſcribas, libenter accipio: ne, ſi te de literarum intermiſſione accuſare velim, eodem ipſe me crimine condemnaſſe videar, qui nihilo crebrius ad te, quàm tu mihi, literas dare conſueverim. Sed quid tu te, contrà item ego me, quòd minus frequentes in hoc ſcribendi genere fuerimus, tàm iniquè accuſamus: cùm uterque huic officio abundè ſatisfecimus? neque enim ego quenquam unquam nactus ſum, qui iſtuc veniret, cui meas ad te literas non dederim: neque tu contrà quicquam à te mihi ad eas deſiderari permiſeris. Sed arbitror, quia id eâ linguâ fecimus, quâ omnes Itali vulgò loquimur, qui magis Latinâ ex noſtris ſtudiis uti debuimus: nobis propterea nos à ſcribendo ceſſaſſe quodammodo, atque etiam propè meritò accuſari poſſe viſum iri. Ac ſi mihi dicendum eſt, quod ego ſentio, parum prudenter, atque nulla cum ratione ab utroque noſtrûm eſt factum, qui eo modo primùm Latinum ſtylum non mediocri exercitatione defraudavimus: deinde, quòd amicitiæ noſtræ vel ſempiternam teſtificationem, quâ literæ Latinè ſcriptæ in omnium ætatum memoriam producere potuiſſent, improbè detraximus. Sed ſatis de excuſatione, vel de accuſatione potius: ſi poſthac tamen curabimus, ut hoc modo fre-

frequentiores ſimus in ſcribendo, quàm alio committere, ut nos excuſando, magis accuſandi eſſe videamur: atque ad tuas literas redeo. Eas igitur ſcito mihi jucundiſſimas accidiſſe: cùm quoniam eo modo, qui mihi magis probabatur, erant conſcriptæ: tùm quia iis certior fiebam, meum Grifolum vivere, quem ego jam triennium fraternè luxeram: quo uno optatiſſimo nuncio, nihil eſt quod euangelii à me auferre non poſſis. tametſi nonnihil moleſtiæ tamen epiſtolæ pars illa, in qua de meis erga te meritis atque officiis extollendis, quaſi finem non facis, meam hanc tantam lætitiam non leviter aſperſit. Nam etſi te quidem gratiſſimo animo, atque optimè inſtituto facere certò ſcio: id tamen quodammodo ægrè tuli. nam præterquam quòd magnam injuriam amicitiæ noſtræ facis, qui tantopere queraris te parem ei gratiam referre non poſſe, cui ne ullas quidem agere debuiſti: non ego in tuis ſcriptis, & amici, & jure optimo laudandis, plus ſum laudis aſſecutus, quàm aut ſtudii, aut officii in eo ipſo poſuerim præſtando? Quid enim mihi tam faciendum fuit, cùm ad noſtræ ætatis poëtas veni, quàm ut prudenter viderem, ne quis ex eis, qui in aliquem bonorum numerum veniſſent, me præteriret? in iis verò qui ſuo ſplendore cæteris quaſi lumen prælucerent, ne aut cœcus, ſi non animadvertiſſem: aut iniquus, ſi non iis ſuam quoque laudem impertiſſem, viderer omninò? In quibus cùm tu non ultimum locum obtineres, hunc ego, ſi tibi cum cæteris bonis conceſſi, aut adverſus improbos tutatus ſum, nihilò ſim amplius de te meritus, quàm qui de virtute virtutem laudans mereri poſſet: niſi ea quoque tibi gratiſſima videri, quæ ſine maxima culpa in te omitti non poſſent, omnibus ſignificare voluiſti. Quod verò de Principibus meis, tàm doctiſſimis, quàm etiam nobiliſſimis fœminis, ſcribis: ſcito filias illas egregiè eruditas eſſe, & unà cum ætate ſua omnium etiam

opi-

opinionem ſuperare : easque ſuum locum hoc quoque nomine in noſtris De gloria libris habere. Nam quòd me mones, ut in ejus operis exemplis minus ambitioſe agam, neque etiam quaſi de Principum fæce hauriam : tu recte quidem, & ſapienter mones : neque id ego tecum non ſentio : ſed tamen ſi pauciores quoſdam offenderis minus hoc mea laude dignos, id à me in eam partem factum accipias velim, me unum, aut ſummùm alterum, non tam hac mea commendatione cohoneſtaſſe, ut ea inaniter geſtiret, quàm ut quid ſibi ad veram gloriam faciendum eſſet, inde planè perſpiceret. qui mei tres De gloria libri jam pridem mihi ſunt abſoluti, utinam quidem ut materia poſtulat : nam eodem tempore tantam mihi gloriam confeciſſem, quantam omnes, quorum in iis exempli gratia meminimus, ſibi compararunt. Quod verò ad præcipiendi rationem pertinet, ita quidem eſt, ut dixti, cùm ſummi res negotii, tum ſummæ etiam difficultatis. Sed his quoque id accedit, quòd ea dicendi ratio (ut ſummam indignitatem, quæ in docendo verſatur, omittam) quamvis politiorem dictionem facilè corrumpere poſſet. Quare ego cùm publicam iſtam præceptionem exercerem, plerunque ea lingua utebar, qua omnes nunc loquimur. At quis hoc, te præter unum, probabit? At mihi magis in rectè ſcribendo, quàm in ineptè loquendo ex tempore, conſultum volui : méque omnes Latinè ſcribere ut viderent, quàm auditores impolitè ſemper, improprié interdum, ſi minus barbarè loqui, malui audirent. Sardonium (ut tu dicis) atque Sardonianos omnes ita fregimus, itaque contrivimus, atque confecimus, ut mutos diceres. Coaxant quidem neſcio quid, ſed ſubter aquam ranarum more : nullum enim, quo ſuam ignorantiam defendant, adhuc verbum faciunt. Sed iſti, atque adeò iſtis Dii meliorem dent mentem. Quæ in Catullum ſcripſimus, propediem expecta. Si me diligis, ſi te à me amari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſcis, cùm primùm occaſio dabitur, ut uſquam in Grifolum meum incidas, ut meo eum nomine complectaris (nimis enim parum eſt, atque exile, ut ſalutes) te etiam atque etiam rogo. Vale, Ferrariæ. Cal. Octobris.

6. Bartholomæus Riccius Aonio Paleario S. D.

QUid hoc eſt Aoni? num ſemper Italico ſermone per literas agemus? nunquámne Romanus ſtylus, quo in perpetuis ſcriptis, atque ad alios ſæpe amicos utimur, locum ullum in noſtris literis habebit? hoc quidem, quo vulgus noſter loquitur, ſenſa noſtra, perinde atque Latino, planè explicamus: niſi id etiam interdum ex rebus novis, ſuis Latinis nominibus carentibus, plenius ac ſignificantius facimus: hæ tamen literæ nullum aliud lumen, nullius alius lectionem, quàm utriuſque noſtrûm, ſunt habituræ: præſertim meæ, quæ tam longè à veſtra Hetruſca dicendi ratione abſunt, quàm qui longiſſimè gentium (etſi tantum Apenninus nos disjungat) & natus, & altus ſit: ut eas in ulla volumina, quæ ejus quoque linguæ multa multorum ſimul unà ſcriptorum quotidie eduntur, conjici poſſe nullo modo ſperem. Quare ego hoc Latino poſthac utar: & ut ſtylum exerceam, & te quoque ad hanc meliorem ſcriptionis rationem revocem. Mitto igitur tibi defenſionem meam adverſus quendam Sardum, hominem tam iniquum, quàm etiam ignarum: cujus ſtultitiam in ea facilè cognoſces. nam in quo me accuſat, proponi primo in loco fideliter, poſtea verò mea ut ſequatur defenſio æquè curavi: in quo meo adverſario, Dii me perdant, ſiquid boni eſt, præter quòd ego alter Cicero cum iſto eſſe videor, quando & ipſe ſuum Sardum Sardo habuit nequiorem. tametſi in meo multi inſunt Sardi, etiam nequiſſimi: quos tamen ita fregi, itaque contemptos reddidi, ut ne hiſcere quidem audeant,

deant. Nam quòd præfractè pergant in ſuis nomi-
nibus, Catonibus, Lentulis, Metellis, Cethegis,
Dolabellis, & reliquis ejus generis cognomentis in-
anire: concedunt tamen, Romanarum familiarum
nomina in *ius* terminare: ut modò nobiſcum ſen-
iant, modò contrà: ſecum autem eodem modo
emper, hoc eſt inconſtanter agant. Sed jam iſtos
niſſos faciamus. Quintus annus agitur ipſe, cùm
acobus Grifolus hac tranſiit, Senas accitus, ad La-
inas literas publicè profitendas: nihil poſtea neque
b eo, neque de eo mihi nunciatum eſt. Nunc ve-
ò Venetiis triſtis mihi rumor affertur, qui me quo-
ue propè occidit: illum diem ſuum obiiſſe. Si
e amas, quæras quid de illo ſit, méque poſtea hac
raviſſima ſolicitudine libera: amavi enim illum,
uàm qui maximè amari potuit amicus. ac quod
go ſpero, cupio quidem certè, me certiorem fac,
um vivere, etiamſi mortuus ſit: in hoc enim falſa
e me ſuſtineri facilè patiar. Apparatus meos,
uos requiris, ſcito apud me nullos eſſe: Florentiæ
men reperiri quoſdam audio. id utrum ſit, ex li-
rariis ſcire, atque inde tibi accommodare poteris.
pus de Gloria (vide quæſo quid mihi in mentem
nerit) paulo antè ſum aggreſſus: idque in tres
bros diſtribui, jamque primùm abſolvi, reliqua
rgo. Utinam propius adeſſes, aut ſaltem tanta
pium juga nos diſcluſos non haberent: ſperarem
im tuo judicio uti poſſe. ſed Dii videbunt, cùm
unt abſoluti. Vale, Cal. Maji.

Aonius Palearius Bartholomæo Riccio S. D.

E Go verò fateor, me dicendi genere, quod hoc
tempore in Hetruria floret, valde delectari: &
ia elegans eſt, & venuſtum: & quia ab eo non
ngè abeſt, quod in Italia nati atque alti hauſimus.
tinam, mi Ricci, natura nos labore hoc levaſſet,
em quotidie inſumimus in ediſcendis linguis. id

feciſſet certè, ſi ut ſunt omnium gentium & nationum ſenſa communia, ſic eſſent τὰ ἐν τῇ φωνῇ, τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. Græcè dico, quòd Latinè æquè non inveniam: nam melius non audeo dicere, Thuſcè fortaſſe poſſem. Quòd ſi cùm amico ſic agier oportet, ut non quaſi alicunde meditatus venias: quod ego ſic interpretor, ut quicquid in animo eſt, quicquid venit in buccam, illud ipſum ſcribas: vereor ne injuriam faciamus veteri amicitiæ, ſi cùm amamus nos inter nos, & per literas familiariter loquimur quaſi præſentes, in perquirendis & conjungendis verbis Latinis ſimus occupati. Quid igitur, inquies, verba Græca ſunt in epiſtola tua Latinè ſcripta? quia conſuetudine illa interpretandi, non quæſita etiam occurrunt. Ut cum ſomnus arctior nos complexus eſt, ea ſæpiſſimè animo obverſantur, de quibus vigilantes quotidie cogitare & loqui ſolemus: ſic dum ſcribimus, verba ſua ſponte prodeunt, ac offerunt ſe ex formis, quæ legendo & ſcribendo in nobis hæſerunt. Quinetiam ut dicam tibi, quoniam tu inſtitutum mihi tuum aperuiſti, ego quoque in interpretationibus Latinis & Græcis, cum oratio Latina curſum tenere non poteſt, inhibeo: cumque alio modo remigare cœpi, pauliſper adhibeo voces Hetruſcas: non dico Italas, quòd non omnes probem. Sicuti enim in Græcia aptiſſima fuit lingua Attica ſolutæ orationi, ſic in Italia Hetruſca mirifica eſt: & ad dicendum, & ad ſcribendum maximè accommodata. cujus ego te in his literis, quas ad me jam ſæpe dediſti, oſtentatorem non agnoſco inanem ac tumidum, ſed ſcriptorem accuratum & diligentem. De hoc ſatis. Ad illud venio, quòd epiſtolam tuam ſuperiore anno ſcriptam, hodie Nonis accepi. Tu vide, quàm rarò tuæ ad me perferantur. Deſino mirari, ſi quas Florentia dedi, ad te non ſunt allatæ. Poſthac, ut omnia impedimenta vincam,

ſi quid erit quod aut mea aut tua intereſſe arbitrer, dabo eodem exemplo plures res ſcriptas. De nominibus Romanarum familiarum nemo eſt gnarus antiquitatis, quin tecum ſentiat: ipſi etiam (quod tibi gratulor) qui Græcam rationem ſequebantur, ipſi etiam barbari tuis ſcriptis admoniti, ut videantur Latini, ſecundum nomen correxerunt imitatione Romana. Grifolum noſtrum feriis æſtivis omninò conveniam, & interea faciam per literas certiorem de pietate iſta tua. De Apparatu linguæ Latinæ, ſcripſi ad te antea. Florentiæ curata fuit pecunia Bonviſiorum nomine: & eſt jam copia adoleſcentibus noſtris, qui ob iſtuc ipſum te multum amant: avidiſſimè tamen expectant libros De gloria. Vale.

8. Bartholomæus Riccius Aonio Paleario S. D.

NIcolaus Aliena, veſtræ Reipublicæ ad Herculem Principem noſtrum legatus, mihi tuis verbis perbenignè ſalutem dixit: quem ego contrà humaniſſimè accepi, eique tuâ causâ omnia pollicitus ſum. Iſte ipſe vel ſuapte humanitate, vel ut meæ par referret, pridie quàm à nobis diſcederet, domum uſque mihi nunciari juſſit, ſi quid iſtuc illi mandarem: qui cùm nihil haberem omninò tanto Viro dignum, ne me tamen aut ſuperbum, ſi nihil ſcripſiſſem, aut ineptum, ſi non mandaſſem, has illi inanes literas tibi perferendas dedi. Sed heus tu, nimis lautus factus videris, qui tàm præſtanti Viro loco tuarum literarum utaris. Mihi quidem longè gratiſſimum fuit, vel à quovis homine de te intelligere: ſed ſi à te ipſo id intellexiſſem, multò mediusfidius id mihi gratius ac jucundius accidiſſet. Quare poſthac tu me, hoc eſt, tui amantiſſimum, in hoc ſalutandi genere imitabere: qui etiam ſi nihil habeam quod ſcribam, ſcribo tamen, ut vides, neque quod in buccam. Vale, Ferrariæ, pridie Calendarum Decembris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

9. Aonius Palearius Pterigi Gallo, Familiari ſuo S. D.

MArci Caſalis epiſtola valdè mihi placet: eſt enim amanter & eleganter ſcripta: quædam tamen in ea commutari volo, ut habitâ ratione temporum & locorum, aptè libro quarto collocari poſſit. Scribam ad eum hodiè pluribus: quæ ut tu quoque cognoſcas, erit epiſtola aperta: & in ſchedula ſignum, ut obſignatam, ſi is in oppido Collino eſt, reddas tuâ manu. ſin autem in Geminiano, multi erunt qui perferent: nihil eſt, quod te des in viam. nam & ego adero Nonis. De Aganippe laudo conſilium tuum: nolo aquam duci per fundum, nolo rivulis colligi uberiorem. ubi primùm erumpit, ibi hauriri volo. nam quòd gelida eſt, & ad orientem ſolem ſpectat, eo eſt ſalubrior. neceſſe eſt tamen murum, quà vergit ad occidentem, perduci in altitudinem pedum octo, & ſedilia fieri ex lapide quadrato, & triclinia æſtiva in quibus nos cœnitemus: ex rivorum deductione hortos irrigabimus. Quod de inſcriptione rogas, feci libenter. tuum eſt invenire, qui benè inſculpant antiquas literarum notas. In iis eſt, quod Priſcianus tuus vocat digamma Æolicum, quod Helvetii & Germani adhuc ſyncerè pronunciant, & Romæ eſt in laudatis marmoribus, *Ampliaſit terminaſitque*. Sic igitur facito, ut ſit in ſaxo oblongo:

Quem pellucidula manantem cernitis unda,
Fons hic muſcoſis obſitus iret aquis,
Ni Thuſcos propere colles ſiſura tuliſſet
Cecinnæ campis Hernica Nais opem,
Deduxit riſos, ne quiſquam diceret hortos
Heſperidum poſthac eſſe, ſed Aonidum.

Redem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Redemptoribus, qui domum conduxerunt exædificandam, curabo pecuniam. Plateam ſterni volo ſabulone, & lapidibus ſiliceis, ob deambulationem matutinam. Noſti quo ſtomacho ſint ſtudioſi, præſertim cùm ſenectus advenerit. De verſibus, quos vis eſſe in ſuperficie domus, ne ſis ſollicitus, utinam tàm citò expediri poſſet ædificatio, quàm illi ſunt facti: Muſæ præſtò fuerunt. ne toties villico ſit ultrò citróque curſandum, mitto eos ad te.

Quem Thuſcus Cecinna olim poſſederat agrum
Inſignem latè frugibus & pecore
Hernicus Aonius longo poſt tempore cultu
Longè auctum antiquo reſtituit genio.

De piſcina quod ſcribis, non probo. an non Fuſcus amnis ſatis eſt? an non Riparduus? Diligo frugalitatem, odi luxuriam. Aſpaſia viaticum poſcit, mox petet Sophonisba: quid Lampridio & Phædro fiet? Obſecro ne ſuaviſſimos pueros perdamus: prudentiæ noſtræ eſt, adhibere modum, ne omnia occupent redemptores. Lucæ, Nonis Maji.

10. Joannes Baptiſta Gadius Aonio Paleario, S. D.

QUòd locorum intervallo disjuncti, fructu caremus jucundiſſimæ noſtræ conſuetudinis, eſt id quidem certè mihi permoleſtum. video enim, quantam jacturam fecerim ſtudiorum meorum, cùm mihi neceſſe fuerit hoc tempore ruſticari, proculque à conſpectu tuo degere, cujus à latere mihi nunquam recedendum propoſueram. Quanquam illud me conſolatur non mediocriter, quòd hanc ſanè moleſtiam literis aliqua ex parte leniri poſſe perſpicio: in quibus ſtatui omninò ſpem mihi aliquam ponendam eſſe, ut quandiu abfuerimus, certemus inter nos officiis, colloqua-

murque per literas. his enim ultro citróque quaſi commeantibus, confirmabitur mutua inter nos amicitia. Equidem niſi facere flagitiosè voluero, ea mihi ſanctè colenda eſt neceſſitudo, ad quam ſummo me beneficio voluiſti adjunctum. Cave enim fore dubites, meam tuorum erga me beneficiorum memoriam aliqua ut oblivio deleat, quæ & propter neceſſitatis noſtræ vinculum minimè ſolvi poſſunt: & vetuſtate, cùm ſint immortalia, nullo pacto extingui. Quamobrem ſic habeto, nullam tantam calamitatem poſſe accidere, quâ vel tuum in me collatum officium intermoriatur: vel eum ipſum, quem tu in familiaritatem tuam libentiſſimè receperis, perinde ac parum officioſum accuſes. Nam quòd ſuperioribus diebus nihil ad te dedi literarum, magis id quidem factum imbecillitate valetudinis, quàm ullâ meâ negligentiâ: qui poſtea quàm ſum abs te profectus, ſic è ſtomacho laborare cœpi, & latere, ut quod animus vehementer expetebat, id præſtare mihi integrum non fuerit. Huc acceſſit vis quædam maxima tuberculorum, unde factâ ad dolorem acceſſione, ægrotum corpus quaſi convulſum penitus contabeſceret. ita nimio quodam languore totus confectus, aliquando obtorpui: & eo quidem vehementius, quo mihi minus benè conſtitutum eſſe corpus, haud ignoras. Nunc verò Diis benè juvantibus, convalui: morbumque omnem, qui me graviter afflixerat, quamvis ægrè, depuli. itaque priſtinæ valetudini reſtitutus, curſu corrigere tarditatem cogitabam tum equis, tum velis: cùm mihi Franciſcus Arnulphinus præſtò fuit, bonæ ſpei juvenis, & ut ipſe ſatis noſti, permodeſtus: meque verbis tuis ſanè quàm liberaliter ſalutavit. quod an mihi charum, jucundumque fuerit, malo ipſe dijudices. Is à me tùm de ſtudiis, tùm de rationibus tuis diligentius cùm rogaretur, venit in eum ſermonem, ut diceret, brevi nos unà futuros. arridens enim: Optatum, inquit, nuncium affero:

Aonius

Aonius noſter, cùm de te fortè incidiſſet ſermo, ſignificavit non obſcurè, cogitare ſe in Pancratianum noſtrum. Hîc ego lætitiâ exultare, ſtatimque exilire gaudio. ſenſi enim, quàm optatus mihi accidere adventus poſſet tuus. unum mediusfidius diem tecum libentius poſuerim, quàm cum pleriſque aliis vitæ reliquum tempus. Te igitur etiam atque etiam hortor, hoc ut efficias, & ad nos quamprimùm curſites; ardeo enim jamdiu videndi tui incredibili cupiditate. atque mehercule vereor, ne ſi opinionem hac in re meam fallas, quemadmodum nunc nimio penè gaudio deſipere videor, ſic in poſterum animi mœrore conficiar. tametſi nihil eſſe in cauſa opinor, quòd diutius animi pendeam, meque timor iſte planè ruſticus tantopere ſolicitum habeat, ac verè ut dicam excruciet: cùm præſertim ſubinvitare te loci poſſit amœnitas: & fides ipſa, quam mihi alieno nomine obſtrinxiſti, pertrahere vel invitum debeat. Nihil in præſentia loquor de Hieronymi Arnulphini magnificentia villarum, quas cum præſentioribus oculis intueberis, eas eſſe prædicabis, ut ne Luculli quidem ſplendori cedant. Nam quòd valetudinem aliquam excuſes, nihil eſt, niſi fortaſſe longiſſimi itineris labore ſuperſedendum arbitraris: qui tamen, quòd nullus ſit propemodum, prohibebit ſine dubio accipere ullam tuam excuſationem. Villa enim, quod tibi propè cognitum reor, vix quarto ab urbe lapide diſtat. Tu modò deſiderium urbis depone: & omni prorſus abjectâ literarum curâ, animique depoſitâ ſolicitudine, redi aliquando cum natura in gratiam: illudque in memoriam redige, nimis diu defraudatum abs te fuiſſe genium: quo vel uno nomine valetudinem iſtam tuam, cui præcipuè ſerviendum eſt, hoc maximo ſolis æſtu ſuſtentare debes. Huic tu noſtro conſilio aſſenſus ſi fueris, id ſaltem conſequêre, ut moleſtiſſimis iſtis occupationibus animum ſi non exolvas, at relaxes ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

quantulum. Quare te vehementer etiam atque etiam oro, & obſecro, te ut des primo quoque tempore in viam. quod quidem commodo tuo ut fiat, itineri te committere, aut ubi primùm illuxerit, aut inclinante in pomeridianum tempus die poteris: ut cùm ſe calor fregerit, tutò ad nos, celeriterque convoles. Ex Pancratiano Arnulphini, Cal. Juniis.

11. Aonius Palearius Cornelio Graphæo S. D.

HOminum Lucenſium mercatura eſt ampla & copioſa. iis ego utor valdè familiariter, qui cùm omnes in me fuerint liberales, maximè omnium Bonviſii, quorum ſplendor magnus eſt in civitate: ex ea familia Alexander Ludovici filius hoc tempore in Belgica eſt, adoleſcens ſanè bonus, & mihi gratiſſimus. eſt enim ingenuarum artium perſtudioſus, & amantiſſimus mei. non dubito quin his paucis intelligas quid velim. hoc certò ſcio, ſi in tuam conſuetudinem, & amicitiam receperis adoleſcentem, fore tibi chariſſimum. is, quæ ejus eſt humanitas, & modeſtia, confidit magis literis meis, quàm meritis virtutis ſuæ, quodque ego te amem, meque abs te amari ſciat. petit per literas ac rogat, ut ad te ſcribam aliquid non vulgare, quo tibi commendetur majorem in modum. Ego Alexandrum æquè amo ac filium, ita ejus patrem colui, ut ſi quis iis, qui è vita diſceſſerunt, earum rerum, quæ hic fiunt, ſenſus eſt, deſiderem ut pater ipſe ſentiat: ſin autem omni ſenſu carent quod ἄνευ ὀργάνου, ἄνευ φαντάσματος ſint mentes ſolutæ, ac liberæ, & veluti radii ſolis cùm reliquerunt orbem noſtrum, in ſole tamen ipſo ſint, ſic illæ in Deo, cupiam, ut qui ſunt ſuperſtites, intel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

intelligant, me hunc unum delegiſſe ex omni familia, quem digniſſimum putem commendatione meâ & gratiâ ſimilium tui. Vale.

12. Aonius Palearius Joanni Baptiſtæ Gadio S. D.

CUM mihi tantum ocii eſſet, quantum bellum patitur, quod cum barbaris continenter gero, & munus publicum concedit, ut per me Athenæ comportentur ad Apenninum: accepi literas tuas, plenas humanitatis & deſiderii, quibus in Pancratianum Arnulphini invitas, quod audio eſſe peramœnum & ſuaviſſimum: credo præſentiâ eorum, qui tecum ſunt, omnibus naturæ donis, omnibus ornamentis, & fortunæ acceſſionibus honeſtiſſimi. quòd niſi me Eutychus meus præoccupaſſet, qui uxoris ſuæ, lectiſſimæ fœminæ nomine uxorem meam invitavit in Granianum ſuum: nunquam ſiviſſem, ut iſthic hodie ſine me eſſes. Nunc ut cum uxore ſim mea, viſam ſerius Pancratianum, differamque adventum iſtum in alium diem. De valetudine tua & audivi, & dolui vehementer: ſæpéque locutus ſum cum iis, quibus es chariſſimus, quibus nihil poteſt fieri humanius. conſolatione leniebant dolorem meum, quòd reciperent, & viderem, neque ſumptui neque labori eos parcere, quo ad curationem opus eſſet. dicebant etiam ἀκίνδυνον, & te propediem firmiorem futurum. Franciſcus noſter, quæ ejus eſt ſuavitas, credo, ut incitaret ad currendum, dixit, te validum eſſe, & belliſſimè habere: quod non credo, etſi literæ etiam tuæ id ſignificent: quòd purgationibus & morbi vi, qui te graviter afflixit, es conſumptus. quo ſi liberatus videris, nihil feſtina: maturè omnia, ne ad morbum hoc etiam. Solent enim eorum, qui ægritudine liberati ſunt, ſi in eandem recidant, graviores eſſe offen-

ſenſiones. Quamobrem mihi gratiſſimum feceris, ſi valetudinis diligentiſſimè habueris rationem : ut cùm venero, non duo vel tria tantum ſpacia facere mecum in xyſto, ſed pedibus quoque fundum obire poſſis, & ſequi in proximas villas, & te invitare pluſculum in cœna, & ſermonem producere ad multam noctem. Vale. Lucæ, IIII. Nonas Junias.

13. Joannes Baptiſta Gadius Aonio Paleario S. D.

SErius mihi, quàm ſcripſeras, redditæ ſunt tuæ literæ : credo illius negligentiâ, cui te rectè dediſſe exiſtimaſti. Is iſtinc diſcedens, nihil prorſus ad nos attulerat. quem cùm percontaremur, quid ita factum fuiſſet? Eſt, inquit, quòd des nobis veniam. aliis enim diſtricti negociis, epiſtolam quandam ſumus apud Arnulphinos obliti. Ego, quo ſum ingenio, iraſci primùm : deinde etiam obliviosſum hominem, atque adeò ruſticanum, contumeliis onerare non deſtiti, quòd in re minimè levi tàm egiſſet negligenter. Quid quæris? hiſce ille conviciis nonnihil commotus, continuò in urbem rediit: perfecitque hoc, ut lubentius literas tuas perlegerim, quo allatæ tardius fuiſſent : ex quibus morum ſermoniſque tui cognovi ſuavitatem, & quàm me amares facilè perſpexi. Mones enim pro tua in me pietate, mea mihi curæ ſit valetudo : in quo tibi obtemperabo non invitus, ut qui ſim memor, quotannis me periculoſè ægrotare ſolitum. De Eutycho tuo quod ſcribis, planè accipio excuſationem : tuáque causâ magnopere lætor, cùm te ſentio ab omnibus ordinibus & coli plurimum, & diligi. Sed ſubinvideo tibi tantam felicitatem, qui in iſta luce hominum ita vivis, ut cùm ipſi maximè ſint urbani, ſolus tamen εὐτράπελος videare, aut certè

omnium

omnium feſtiviſſimus. Nunc te hortor, compluſculos dies ſalutem literis dicas, ſi modò graviſſimæ tuæ occupationes id patiuntur. Dii malè faciant barbaris iſtis, qui tibi tantum faceſſunt negotii: quos ſi licebit unquam, junctis copiis velim aliquando profligemus. Interea quæ tua eſt fortiſſimi Imperatoris virtus, hoſtilem impetum ſolus acriter ſuſtinebis. nos ex iſtis tuis Athenis, ſi differas adventum, literas expectabimus crebriores: ſin minus, ſic te memineris expectari, ut nos omni gaudio propediem delibutos reddas. Vale, ex Pancratiano Arnulphini.

14. Paganus Paganius Aonio Paleario S. D.

VIncentius Menochius, utriuſque noſtrûm amantiſſimus, his proximè præteritis diebus, ut ſcis, Piſas venit: qui cùm ſemel vix ſum congreſſus, idque per breviſſimum temporis ſpacium. Nam cùm in comitatu eſſet quarundam fœminarum Lucenſium, ſummo loco natarum, homo φιλογύναιος ab earum latere nunquam potuit abduci. nec mihi, quod maximè in optatis erat, contigit: ut cùm non potuiſſet ad me divertere, quod quidem jure hoſpitii debitum videbatur, ſemel apud me ſaltem cœnaret. ille tamen, ut eſt omnium officioſiſſimus, meque in ære ſuo, ex quo me ſuperiori æſtate Genuæ novit, habet: ad me, cùm vellet diſcedere, petaſatus venit, totúsque ſudans (nam fœminæ illæ, quæ huc venerant comœdiam ſpectatum, jamjam conſcenſuræ equos illum expectabant) petivit, nunquid vellem? colloquentes igitur, tria aut quatuor ſpacia, dum inambularemus, fecimus tantum: isque tunc inter nos fuit ſermo, qui inter amiciſſimos eſſe ſolet, cùm alter alteri repromitteremus officia, mutuamque operam, & ſtudium, quod à veriſſimis amicis expeti & requiri ſolet. Ille autem illud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

omnium poſtremum & ſummopere à me contendit, ut aliquid ad te ſcriberem: quòd ei cùm recepiſſem me facturum (quid enim promitterem, non æquè tunc, ac poſtea, cognovi) hocque cogitarem, non ſemel promiſſi me pœnituit: idque eâ potiſſimum causâ (ut multas alias taceam) quòd ſum ſemper occupatiſſimus, animoque in præſenti perturbato. Sed cùm in ea meditatione verſarer, ut ſemper in animo haberem, cui id promiſeram, id eſt, Menochio, cui aliquid negare nefas ego eſſe exiſtimo, dare aut verba nefas maximum: ad te vel ineptiſſimas dare literas malui, quàm nullas. Sed nequeo invenire principium, neque quid ad te potiſſimùm ſcribam. Non inde faciam initium (poſſem fortaſſis) ut te accuſem, propterea quòd, ut poſtea intellexi, tu ſuperioribus diebus huc veniſti, ego tamen de iſto tuo adventu à te celatus ſum: quod quidem ob noſtram amicitiam nuperrimè Lucæ inſtitutam, ut rectè factum poſſis defendere, tu ipſe videris. Ego quidem libentiſſimè te vidiſſem. atque ut non repugnarim, te apud quos divertiſti fuiſſe lautius: non tamen facilè conceſſerim, ut te aliquis lætiore animo & benevolentiore potuerit accipere. Sed hæc omitto: nolo enim exordium mearum ad te literarum à querelis duci. quanquam hæc mea præſens expoſtulatio, vel tibi eo nomine grata eſſe debet, quòd in hoc quantum à me ameris facilè potes cognoſcere. Illud potius initio dicam, quod de Luca Antonio, medico Piſano, qui iſtuc venerat pridie Nonas Martias, primùm audiveram, (ea enim mandata ad me habuerat) & poſtea Menochius cùm ſemel, ut dixi ſuprà, unà fuimus, mihi expoſuit: vos, hoc eſt, Nicolaum Vidacionium, Benedictum Manfredum, Dinum Sardinum (Dii boni quos Viros, quáque doctrinâ & virtute præditos?) alioſque quoſdam Viros Lucenſes literatorum amantiſſimos, & te maximè, cum meo Peccinio, etiam atque etiam optare, ut ego iſtuc veniam, atque jam

inchoaſſe

inchoaſſe hujus negotii effigiem: quæ qualis ſit, mihi Menochius narravit. Hic igitur multa mihi occurrunt: ſed quia vix hæc poſſum ſcribere, animumque meum noſtro Menochio aperui, rem brevi comprehendam. Aveo & ego iſtuc venire, vel publicè, vel privatim, vel utroque modo: ſed privatim magis, bonas literas iſtam juventutem pro virili & pro parte mea docturus. Tu igitur cum reliquis meis, quos ſupra nominavi, vel ſi qui alii ſunt qui id exoptent, in eam curam incumbes, ut res ad finem perducatur. Illud ego ſanctè & ex animo promitto, me daturum operam, ſi iſtuc venero ad hoc munus accerſitus, ut nullo unquam in tempore te, vel quemvis alium, me juviſſe, veſtramque diligentiam mihi navaſſe pœniteat. Expectabo quid vel tu, vel Menochius de hac re ſcribatis ad me: & rationem mearum rerum veſtræ literæ gubernabunt. Neſcio an in more ſit iſtic poſitum, ut publico nomine diploma mittatur ad literarum humanarum profeſſores, quos de hac cauſa iſtuc vocant. Ego ſi publicè eligar, vellem illud ad me dari. ad res meas hoc multum intereſt. Te in reliquis rebus rejicio ad ſermonem, quem de hac re cum Menochio habui: qui etiam me rogavit, ut aliquid meorum ſcriptorum iſtuc ad vos mitterem. Itaque mitto tres epiſtolas cum his complicatas, recentes ſatis, ut eſt videre. plura ſi volueritis, & alio in dicendi genere, mittam: ſed ex illis verſibus, qui ſim in ſtylo & dictione, optimè conjicere poteſtis. à me tamen otioſiore & quietiore, meliora fortaſſis poſſunt expectari. Meis verbis dicito plurimam ſalutem Peccinio, Manfredo, & Dino, articulatè etiam Vidacionio: licet enim de facie minimè hominem cognoſcam, tamen quòd me amat, quodque à noſtris literis, licet ſit jurisconſultus, non abhorret, cum ſummè colo, & obſervo. Non dico Menochio, ad eum enim ſcribo ſeparatim: cui hunc literarum faſciculum curavi reddendum, ut certius perferatur.

Penè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Penè illud omiſi : tutius hæ meæ omnes epiſtolæ domi veſtræ erunt. id ita interpretamini, ne ulli detis deſcribendas : hoc vos ſupra modum rogo. Vellem, ut hæc etiam de mea cauſa attingam, rem quidem citò confici, ne interea animi pendeam : ſed nollem (id ſi ullo pacto fieri poteſt) ante Julii Idus iſtuc venire. ſed nolo tempus ullum rationem negotii conficiendi impedire : me enim ad id quod feceritis accommodabo, dum interjectus ſaltem ſit menſis. Vos omnia pro veſtra ſingulari ſapientia, proque non vulgari veſtro in me amore credo facturos : & præcipuè, ut totum negotium cum dignitate conficiatur. nihil igitur præſcribo. illud tantum tibi : Ego te, Aoni, ob ſummam tuam eruditionem, pari cum humanitate conjunctam, mirificè amo & obſervo, hæreſque mihi in viſceribus. eam tu igitur mihi in hac cauſa præſta operam, quam de te mihi polliceor. effice ut te neceſſariò, ni ingratus eſſe velim, colam : quem antea libenter tantum, & ſponte, nullo tibi beneficio nulloque merito obligatus, mihi propoſui obſervandum. & hæc ſatis. Credo vos audiviſſe, Rectorem, ut appellant, hujus Academiæ, à Cæſare Craſſo patricio Mediolanenſi nudiustertius manè in ſcholis accepiſſe tria vulnera in ſcapulis, levia admodum: qui miſer juvenis repentè poſt factum comprehenſus à cohorte prætoria, cum multum, nullo armorum genere tectus, ille ſe nudato enſe defendiſſet, hocque manè, vel magis paulò ante lucem ſecuri percuſſus eſt : jacuitque pro Palatii porta ad quatuor horas, vulgo miſerabile ſpectaculum temeritatis & imprudentiæ juvenilis. Sed hoc triſte omitto : tu me amabis, ut quidem amas, qua in re non patiar à te vinci. Tuas expecto, te dignas : Aonias ſcilicet, & perelegantes. Piſis, XV. Cal. Aprilis.

15. Aonius

15. Aonius Palearius Pagano Paganio S. D.

Ego verò vellem nobiſcum hic eſſes: ſtudium enim meum, & diligentiam amicorum in petitione præſens videres, & nos fructum caperemus dulciſſimæ conſuetudinis tuæ. Sed tu, dum ab uxore, liberis, & rebus tibi chariſſimis abeſſe non potes, adhuc angis nos deſiderio: & negocium tuum, qua vellem celeritate, non explicatur. Poſt tuum diſceſſum, ut ex Menochio audire potuiſti, nullus propè dies fuit, quin de te ſimus collocuti, commentatíque inter nos, quâ ratione res tranſigi poſſit. Ego de publica conductione prius agendum cenſebam apud Gymnaſii præfectos, poſtea de privata: ille contrà, de privata prius, quòd vereatur, ne ubi à præfectis impetraverimus omnia, privati, quorum flexibiles ſunt voluntates, differre ac procraſtinare incipiant ſyngraphæ ſubſcriptionem. Non diſſentiam ab homine tui amantiſſimo, à quo tibi prompta & parata eſſe omnia certò ſcio. ejus conſilium omninò ſequar, quòd putem me tibi in ea re facere gratiſſimum. Adduci tamen non poſſum ut credam, præfectorum conductionem faciliorem eſſe ſubſcriptione privatorum hominum: ita te Lucæ florentem videam, ut ubi intelligent aliquorum commodum in primis agi, Herculis labor erit exantlandus, ne nobis adverſentur, qui rempublicam gerunt: præſertim cùm ludimagiſtri quidam, quibúſcum tibi bellum gerendum continenter eſſe video, majori ſtipendio conduci te graviſſimè ferent. Iis cùm magnæ ſint neceſſitudines, veteres amicitiæ, arctiſſimæ conjunctiones cum Principibus civitatis, nonnihil pericli eſt, ne Senatorum animos à nobis alienent, atque abducant. Propterea antequàm illi reſcirent, cum præfectis agi, ad Senatum referri, & S. C. fieri in te perhonorificum volebam: quid impediebat poſtea, ne cum privatis noſtro commodo paci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſceremur? Magna eſt avaritia hominum, fateor: immò verò major eſt quàm putaram. at magnum hoc eſt, & optandum, ut invenias, cujus fidei liberos committere poſſis, bonum & diſertum Virum. Ego, etſi cùm has literas legeres, putabam fore ut ſcires, quid jam Menochius egiſſet: volui tamen ſcribere ad te ſententiam meam, adverſos magis rerum exitus metuens, quàm ſperans ſecundos. Quòd quereris, me proximis ſuperioribus diebus Piſis fuiſſe, neque ad te: ignoſce feſtinationi meæ. fuit mihi negocium cum publicanis: quibus ut ſatisfacerem, eodem die, quo veneram Piſas, erat mihi Lucam recurrendum. verebar, ne ſi amicis conveniendis tempus tererem, nox me in itinere opprimeret. An locupletior mihi teſtis quærendus eſt, quàm Robortellus? qui me quaſi per tranſennam aſpexit abeuntem potius, quàm venientem: qui cùm tamen non modò diem, ſed annos libentiſſimè ponerem. Pluviis & tempeſtatibus coortis, non potui ſatisfacere publicanis: quare trium dierum iter mihi fuit conficiendum, viâ peſſimâ & lutulentâ, ne mundum muliebrem uxor mea amitteret, quem illi interceperant, arculis non obſignatis. quod eò ſcribo, ut accipias excuſationem meam. Sed quid ego tàm multis ad te? qui non ignores, quæ ſint imperia uxoria: quo minus eſt ſuccenſendum amico noſtro, qui ſudans & petaſatus ſervit. Epiſtolas tuas non vidi. Vincentius opinor attulit ad Vidacionium: is Vir optimus eſt, & tui ſimilium perſtudioſus. eam quoque, quam ad me miſeras, cùm vix legiſſem, quoniam aperta illa quidem erat, putavit ferendam ad Bertolinum & Peccinium, noſtros. Nolui repugnare. itaque nullæ ſunt apud me literæ tuæ: nihil erit mirandum, ſi non ad omnia. Certior tuæ voluntatis factus, non expectabo literas. quæ ad tuum commodum, honorem, & dignitatem pertinent, maximæ mihi curæ ſunt, eruntque: ea proſequar omni genere

genere officii, induſtriæ, diligentiæ, quæ vel tibi placere intelligam, vel amicis tuis. Vale. Luca, octavo Calend. Aprilis.

De Cæſare Craſſo quæ ſcripſiſti, non potui legere ſine lachrymis. ejus pater ſuaviſſimis & temperatiſſimis eſt moribus, & propterea à me valdè amatur. filii autem aſpera quadam, & indomita natura, quæ patri diſplicebat: ſi vel diſciplinis vel ætate corrigi potuiſſet, habuiſſent Inſubres aliquid ſingulare, atque egregium. Sed is animo feroci, ac exultanti aviditate gloriæ ferebatur: gloriam, quæ ſumma in patre erat, non videbat. Miſeret me adoleſcentis: nam patris ejus non audeo dicere, in quem miſeria & dolor cadere non poteſt. nam aut hic eſt ſapiens, aut nemo eſt ſapiens. adhuc ambigo, daturúsne ſim ad eum literas conſolatorias.

16. Paganus Paganius Aonio Paleario S. D.

UT te noſtro de Menochio puto audiviſſe, iſtuc veni ſuperioribus diebus, omnia ex animi mei propemodum ſententia confecta inveni: quod acceptum ſecundum Deum refero vobis omnibus, qui me, ut eſtis omnium humaniſſimi, ſupra modum amatis: ſed tibi præcipuè. audivi enim ab omnibus, qui ſe in hoc negocio meo immiſcuere, te ita mea cauſa, cum ſumma diligentia & benevolentia elaboraſſe, ac ſi tibi eſſem frater. Illud non admodum bellè mihi cecidit, quòd tunc tu aberas: te enim præſentem vidiſſem, qui cum aliquantulum temporis, quod breviſſimum dabatur, decreveram ponere. Has igitur in præſenti tibi habe, eâ potiſſimum causâ ſcriptas, ut intelligas id, quod etiam me non ſcribente tibi perſuaſum eſſe certò ſcio, me ſcilicet hoc nomine plurimum tibi debere: atque id unum mihi eſſe in animo, ut pro tuo iſto fraterno in me amore, me ſemper in omni re cogno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſcas gratum & memorem tuorum in me beneficiorum. nam nulla res erit unquam tàm difficilis, quæ à me tuâ causâ ſuſcepta, non mihi perfacilis videatur. Perge igitur ut facis, & rem meam confice, ſi quid reſtat conficiendum: tu certè me tibi arctiſſimo amoris vinculo devincis, & imponis neceſſitatem mihi amabiliſſimam, ut te perpetuò colam atque obſervem. & hæc ſatis. Mea uxor (quæ à me intellexit, ut de me optimè ſis meritus) te, tuosque omnes multum diligit. ejus igitur nomine tuæ uxori plurimam ſalutem nunciato: & tu me plurimum, ut facis, ama. ego te certè quidem fraternè amo, penè dixi æquè ac me ipſum: poſſem verè id dicere. Vale, Piſis, Cal. Majis.

17. Aonius Palearius Joſippo Jovio S. D.

PRidie nonas Octobris expectatiſſimæ literæ mihi Principis Salernitani nomine redditæ ſunt, quæ ad ſimilitudinem tuæ manus proximè accedebant: tàm tui ſimiles, quàm tu es tibi: pietatis, humanitatis, & amoris plenæ. cum his erat Vincentii Martelli epiſtola perofficioſa. Poſtridie ejus diei cùm cœnarem, ecce nuncii optati & jucundi, Lucam cum heroe illo veniſſe cœleſtes & divinos Viros. Quid cenſes? potuiſſe me ſuperſedere, quin ego rectà ad Cenamii ædes, ad quem is divertiſſe dicebatur? cùm eò veniſſem, neque te, neque Martellum, neque Taſſum comperiſſem, neque eorum quenquam quos mihi propoſueram, per quos intromitti ſperabam, noli quærere quàm animo ceciderim. ſentiebam enim extenuari ſpem, quam mihi Martellus epiſtolâ injecerat, & tu promiſſis illis tuis confirmaras. cùm tamen recentes eſſent literæ veſtræ, & magnificè pollicerentur, cohortatus ipſe me, nolui expectare deductores, tùm quòd nulli eſſent; tùm quòd audieram, quòd multò eſt veriſſimum, eo Principe nihil eſſe illuſtrius, nihil humanius,

manius, Ad quem cùm veniſſem, & abjeciſſem me ad ejus pedes : non ſuſtinuit, ſed complexus, libentiſſimè accepit propenſionem animi mei. deinde me de ſtudiis noſtris percontatus, nunquam mentionem fecit earum literarum, quas per vos dederam. Subodoratus ſum, cùm in Hiſpaniam eſſet eundum, veritos vos, ne videremini invenuſti & inurbani, ſi ad me non reſcriberetur : mirabar verò te id oneris ſuſcepiſſe, quod ſemper recuſaſſes. Antonius Collinus, qui te valdè amat, ad matrem tuam, lectiſſimam fœminam, quæ tui deſiderio moritur, literas detulit. affirmavit illa, tuâ manu eſſe ſcriptas : quas amplexa, oſculata, lachrymis propè delevit, neque poſtea paſſa eſt eas à ſe divelli. M. Lilius, qui mecum eſt totos dies, obſervavit genus dicendi grave & elegans, in quo tu nobis Deus videri ſoles. Dolet, iſtam ſuavitatem ingenii diutius abeſſe à nobis. adhuc dum tu nullo loco conſtitiſti : nos te non fruimur, & tu nobis cares : pendemus interea expectatione, ubi, quibuscum, apud quos futurus ſis. novi faſtidium ſtomachi tui, in quo ego agnoſco meum. Is eſt curſus temporum, ea ſunt ingenia hominum, ut nihil melius, quàm ut nuſquam : id quoniam fieri non poteſt, ut necubi ſis diu. Hoc loco ſi videor facere, quod vulgus medicorum ſolet, ut quos ægritudine levare velint, eos medicinâ gravius afflictent : fateor me non invenire remedium, quod non faciat dolorem. Grave eſt Lilio, grave matri, mihi graviſſimum, tàm longè te abeſſe : verùm cùm patria ingrata ſit, durus pater, qui te colere & obſervare deberent, non intelligant, quàm tuæ virtutis ſplendore illuſtrari poſſint : quid dicam? Cœpit me incredibile odium generis humani, quod vel à conſuetudine, vel ignavia, veluti ab aliqua Circe ita eſt immutatum, ut mira ſit ubique inopia hominum. Tu virtute iſtâ tuâ te confirma, bonoque animo ſis : immò verò etiam gaudenti, quòd illis places, qui tibi mirificè placent. cujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

rei non eſt locupletior quærendus teſtis, quàm ego ſim tibi, qui de te nullum finem facio cogitandi, & quotidie admiror magis iſtam deſpicientiam rerum humanarum: quam tamen ſi tu ſic humanitate temperares, ut ad eos quibus es chariſſimus, crebrius ſcriberes, cave putes quicquam fieri poſſe ſuavius ingenio tuo. Vale.

18. Aonius Palearius Vincentio Portico Juriſconſulto S. D.

EGO ita amicus ſum jurisconſultis veteribus tuis, ut, qui eos non colant, & qui non caſtè colant, mihi planè ſint inimici. intelligis, mi Portice, cur ego te valdè amem? & quid velim, antequam petam? Audio eſſe apud te veteres aliquot interpretes juris civilis, tanta me cupido invaſit, ut, ſi in conclave illud Hermathenæ tuæ irrepſero, non verear haberi in numero direptorum. Equidem vel quod ingraveſcente ætate ſimus omnes avidiores, & appetentiores quàm par eſt: vel quòd, ubi plus ſapimus, ſuppudeat nos tàm parum ſcire: id ætatis factus ſum librorum helluo voracior, quàm credi poſſit: quod eſt indicium ſtomachi crudioris, & qui facilè moveatur. Sunt præterea mihi duo liberi, quorum alterum Latinis & Græcis literis, & philoſophiæ naturali dare operam volo, alterum Latinis & jurisperitorum facultati: huic Græcorum librorum copiam feci, illi juris civilis ſupellectilem paro, cui te ducem do, amicum, tutorem, patrem, ut his nominibus filio meo plurimum debeas. ſed nolo ego te omnia meorum cauſa facere: cupio etiam aliorum: deſino orare, ut volumina illa alicui tranſcribenda des, cujus manum amem. eſſet enim id immenſi laboris. illud potius rogo, ac peto in commune ut conſulas, id eſt, in ſocietatem ſtudioſorum: imperti nobis aliquid bonæ iſtius fortunæ tuæ: ſine, ut commentarii iſti à ty-

pographis

pographis edantur. quod cum feceris, demſeris tibi nihil,

Ut homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit
Ut nihilo minus ipſi luceat, cum illi accenderit.

nollem tuas iſtas divitias latere diutius in tenebris, nollem in te includi ullum commodum ſtudioſorum: illud præterea: ſi qua in his commentariis tua ſunt, id eſt, à te ſcripta, quæ facio plurimi, quòd ad interpretes illuſtrandos acceſſerint, ſcito interpretes iſtos ſequi debere.

Si ut habiliter gemmæ geri poſſint incluſæ auro fuerint, tunc aurum gemmis cedere dicimus.

Paulus Jurisconſ.

Quoniam hoc ſpectamus, quæ res cujus rei ordinandæ cauſſâ fuerit adhibita, non quæ ſit precioſior.

Ulpianus:

Et in argento potorio non id duntaxat ineſſe videtur in quo bibi poſſit, ſed etiam quod ad præparationem bibendi comparatum eſt.

Pomponius reſpondebat: additamenta enim ſequuntur ea, quibus ſunt addita. vides, quantum ſemihora profecerim in ſtudiis tuis? ut audeam tibi jurisperitiſſimo negotium faceſſere, & contendere, ut, quæ tua ſunt, non ſint tua: ſed ego non te ex jure manu conſertum voco: nihil ſuperbè, nihil inſolenter faciam, modeſtè & humaniter omnia. τῶν θεῶν ἐςι πάντα. φίλοι οἱ σοφοὶ τοῖς θεοῖς. κοινὰ τῶν φίλων πάντα. ἄρα τῶν σοφῶν πάντα. Et omninò, ſi à Deo ſunt omnia, à quo non modò mentem & bonum ingenium dari, ſed vitam quam vivimus, & ſpiritum quem ducimus nobis impertire videmus, cur nos autem tàm injuſtè avari ſumus, aut tàm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

odioſè invidi? ut ſtudioſis bonarum artium, qui Deo ſunt acceptiſſimi, non concedamus ea, quæ, ſi edantur, nobis gloriæ eſſe, & aliis prodeſſe poſſunt, obeſſe certè nemini. ſed quid ego tàm multis expertus toties benignitatem & liberalitatem tuam? vereor, ne ſim injurius, qui ſic rogem, quaſi dubitem, quin mihi pro communi bono laboranti non reſpondeas, quam ſciam ſemper omnibus optimè reſpondere. Vale.

19. Franciſcus Corſinius Aonio Paleario S. D.

HEus tu, qui perpendis momenta officiorum omnium, nonne debes mihi plurimum? Quid tibi? inquies, à quo nullum unquam beneficium. Quid ais? itane tandem? te in judicium voco, litem intendo, vel te judice dirimendam. Primùm à te ſummâ contentione peto, utrum per Deos neges amicitiam noſtram à pueritia incœptam, cum ætate creviſſe ſimul, longâ conſuetudine confirmatam, ſtabilitam eſſe multis ac magnis officiis? Vide quid reſpondeas: verbum non audebis. Si concedis, vici: ſi negas, ego te aggeribus & vallo cingam, vineis & turribus admotis oppugnabo, ariete arcem defenſionis tuæ percutiam: quid obſecro facies, quin te dedas? Omnia tormentorum genera mihi ſunt Verulis, Babuci, Turricii: etiam, ſi opus ſit, ad te expugnandum expeditæ legiones ex Hernicis tuis educentur. Nega, fatere: quoquò te vertas, benè habet, vicimus, & quidem parvo negotio. nam illud firmiſſimum eſt, ut idem velle, & idem nolle, ſit amicorum; cùm præſertim quæ honeſtè ab amicis petuntur, optimo jure petantur. Quid eſt igitur, quod mihi jure non debeas? qui & amicitiam ſanctiſſimè colo, & ſummis laudibus ad cœlum te effero. Senſiſti jam diu, me rerum tuarum lectione mi-

mirabiliter delectari. & credo, propterea ſuperioribus annis non ſemel ad me orationes tuas, cum epiſtola ad Lucenſes miſiſti: quas avidiſſimè quidem legi, & earum copiam multis tui ſtudioſis feci. Lactaſti? nam quid hoc eſt? cur ab eo officio diſcedis? Quod conſuetudine fit, id etiam jure fieri ajunt. Diutius, quàm noſtra ferre poſſit amicitia, præſentis anni tuam orationem expecto. At tu fallis opinionem meam. qua re ſubiratus primùm, deinde ad me rediens, cœpi egomet mecum: Hem, cur non ad me, ut ſolet? conſtitui tandem monere te pro amicitia, ut cùm primùm poteris (poteris autem cùm voles) quàm diligentiſſimè orationem mihi debitam ad me mittas: id niſi feceris, cave à machinis. eò moleſtus uſque eſſe pergam, quo de amicitia fateare, & in manibus habeam orationem tuam. Vale, VII. Cal. Januarias. Babuci.

20. Aonius Palearius Franciſco Corſinio S. D.

Delectavit me hilaritas literarum tuarum, & ex jocis: & quòd animo prompto eſſes ad jocandum, magnam cœpi voluptatem. feci enim ex ea re conjecturam, vos omnes rectè valere, & bonâ ſpe eſſe: & te, quod non putaram, provectâ jam ætate, factum ſtudioſum rei militaris. quòd niſi te probè noſſem, qui cùm gladio falcato illi tuo alligaris, es omnium impeditiſſimus, credidiſſem ego te ſummum evaſiſſe imperatorem. ita enim aggerem, vallum, vineas, turres, arietem, legiones nominas, quaſi non modò obſederis, ſed expugnaris urbes, caſtella vi pugnando cœperis, exercitum duxeris. At verò quòd in eadem epiſtola in judicium vocas, & litem intendis: remittis de ſpiritu multum, & militaribus minis, præque te fers juris potius quàm militiæ peritum. Sed nihil valdè opus eſt, ut vel hunc, vel illum agas: cum homine, qui non modò non negat, ſed fatetur, immò verò prædicat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

dicat, omnia ſe tua cauſa & velle & debere: qui benevolentiam tuam imitari poteſt, merita aſſequi nunquam. Literas minus ſæpe accepiſti, quòd nihil proximis menſibus accidit, quod ſcire aut tua, aut mea intereſſet. qua in re tu à culpa non abes, quòd mandata mea tam diligenter proſecutus es, ut ſint planè exhauſta: aliquid erat relinquendum, ut tua opera uti poſſem. Audiveram præterea vos eſſe in Hernicis, quò ex Hetruria vix ſemel in anno nuncius venire poteſt. Poſtremò ne me excuſem (dicam enim quod eſt) factus ſum in ſcribendo piger: credo occupatione muneris publici, quod mihi prorogatum eſt à Lucenſibus in annos treis. Quid ita, inquies? tandiu à nobis? Tu vides: credo tamen poſſe fieri, ut æſtivis feriis in urbem veniam, ſimque apud vos univerſum triduum. Multorum dierum via eſt: ego tenuiſſima ſum valetudine, iter ſæpe erit intermittendum, ultrò citroque commeantem feriæ deficient: & omnino præter quàm ut vos videam, cum quibus conjunctiſſimè viverem, cauſa nulla eſt, cur Romæ eſſe magnopere cupiam. vix dici poteſt, quàm me ſatietas adhuc teneat pompæ curialis: incredibile odium quorundam, qui Deos hominesque contemnunt, & impudentiſſimè vivunt: quos ego æquo animo videre non poſſum. ii ventoſiſſimi paſſim in oculos incurrent. Credebamus cenſura epiſcoporum coerceri libidinem hominum. id ſi aliquando fiet acriter, reviviſcet religio, juſtitia, abſtinentia: ſin minus, Romæ diu me non videbis. Tu qui ea ferre non potes, quæ mirum eſt ut quidam non modò perbellè ſorbeant, ſed concoquant etiam: in Hernicis vive, fruere integritate Philonardi, ſanctiſſimi viri: qui cum ego libentius unum diem poſuerim in villa ad Fibrenum, quàm reliquum vitæ tempus in omnium illorum regnis. Orationem meam, quam per literas petis, mitterem ad te, ſi mihi vel tempus ad ſcribendum, vel ſervus à manu, vel librarius eſſet: iis deſtitutus, non

non poſſum nunc mittere. Nihil tamen eſt quod labores: illepida eſt, & invenuſta: quæ quæ tamen eſt, melior fortaſſe mittetur à typographo cum cæteris brevi. at hoc brevi, puta eſſe anni ſpacium: aut, adhuc enim apud me ſunt. Multa meum animum diversè trahunt mi Corſini. ſi mutavero ſententiam, & in aliud tempus differam editionem, nihil dubita, perferetur ad te meâ manu ſcripta: neque committam, ſi tibi gratiſſimæ ſunt, ne meis nugis non expleam deſiderium tuum. Vale, Idibus Februarii, Lucæ.

21. Aonius Palearius Andreæ Alciato Juris-conſulto S. D.

SI quantum benemeritus es de jure civili, tantum abs te amantur ejus defenſores, næ ego non temerè in eam ſpem veni, ut oratio quæ in L. Murænam à me ſcripta eſt, adjungat me tibi magnis neceſſitudinibus. Nam etſi tua in jurisperitorum ſcientiam munera tot, tantáque ſunt, ut in ea aſpirare nemo poſſit: non moleſtum tamen tibi eſſe debet, ſi mea opera deſiderem aliqua ex parte laudibus aſcribi tuis. Merita quidem ſunt longè diſparia, neque ego meum factum cum tuo comparo: nonnulla tamen eſt ſimilitudo voluntatis, & officiorum noſtrorum. Tu primus jus civile (quod miſeris, perditiſque temporibus in incredibiles tenebras ac ſordes fuerat conjectum) reduxiſti in conſpectum hominum peritorum, & illuſtraſti ſplendore orationis: ego idem jus civile, quod florentiſſimis Reipublicæ Romanæ temporibus calumniis fuerat ſeptum, ac circumvallatum, primus (ut opinor) oratione Latinâ à clauſtris Tullianis auſus ſum vindicare, ac tueri. Quanquam in ea re tua ſors melior eſt, quòd tu de ſuperiore loco pugnas modò cum Græcis, modò cum Latinis, ſæpè cum barbaris hominibus, & pulcherrimè vincis: ego alieniſſimo loco & tempore, cum

cum Deo eloquentiæ contendo, nec diis nec viribus par. tibi nunquam deerunt laudatores, mihi ſemper obtrectatores ſuperabunt. Sunt enim quædam peſtes hominum propenſiſſimorum ad cavillationem & convicium. ab his non tàm obſervabitur Ser. Sulpitius à me defenſus, & M. Cato, Vir integerrimus: non jus civile ſuſceptum, non Stoica diſciplina per me erecta, & meis humeris ſuſtentata: quàm novitas rei, quòd duras partes ſuſceperim, auſus repugnare oratori divino, & propè cœleſti. Hic ego appello æquitatem tuam Alciate, hic fidem tuam imploro. Si neque excutere, neque examinare licet ea quæ veteres nobis ſcripta reliquerunt: exiguus eſt campus exercitationis, nullus modus veſtigandæ veritatis: à qua longiſſimè potuerunt aliquando abeſſe ſcriptores, tempori & cauſæ ſervientes: & abfuerunt ſæpè, fortaſſe odio atque invidiâ abducti. Ubi ſunt iſti Ciceronis ſtudioſi? qui ſingula ejus dicta, ſingula teſtimonia putant. nihil cenſet Cicero iniquius, quàm auctoritate & nomine pugnare. Obſecro te per fortunas, per ingenium tuum, Alciate, ut me adjuves in hac re. An non vides quæ mihi tempeſtas impendeat? quæ turbæ paratæ ſint? Nulla unquam fuit ætas, in qua major copia fuerit accuſatorum. Si tu conſuetudinem in advocationibus præſtandis ſervas, quæſo mihi advocatus eſſe memineris. Solent, qui ſibi periculum conflari timent, eos convenire, à quibus conſilium & auxilium expetant: ego quem adibo & colloquar? quem invocem, aut implorem, niſi te? qui reſpondendo & cavendo Deus mihi quidam videri ſoles. Oratio apud te eſt, non exibit niſi juſſu tuo: ſi eam probabis, ſic te para ut defendas. ob dignam liberali homine doctrinam, tibi turpe arbitror, eloquentium juriſperitiſſimo, non ſuſtinere juriſprudentiâ defenſorem juris: turpe juriſperitorum eloquentiſſimo, hominem, qui pro tuis artibus defendendis magnos labores ſuſceperit, ſumma pericula adierit, eloquentiæ armis non tegere.

Sed

Sed quoniam nihil invitâ Minervâ tuâ fieri volo, ſi quid oratio te offendet, cupio eam ſupprimi: gratiſſimum erit, ſi, quid ſentias, feceris me per literas certiorem. Vale.

22. Andreas Alciatus Juriſconſultus Aonio Paleario S. D.

ORationem tuam in L. Muræenam, quâ Ciceronianæ reſpondiſti, avidiſſimè legi, eáque lectione plurimum ſum delectatus: non tàm quod in ea patrocinium juris civilis ſuſcepiſti, & contra eloquentiſſimum oratorem artem noſtram defendiſti (quamvis & id quoque argumentum nobis plurimum placuerit) quàm quòd veterem declamandi morem in præſentem uſum revocas: & ſuperioris ætatis incuria, ne infantiam dicam, obſtructam controverſiarum apud rhetores viam aperis, reddisque facillimam. Quæ res non ſolum ad comparandam dicendi facultatem pertinet, ſed etiam nobis juriſconſultis admodum utilis eſt. Nam reſponſa prudentum, puta Alexandri, Cornei, Socini, quæ nunc ſunt in precio, ſi eis legum nomenclaturam adimas, quid ſunt aliud quàm declamationes? pauciſſimi quidem ex humaniorum ſtudiorum profeſſoribus hoc præſtare poſſunt. quod ſi qui poſſint, ad jurisprudentiam, quæ uberiores fructus parit, tranſire maluerunt, quàm inter pueros fictis thematis conſeneſcere. Unde factum, ut pulcherrima doctrinæ exercitatio interierit: quam nunc à te ſuſcitari, & in ora hominum tanta cum gloria reduci mehercle primùm gaudeo, hocque nomine me tibi plurimum debere fateor. Nec id Tullianæ auctoritati, quæ apud omnes ſacroſancta eſſe debet, quicquam obeſſe exiſtimo: quandoquidem ſolebat ipſe ultrò eorum perſonas inducere, qui ſibi adverſarentur. ſic enim veritas Socratico more magis eluceſcit. Ajebat, ni fallor, Domitius clienti: Dic contrà, ut duo videamus,

mur. Nihil igitur eſt quòd formides, mi Aoni, ne qui omnia Ciceroni tribuunt, tibi ſint infeſti: nam & ipſe ex illis ſum, qui tamen te hoc nomine valde amo. tantum abeſt, ut Ciceronianam majeſtatem te aut imminuiſſe, aut vel tantillum læſiſſe exiſtimem. Immò juratus affirmare auſim, vel in tuam ſententiam deſcenſurum fuiſſe ipſum Ciceronem: niſi argumentum cauſæ, quam ſuſtinebat, aliud expoſtulaſſet. nam extra eum locum ſatis ex univerſis ejus operibus apparet, quantum ſemper juri civili ille tribuerit. Macte igitur eſto, vir clariſſime, qui veterem nobis eloquentiam repræſentas, amiſſam majorum incuria declamandi conſuetudinem reſtituis, juri civili dignitatem ſuam aſſeris: M. Ciceronis præjudicatæ apud omnes exiſtimationi non ſolum nihil detrahis, ſed κατ' ἀνάκλασιν ut magis & magis refulgeat facis. quibus tot tuis virtutibus ego unus ex ſtudioſorum populo tantum me debere profiteor, quantum vix fando teſtari poſſum. Vale: Ticini, Cal. Octobribus.

23. Aonius Palearius Bernardino Maſæo Cardinali S. P. D.

CUm in Hetruriam triſtiſſimi nuncii de Flaminii obitu afferrentur, amiſſione optimi viri, mihique amiciſſimi, & ſermone omnium, qui ſtudioſorum fortunam vel dolebant, vel miſerabantur, graviſſimè ſum commotus. vulnera enim illa, quæ ob Sadoleti & Bembi mortem acceperam, non ſanata erant: & plaga iſta injecta rationibus meis tantum attulit doloris, quantum, ſi longior fuiſſet illius ſanctiſſima vita, mihi abſtuliſſet moleſtiarum. Paucis antè diebus quàm ægrotaret, eum de me cum Lucenſibus ſermonem habuerat, ut facilè intelligam, nulla illum in re, quæ ad honorem & dignitatem meam pertineret, unquam defuiſſe. Cum in quartanam etiam incidiſſet, eáque moleſtiſſimè afflictaretur,

tur, ſic amicè percontabatur à Lilio, quem mirificè a me diligi intelligebat, ubi eſſem, quid facerem, quibus eſſem auctus liberis, qua in re adjumento eſſe poſſet? ut compertum habeam, omnia mihi fuiſſe ab illo, ſi vixiſſet, futura prompta, & parata. Quod cum Lilius ad me ſcriberet, ita ſum affectus, ut nunquam ex animo meo effluere poſſit memoria illius viri. Acerba ſanè recordatio eſt, ingenium illud immortalitate dignum, ſubitò extinctum eſſe: ſed cum ejus ſuavitatis, magnitudinis, induſtriæ, vigilantiæ, pietatis mihi in mentem venit, non poſſum à dulciſſima cogitatione divelli. Neque verò eſt aliud, quod hoc tempore libentius faciam, quàm de Flaminio cogitare, & loqui: hac una ratione acquieſco, & lenio deſiderium meum. cumque mihi exhauriri incredibilem dolorem ob interitum trium clariſſimorum hominum non poſſe videam, inſidior mihi ipſe: & tantiſper certè, dum illorum divinas & cœleſtes virtutes memoria repeto, & animo complector, abduco atque averto me à triſtitia temporum, quibus florentiſſimos viros amiſimus, qui futuri ſint non videmus: de quibus quid cogitem, noli tu quærere pro ſapientia tua. Sicuti enim, cùm aliquot continuis annis ubertate agrorum, & cœli temperatione, frugum & fructuum copia extitit, multis poſtea ſequentibus converſione rerum anguſtiſſimè omnia proveniunt: ſic, cum hæc ætas eos oratores & poetas tulerit, ut nulla multis ſeculis fuerit feracior, tempeſtatibus his coortis magnam ego futuram vereor inopiam ingeniorum. Nolo omnia colligere, quæ tu acutiſſimè perſpicis: tantum dicam, nullos Bembos, nullos Sadoletos, nullos Flaminios renaſci, & iſtis occidentibus ſolem excidiſſe è mundo. De Polo, ſanctiſſimo collega tuo, nihil accepi, quónam pacto tulerit Flaminii mortem. vir eſt fortis, & gravis, ſumma ſapientia præditus: ſed magna eſt vis neceſſitudinis, amoris, & charitatis. Quid homini acerbius poterat accidere?

iſte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

iſte verò quotidie eſt conveniendus, qui integritate vitæ, ſinceritate animi, excellentia ſtudiorum bonis omnibus eſt acceptus: tibi, qui omnium ingenuarum artium, omnis politioris humanitatis ſemper ſtudioſiſſimus fuiſti, chariſſimus eſſe debet. Collige quicquid habes ad conſolandum: multa ſunt in te adjumenta doctrinæ, multa naturæ, quibus levare mœrore afflictum potes: ſed maximè hilaritate vultus, & feſtivitate orationis. omnia adhibenda ſunt diligenter: ejus abſentis luctum, ſqualoremque aſpicio. Quàm vellem ego nunc Romæ, reliquias iſtas aureæ ætatis quotidie viſerem, & ſalutarem: téque in primis, quem ob ſingularem virtutem, dignitatem, & amplitudinem colo, & obſervo: quo uno incolumi, benè conſultum à Diis immortalibus eſſe arbitror mihi, & liberis meis: quòd multum licet detractum ſit morte clariſſimorum hominum, tamen nihilominus ſatis relictum eſt pietate iſta erga me, & perſpectiſſima benevolentia tua. Vale, Nonis Martiis, Lucæ.

24. Bernardinus Maſæus Cardinalis Aonio Paleario S. D.

CUM Lilius, Vir omni humanitatis atque officii genere ornatiſſimus, ad me nonnunquam veniat, illius quidem aſpectus mihi & ſermo, cùm ſemper aliàs ſolet eſſe jucundiſſimus: tum verò nunquam jucundior fuit, quàm cùm proximè de te mecum locutus eſt, literaſque à te mihi reddidit. quas ego ſic accepi, ut optatiſſimum munus aliquod accipere mihi viderer: ſic legi, ut ſummâ earum elegantiâ & gravitate mirificè caperer: quibus tu doſenter admodum, atque amanter, Flaminii, hominis & doctiſſimi & ſanctiſſimi, obitum deploras: & cum cæterorum ad quos tanti Viri amiſſionis damnum pertinet, tùm verò tuam ipſius vicem præcipuè doles. Et quidem illius Viri mors literis, ob

præ-

præſtantem doctrinæ omnis, atque ingenii elegantiam: religioni, ob admirabilem morum & vitæ ſanctimoniam, ac pietatem: bonis omnibus, ob ſingularem erga eos, in quibus ineſſet aliqua virtutis ſignificatio, animi ſtudiique propenſionem, tantum detrimenti attulit, ut nulla re ſatis unquam reſarciri poſſe videatur. Sed quando ipſe tàm piè, Chriſtianéque deceſſit è vita, ut propè nefas ſit dubitare, illum ſummam vitæ hujus miſeriam atque calamitatem, cum infinita ævi ſempiterni beatitudine atque felicitate commutaſſe: nos quidem, qui eum amamus, multo magis lætari oportet tanto illius bono, quàm ullo noſtro commoveri incommodo: præſertim cùm tot ille, tamque præclara ingenii ſui, atque doctrinæ monumenta in omni ferè literarum genere reliquerit, ut jucundiſſima eorum lectione facilè omnis abſtergi poſſit animi noſtri mœror, atque triſtitia. Hæc cùm in primis Polo, collegæ meo, multáque præterea ſuppetant doloris ſui ex Flaminii morte accepti ſolatia, & illa quidem eo majora, quo ipſe & plura habet, & præſtantiora tum ſanctitatis, tum doctrinæ præſidia, atque adjumenta: an cenſes tu Virum hunc aut mea, aut alterius cujusquam conſolatione indigere? cujus quidem virtus multis jam, & graviſſimis periculis, detrimentis, injuriis, tanquàm aurum igni explorata, atque ſpectata, ſic latè nitet, ſic fulget, ut apud omnes cum admirationem maximam, tum verò mirificos ſui amores excitet: ut non tàm quidem ob res adverſas ejus vicem dolendum, quàm de tanta animi fortitudine atque conſtantia illi gratulandum eſſe videatur. Ad eum tamen miſi epiſtolam tuam: in qua ille cùm ſummum tuum erga ſe ſtudium, atque obſervantiam valdè amavit, tùm ſcribendi elegantiam magnopere laudavit. Quod autem ad te ipſum attinet, mi Aoni, ſic velim tibi penitus perſuadeas, me omnibus in rebus iis, quæ ad rationes tuas, & commoda pertinebunt, diligenter curatu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

rum: ut quam de meo erga te amore, benevolentiáque opinionem habes, ea te nunquam fallat: utque in me uno facilè omnium amicorum tuorum, quos amiſiſſe te doles, ſtudia atque officia cognoſcas. Vale. Romæ, XII. Cal. Majas. Lampridium noſtrum exoſculare.

25. M. Caſalis Vidottis ſuis S. D.

JAM lucebat, cùm ex oppido Collino ſum egreſſus. Lucam veni, antequam adveſperaſceret: prævolaverat tamen Pterix, quæ res auxit ſuſpicionem Aonio de uxoris morte. nam cùm à Pterige accepiſſet è dolore illam laborare, & ego ſubſecutus poſt treis horas veniſſem ſudanti equo, cœnoſis cothurnis: ubi me vidit, exanimatus, magnam vim lachrymarum profundere, & clamare cœpit: Hem mea vita, mea lux, meum deſiderium. cùm graviſſimè febri & lateris dolore affligeretur, in alteram partem lecti ſe provolvens, pulvinum amplexus, neque Pterigi, neque mihi affirmanti de uxoris vita, fidem habuit. Ego, etſi maximè volebam vultum mihi lætum fingere, & vocem conſtantem: cùm tamen viderem hominem mihi chariſſimum febri & lateris dolore ardere, fateor non potuiſſe. Nihil tamen omiſi eorum quæ conſolationem afferre poſſunt. nam ut bono animo eſſet, multa dixi, & juravi me non mentiri. uxori adeſſe partum, & eſſe difficilem: tamen obſtetrices benè ſperare. quin etiam ipſius uxoris rogatu me veniſſe, ut eum, cùm primùm per valetudinem liceret, ad ſeſe adducerem. His paululum recreari viſus eſt: neque tamen deponere metum, & dubitare, dari ſibi verba. Opinor, vel potius intelligo, noſtro adventu acceſſionem morbi factam. nam cœnantibus nobis quodammodo deſpondere animum, & fixis oculis intueri, & luctuosè & creberrimè ſuſpirare cœpit. Cùm ad multam noctem adfuiſſemus, & nihil de dolore ac febri remitteretur, nos qui de via feſſi eramus, cubitum ivimus: ipſe tertiâ

ferè

fere vigilia, ut à ſerva accepimus, paginam & atramentum cum calamo ſibi afferri juſſit, quaſi aliquid ſcripturus: cùm partem nullam noctis quieviſſet, paulò ante lucem in ſuperius conclave lectum exportari juſſit, in quo eſt imago uxoris ſuæ: quem ingreſſus, ſudare cœpit, neque multò poſt dormire. Dum alia quæreremus, incidimus in pagellam, in qua erant hi verſus, vacillantibus literis: quos ad vos mittimus, ut admiremini Viri amorem & pietatem in uxorem: eamque, ſi vivit, conſolemini. cui ſi quid humanitùs acciderit, ſecus ac volumus, ſit aliquid etiam quod vos conſoletur.

Ni mihi ſpem Chriſtus faceret, quem vita ſecuta es,
Non poſſem abrupto vivere conjugio:
Ille mihi te olimredituram in luminis oras
Pollicitus, dulci paſcit amore animum:
Interea Aonium venientem curſibus ad te
Expecta campis uxor in Elyſiis.

Sed utinam hic valeat, & iſta vivat: quæ ſi peperit, adventare omninò, ac propè adeſſe debent aliqui cum literis veſtris. Nos hic, ut ego pro Pterige quoque pollicear, nulla in re deerimus: etſi fortaſſe nihil opus erit operâ noſtrâ. ea natura eſt hujus morbi, ut ſimulatque declinare cœpit, illicò evaneſcat. Deos quæſumus, ut citò ad vos optatiſſimi & jucundiſſimi nuncii revertamur.

26. Orgetorix Sphinter Aonio Paleario S. D.

ETſi ego hæc coràm potius tecum, quàm per literas agere voluiſſem: impedivit tamen me poſt Sadoleti mortem curſus iſte in Germaniam, in qua nunc tot negotiis diſtineor, ut non queam avelli, planeque neſciam quando in Italiam ſim rediturus. Coloniam veni III. Nonas Januarias: Idibus ad Laurenum ſcripſi, à quo puto ad te miſſum exemplum mearum literarum, cum Henrici collectione: quo viro (mihi crede) nihil poteſt fieri ſtudioſius, nihil amantius tui. habet is in Pannonia negotia magna, atque ampla:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

& propterea patrocinia clariſſimorum hominum. Cum ſuperiore anno in Curia Ferdinandi Regis fuiſſet, putabat hîc, ut te obſervat, aliquid eſſe tui nominis: ſed mirum in ea ſilentium de tuis libris. neminem invenit, ad cujus manus tua ſcripta pervenerint. Rogabat de Vergerio, quem bonum Virum & literatum omnes dicebant: ſed ab eo in Curia perdiu nihil fuiſſe literarum. Quid eſt? ita vivam, ut libelli tui ad Regem non ſunt allati. Vergerius vel habuit minus fideles tabellarios, vel Regi noluit eſſe moleſtus ſcribendo: vel alicujus opera uſus eſt, cujus non fuit opera. Solet enim fieri, ut qui in aliquo honore ac precio ſunt apud Principes, nihil obtundant aliorum cauſa: ut ſi uſu veniat, totos occupent ſua. Tu, cùm tanto intervallo disjunctus eſſes, ſperaſti, quaſi abeſſes iter unius diei, libros poſſe ferri fideliter, literas dari, commendatione comparari gratiam. Ego id mihi non ſumo, ut tibi conſilium dem: ſed ut puto, poſthac ſapientius facies, ſi in commendationibus iſtis habueris minimum ſpei. nolo plura. Falſus es, ſi hìc meliores eſſe res credis, quàm in Italia. De Henrici collectione ſcripſi ad Laurenum, de qua nunc ad te paucis: quòd non verear permagni à te fieri amicorum εὐδοκίαν. Ego nihil arbitror bono Viro eſſe jucundius, quàm amari à bonis, quorum ubique mira paucitas eſt. Memorare poſſem, quibus à Regibus deſideratum eſt par amicorum: tu cùm habeas, non amabis? Quos ergo? purpuratos iſtos? qui quàm grati & memores ſint, tu jam ſentis, nos quotidie experimur. Mirifica ſunt officia tenuiorum, domeſtica, publica, in ſtudiis, in literis: in primis non ficta benevolentia, animus ſyncerus ac ſimplex, qui amico honeſtiſſimè cupiunt, pro quo etiam mori poſſunt. Ad hoc genus hominum te refer ſis amandum & colendum. Scito abs te expectari dialogos, ἢ τὰ μέλη, quibus nos etiam exornemur: proinde ſi quid parturient tuæ Muſæ, fac ut memineris. Vale.

27. Ao-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

27. Aonius Palearius Orgetorigi Sphinteri S. D.

MIrificus amor tuus omni ex parte ſe oſtendit in his literis, quas ad Laurenum, quas ad me, proximè Colonia dediſti. Injuſtus eſt, ſiquis iſtas provincias, quas humanitas expolivit, & literarum lumen accendit, in quibus tales homines naſcuntur, barbaras appellet. Ego mediusfidius nihil puto fieri poſſe ſuavius ingenio tuo. Quamdiu fui Patavii, & tu Venetiis, quid proficiſci potuit ab homine ſumma humanitate temperato, quod abs te non ſit profectum & effectum? Nunc verò, quòd ab extremis Pannoniæ finibus excitaveris nobiliſſimum juvenem, & doctiſſimum, florentem opibus, propinquis, amicis, ad me colendum, & obſervandum: quanti putas à me fieri humanitatem iſtam, & pietatem? quam ob rem ego te, & Henricum tuum, vel potius noſtrum, arctiſſimè complector: ſi corpore non poſſum, animo certè quantum queo. Utinam tanto intervallo non eſſemus disjuncti: haberem profectò, ut tu dicis, par amicorum, quibus cum ego tam libenter viverem, quàm cum Diis immortalibus. Quòd ſi aliquando te iſtis negotiis explicaveris, ut redeas in Italiam, obſecro multo antè certiorem me fac per literas, ut quàm longiſſimè tibi obviam veniam. De libris meis aut eſt quod dicis, aut non multò ſecus. Ubi ſunt illa antiqua patrocinia literatorum? quibus caput extollere, & erigere ſe ſcriptores ſolebant? O ſpem fallacem, O inanes cogitationes meas, ſi tantus labor eſt exudandus, ut ad eos, quibus dicata ſunt mea ſcripta, perveniant? Vergerius nullam cauſam ſuſtinet: quem ego cognovi ſemper cùm doctum, tum bonum virum, plenum officii ac diligentiæ. Quem igitur, inquies, accuſas? Neminem, præter fortunam. Video id eveniſſe, quod ſcribentibus nobis eos libros

bros commeminit Bembus. Spes tamen adhuc eſt, ſi Maximilianus in Italiam venerit, poſſe fieri, ut ad Regem perferantur. Juvenis eſt pius, felix, auguſtus, ſapiens: num non leget quæ annos abhinc ſexdecim ſum auguratus? num contemnet hanc animi mei propenſionem in Auſtrios ſuos? non credo. Si quæ de Inſubribus dicuntur, vera ſunt, ſpero omnia fore melius. Magnos audio conventus agi in Germania. Tu ſi quid habes, & maximè ab Henrico, da aliquid literarum. Nos quicquid erit, ſic feremus, ut mortales. Illud tamen, quod mones, curabimus, quaſi nunquam morituri: ut omnes intelligant, nihil nos maluiſſe, quàm amicis, qui de nobis optimè meriti ſunt, gratiam referre. Id quoniam aſſequi non potuimus, ut memores & grati eſſemus, retuliſſe tanquam in accepti tabulas, & verſibus & ſoluta oratione prodidiſſe memoriæ, quantum cuique deberemus. Vale.

28. Aonius Palearius Pterigi Gallo, Familiari Suo, S. D.

SI tu vales, & uxor, liberique noſtri valent, bene eſt: ego cœli hujus gravitatem ferre non poſſum, bonam valetudinem, mi Pterix, amiſi: quotidie ægroto magis, neque inediâ neque purgationibus levor. Noctu me pituita enecat, nonnunquam etiam interdiu: ſæpiſſimè latus dolet. Ad hæc mala, quidam mœror accedit propè continuus, qui miſerè angit animum meum, vel ægritudine ipſa, in quam vis morbi converſa eſt: vel quòd optimos & amiciſſimos viros, qui proximis ſuperioribus annis interierunt, Sadoletum, Bembum, Flaminium, Sfondratum deſidero, robora illa defenſionis meæ, præſidia illa ſcriptionum mearum: vel quòd malevolorum & invidorum plena ſunt omnia, in quos incidere aliquando neceſſe eſt; cupio volare ad vos,

non

non eſt credibile, quàm me ſtudiorum tædeat. dies totos in apricatione Ceciniana conteremus: vel ſi placebit mane, aut inclinato in pomeridianum tempus die, cum Lampridio & Phædro, ſuaviſſimis pueris, & cum mulieribus noſtris circum villulas errabimus. Exercitationibus intermiſſis certè in id morbi ſum delapſus. hic pluviis complures dies coortis, pedem porta efferre non poſſumus: plus iſtic ſemper eſt ſerenitatis. Video, ut ſcribis, à colonis noſtris adventum meum amanter expectari. nullis cum hominibus ſum æquè libenter, quàm cum iſtis: qui etſi non ſunt cupiditatibus expertes, ſunt tamen præ nobis beati. Fac hortum parent, ut oluſculis nos queant paſcere. Urbanis ſumptibus planè ſum exhauſtus. helluellas, cochleas, ova, piſces, pullos, turdos rus ſuppeditabit: & omnino cœnæ ſalubriores & ſuaviores ſunt ex his quæ ex terra naſcuntur, aut aluntur domi, aut à nobis ipſis retibus comparantur, quàm quæ è macello petuntur. quod ſi lautius velimus accumbere, erit tyrotarichus ille tuus opſonium regium: qui ſi facilè concoqui non poterit, ruſticabimur. opus faciemus, ut defatigemur, eum uſque ut concoquamus. Proinde tu te para: cura ut ruri ſerrula ſit, ſecuris, cuneus, bidens, raſtrum, ligo. interea dum non belliſſimè nos habemus, ſeramus arbores, alteri ſeculo profuturas. Vale.

29. Aonius Palearius Cælio Secundo Curioni S. D.

Mitto cum his literis effigiem Dorotheæ filiæ tuæ: verùm, ut antea ad te ſcripſi, ἔμψυχον ἄτεχνον. Equidem ſi initio affuiſſem, alteram tantum oris partem à vertice per mediam frontem & mentum (ut ajunt) ducto filo pingi voluiſſem, quod in antiquis numiſmatis factum videmus. opinio tamen eſt ferè omnium hujus temporis pictorum,

 for-

ormam totam propius exprimi κατ' ἐπιφάνειαν, ut uterque oculus atque integrum os appareat. Omnino eſt aliqua oris ſimilitudo: ſed longè forma præſtat Dorothea, in vultu: qui, ut phyſici monent, eſt animi index. ineſt mirificus quidam pudor, in oculorum motu matronalis gravitas, major certe quàm ejus fert ætas. in gravitate quoque mira humanitas, & incredibilis venuſtas. Non eſt ejus facies ſuffuſa rubore, ut ſimulachrum oſtendit: color eſt ſuavis & verus, vegetæ ac lucidæ cutis, optima ſcilicet totius corporis temperatione. ſi quis virginem intuetur, illico roſeus in vultu, & ut Diogenes dicere ſolebat, ipſius emicat virtutis color. Statura neque admodum procera, neque parva (eſt enim, ut ſcis, annos nata decem) neque tenui corpore, neque obeſo nimis, ſed agili, atque expedito: apta denique figura membrorum, quam Græci noſtri συμμετρίαν vocant. Illud verò quod pluris faciendum eſt, immò quod caput eſt, & in quo poſita ſunt omnia, non præteribo: duas habet duces ac magiſtras, Angelam & Felicem, lectiſſimas feminas, quæ puellam ingenuè & liberaliter educant, & ferunt in oculis. nunquam vidi parentes indulgentiores, & quæ à liberis ita amari velint, ac iſtæ à tuis. ferrent id moleſte, ſi audirent: nam utraque Dorotheam filiam ſuam appellat: cumque liberis careant, certant ambæ amore, & officiis inter ſe, in alenda & ornanda puella. Deus Princeps & Rex omnium ſeculorum eas tueatur, ac ſervet. neque enim multas habet hæc ætas tanta charitate flagrantes: quæ hodie, quantum video, apud omnes gentes deferbuit, vel extincta potius eſt. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui poteſt, nos juvet, & ſua ope ſuſtentet. De rebus meis nihil ſcribo, quòd binas te de his literas accepiſſe arbitror. Vale.

30. Ao-

30. Aonius Palearius Lampridio Dorotheo & Phædro Theophilo Paleariis liberis & animis ſuis S. D.

MEdiolanum veni 16. Cal. Novembr. aſpectus urbis ita mihi placuit, ut, niſi me vos chariſſima pignora arctiſſimè teneretis, facilè poſſem rapi, & Hetruriæ oblivifci: ſed nullus locus, nullus conventus tam celebris eſt, qui ſine vobis mihi non videatur deſertus, & ſolitudo mera. Craſſus nos amantiſſimè accepit, apud quem adhuc ſumus: ejus conſilio freti ſenatores omnes domum ſingillatim viſimus & ſalutavimus: qui me contra perhumaniter ſunt complexi & honorificè reſalutarunt: magni Heroës. Ante diem 4. Cal. orationem habui in templo virginis à Scala, frequentiſſimo ſenatu, præſidibus, prætoribus, Tribunis ærariis, omnibus denique ordinibus adhibitis, advocatis collegiis juriſperitorum, & philoſophorum: tantus fuit concurſus civium, ut non modò in templo, ſed in compitis ac viis, quibus ſex in ædem itur, anguſtiſſimè ſtaretur: poſtridie ejus diei deductus ſum in gymnaſium publicum, in quo, ut primus comes Mediolanenſis mihi narravit, D. Aurelius Auguſtinus hoc idem munus ſuſtinuit, quod mihi eſt à ſenatu impoſitum, niſi quod illi erant Latini tantum auctores interpretandi, mihi etiam Græci. quod eo ſcribo, ut noſtros, qui de me ſoliciti ſunt, certiores faciatis, & ut vos ipſi excitetis ad virtutem & ſtudium literarum, quod vobis unum à me patrimonium erit: fortunæ exiguæ noſtræ ſunt, prædiola amœna potiùs quam fructuoſa, quæ afflicta bello Senenſi proximo, ſine pecore, vix familiam alunt: vectigal oppidanum duplicatum eſt, tributum ſæpe imperatur majus, quam vires noſtræ ferant. quo loco res ſit videtis. nam de ſororibus quid dicam, grandiuſculæ ſunt, & propediem in alias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

familias mittendæ, eas dotem ſequi oportet, domi non eſt teruncius: ſi frumentum anguſtiùs provenerit, in parſimonia ſummum præſidium: ego quoque minores ſumtus faciam, ut aliquid de ſtipendio meo corradam, quanquam hoc malè habet: diuturnitas belli Gallici efficit omnia mihi duriora: ſi generi, quales volumus invenientur, mercatores Lucenſes honeſtiſſimi homines pecuniam ſuppeditabunt, ne ab omnibus rebus imparati eſſe videamur: horum liberalitas ſplendorem vincit magnorum Regum: tuum eſt, mi Lampridi, qui es natu major, ſi quam relaxationem meâ abſentiâ fieri animadvertes, reſarcire & benevolentiam confirmare ſcribendo: non plus flores, ut ajunt, roſcido humore ſuſtentantur, quam amicitiæ, ne elangueſcant, appellando & ſalutando. Matrem tuam, lectiſſimam fœminam, magnâ animi fortitudine, ſed tamen fœminam, ſi opus eſt, conſolare: virgines cuſtodi: Phædrum ſuaviſſimum puerum, vide ne abripiant ac depravent adoleſcentium ſodalitates, te ne auferant quorundam conſilia: hoc uno minùs ſum felix, quod vobis infirmioribus abſum domo: cujus tu, id ætatis, ſi optimus eris gubernator & moderator, vel hoc ipſo ſuperabo omnium fortunam, quod vivens prudensque videbo, quod alii avent ſcire, ubi è vita deceſſerint. De colonis probo conſilium matris, ſine qua nihil fieri volo, ejus imperium reveremini; &, quod vobis parens eſt, & quod meâ mihi vitâ eſt charior. De ſtudiis veſtris magnam cepi voluptatem, cupio enim te, Lampridi, daturum operam philoſophiæ erudiri plùs literis Græcis, & Phædrum ſtudioſum (ut ſpero) juris civilis magis exornari Latinis, ut omnes homines intelligant, non modò filios mihi jucundiſſimos obtigiſſe, ſed alumnos etiam diſciplinæ meæ.

AD

AD EPISTOLAS AONII PALEARII ACCESSIO NOVA.

Ex Epiſtolis Cl. Virorum à Jo. Michaele Bruto editis Lugduni apud Gryphium 1561.

1. Aonius Palearius Andreæ Marino S. D.

ETSI magnam, mi Andrea, gloriam conſecutus videor, quòd vulgò hominum opinio me ſocium laudibus adſcribat tuis: tamen ex eo vel maximam voluptatem capio, quòd talem mihi in te inſtituendo ſocium, comitémque fortuna præbuit, ut te præſtantiſſimum, ſingularemque in omni genere laudis, juvenem futurum non dubitem. Neminem video (video autem quotidiè propè infinitos) qui Mediolanum veniunt, veteres amicos vel Lygures tuos, vel Hetruſcos meos, qui cùm de te audierunt quæ volùmus, & optamus, non mihi continuò gratulentur, quòd mihi Rorarium ſocium fortuna conceſſerit. Negant enim ſe dubitare, quin uſus quotidianus multùm poſſit in quovis homine: in adoleſcente verò plurimùm conſuetudo domeſtica. Quibus ego quanquàm poſſum veriſſimè reſpondere, imò verò reſpondeo, te quæ facias, bonitate ingenii facere, quæ vel in te cum ætate accrevit ſimul, vel ſi tecum nata eſt, quotidiè magis eluceſcit: tamen ne vel meæ diligentiæ, quâ patrem tuum cohortabar, ut talem Virum conduceret, neve bonæ fortunæ tuæ, quæ talem obtulit, faciam injuriam,

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

non planè nego aliquid noſtra operâ acceſſiſſe. Nam ego, & Rorarius quaſi boni agricolæ præſtitimus,

—— Ne mala culmos
Eſſet rubigo, ſegniſque horreret in arvis
Carduus, intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylva,
Lappæque tribulique.

Noſti cætera: quæ eò libentius commemoro, quod non ſunt aliena à dignitate tua: ſiquidem Achilli Græcorum fortiſſimo honeſtum fuit à Chirone educari, & Alexandro Macedoni omnium ſeculorum Principi perhonorificum, ſummâ obſervantiâ coluiſſe Philoſophos: Quamobrem à te petimus, ut in hanc hæreditatem gloriæ tuæ, nos aliqua ex parte venire patiare, quâ communicata nobiſcum, non modò non imminuetur, ſed potius augebitur: nihil enim probo adoleſcenti honeſtius, aut laudabilius, quàm habere apud ſe maturâ ætate viros, quaſi teſtes continentiæ ſuæ. Quare valdè probo, ſive domi, ſive foris es, quòd tibi ſemper adeſſe Rorarium jubeas vel ſodalem, vel conſultorem, & ſuaviſſimum convivam. Quòd verò ad me quotidiè ventites, & omnibus officiis proſequare humanitatis, tantùm te amo, quantum tu magis intelligere potes, quàm ego dicere: tuis enim factis ita incendor, ut nihil poſſit excogitari ardentius: nullus, mihi crede, relictus eſt amori meo locus augendi. Quæ cùm ita ſint, debemus omninò tibi, ut pro Rorario etiam loquar, gratulari, & gratias agere, & nobis gaudere, quòd florentiſſimum habeamus alumnum diſciplinæ noſtræ: contigit enim tibi, quod multis ſeculis haud ſcio, an nemini, ut ſummum ingenium cum ſumma probitate conjunctum ſit: in quem unum cùm omnes ſuas copias fortuna transfuderit, intelligere debes, nos ſummâ ſpe eſſe, quod non poſſis deſerere eos, à quibus initium profectum eſt laudum, & virtutum tuarum. Vale.

2. AN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

2. Andreas Marinus Aonio Paleario S. P. D.

QUantam voluptatem ex tuis literis cepi, cùm Rorarius adhuc nobiſcum eſſet, tantum poſt ejus diſceſſum, cùm in eaſdem incidiſſem, & relegiſſem, doloris accepi. Eſt ita profectò ut dicis, Aoni, neque conſultor prudentior, neque comior ſodalis, neque ſuavior conviva Rorario inveniri poteſt: nam eſt in prævidendo oculatiſſimus, in colloquendo jucundus, in convictu quotidiano perurbanus: homo integer, & ambitionis planè hoſtis eſt, nunquam ſimulator, ac diſſimulator: ſed eodem ſemper animo ac fronte, quòd de Socrate accepimus, qualis manè domo exibat, talis veſperi redibat domum. Refricant mihi deſiderium tuæ literæ, & quanquam renovant dolorem: tamen non poſſum mihi temperare, quin eas ſæpè, & verò ſæpius legam. Grimaldus in Hiſpanias proficiſcitur. puto poſſe fieri, ut hic ſit cum fratre, ille ad nos redeat, præſertim ſi fratri commorandum ſit apud Regem, qui compoſitis rebus quibuſdam provincialibus ad belgas dicitur rediturus, quod etiam nunc incertum eſt, neque quicquam affirmari poteſt prius, quàm noverimus ubi nuptiæ futuræ ſint: quæ ſi luctu Regio in alterum annum differentur, opinione celerius Rorarius ad nos redibit: quem diem ego ſi videro, cave putes, me quicquam fieri poſſe lætius. Hac ego oblector ſpecula, & lenio deſiderium meum: quod meliùs feram, ſi tu, qui nullum facis finem laudandi, & colendi Rorarii, tandiu apud me fueris, quandiu potes: potes autem eo tempore, quo interpretationibus publicis non ſis impeditus: quod totum ut apud me ponas, te vehementer etiam, atque etiam rogo. Vale. Mediolani, X. Cal. Decembris, anno Domini M. D. LVIIII.

3. Fran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

3. Franciſcus Luiſinus Aonio Paleario S. P. D.

ETſi neceſſe non fuit literas ad te dare, ut me veterem noſtram amicitiam colere intelligeres: tamen cùm ex Hiſpania Brutus ad te veniret, non putavi mihi eſſe committendum, ut eum qui tui valdè ſtudioſus eſt, meique amantiſſimus, ſine meis literis dimitterem: quibus tibi meam illam in te amando conſtantem voluntatem non eſſe immutatam ſignificarem. Quis enim ſit tàm ineptus, qui te perpetuo quodam ſtudio non amet? qui tuâ causâ non velit omnia? Id me præſtare neceſſitudini noſtræ, Brutus tibi, qui meos omnes ſenſus tenet, erit teſtis. Nam cùm Germaniam, & Belgarum regionem peragrarem, cùm eſſem in Britannia: ne vivam, ſi mihi unquam animo excidit jucundiſſimi ſermonis tui recordatio, quo Octaviani Populi convivium, cùm apud eum ambo Mediolani accubuiſſemus, condiviſti. Legeram ego antea tuos libros, quibus quantùm eruditione valeres, quantùm excelleres eloquentiâ, teſtatum omnibus reliquiſti: tùm verò mihi primùm contigit, ut ingenii tui ſuavitate perfruerer. Quare ii mihi ſemper felices viſi ſunt, qui te uti familiariter, & multarum, maximarumque rerum præcepta ex tuis haurire fontibus poſſent. Tantam ego commoditatem Andreæ Marino in primis gratulor, cujus mihi adoleſcentis præſtantiam Brutus ſingularibus verbis commendavit. Is ut Vir doctiſſimus eſt, ita ingenium habet peracre in judicandis hominum virtutibus. Bruti ego teſtimonio facilè, ut credam, adducor, Marinum ſibi in adoleſcentia clariſſimarum virtutum præſidia, atque ornamenta comparaſſe, ejusque laudem illuſtri jam loco ſitam eſſe. Utinam mihi jam liceret, tot itinerum laboribus, & navigandi jactatione defeſſo, ad vos, Paleari, ad vos redire: quæ tamen mihi facultas ita adhuc præciſa eſt, ut optandum mihi potius

potiùs videatur, ut ducere ad illud tempus ſpiritum poſſim. Sed de rerum mearum ſtatu ex Bruto ipſo audies, qui jam cum cothurnis adeſt, & calcaribus, ut mutatis ad celeritatem equis primùm in Galliam, deinde in Italiam percurrat. Vale. Toleti, Idibus Januarii M. D. LX.

4. Aonius Palearius Franciſco Luiſino S.P.D.

REdditæ mihi fuerunt ab Andrea Marino literæ tuæ, quibus ego legendis tam ſum delectatus, quàm ſi te audiſſem loquentem: habent enim atticum leporem & ſingularem humanitatem, qua tu ſemper mirificè abundas. Quòd ſi Brutus idem tuus, & idem noſter uſquam gentium apparuiſſet: leniſſem ego aliqua ex parte deſiderium meum. Nam cùm is valde te amet, & unicè abs te ametur ob vitæ, & ingenii ſimilitudinem, te ipſum videre viſus eſſem: multa præterea oratione ſua ſubſecutus, quaſi Menelaus Homericus mihi narraſſet omnem iſtam navigationem, qua è Belgis in Britanniam, & Hiſpaniam tranſmiſiſti. De Gregorio verò meo, dii boni! quam jucunde accepiſſem quod ab aliis nuntiatur, eum belliſſimè habere, qui cum à nobis diſceſſit ſtomacho erat delicatiore: nimirum iſte aër aptus eſt ad concoquendum: nam Hiſpania calidior eſt, quàm Italia noſtra, quòd ad Oceanum ſit expoſita & ſpectet ad Occidentem ſolem. Quamobrem ſunt Hiſpani acriores in rebus gerendis, minuſque eorum animi emolliuntur in provincia omnium humaniſſima: non eſt credibile, quantum ſit iſtic Heroicæ virtutis, cujus proprium eſt imperare: unde aucta eſt iſta provincia regnis. Subinvideo tibi, quòd apud eos es, quorum gratiâ tua virtus fieri poteſt illuſtrior acceſſione fortunæ, & dignitatis: nos hic mediocri ſtipendio addicti ſumus publicis interpretationibus Græcis, & Latinis, nolo dicere, Me quantùm hic operis fiat, pœnitet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Nam nobilitate diſcipulorum floremus, neque operam luſimus: Latinè, & Græcè ſcribunt adoleſcentes. Ex qua re ut voluptatem capias, mitto ad te quædam προγυμνάσματα, & ut ſimul doleas vicem noſtram, quòd pro quotidiano labore, cùm tam exigua merces in annum propoſita ſit, in ea exigenda tantus ſit exudandus labor, ut me jam vitæ tædeat. Velim de Rorario quæras, quot adeundi, & conveniundi quæſtoris indignitates feramus, quàm ad fores quotidie pendeamus ærarii: quod quidem bonarum literarum ſtudioſis acerbum eſt, mihi quidem non honeſtum. Quæ ad te ſcribo libentiùs, ut te conſolere, feraſque omnia toleranter, & cùm tuorum laborum in mentem venit, poſſis noſtros recordari: nam licet non tu quidem moleſtia vacuus, es tamen præ nobis beatus. Sed maluiſſem ego de tuis cum Bruto: qui ſi ad me venerit, poſt unum, atque alterum oſculum, ut ſciam quid facto eſt opus, rogabitur à me diligenter de toto ſenſu animi tui. Vale.

Quæ ſequuntur ſunt ex Epiſtolis Sadoleti.

5. Jac. Sadoletus Epiſc. Carpent. Lazaro Bonamico S. P. D.

EX tuis literis Idibus Martiis datis, quas ego paulò antè Idus Majas accepi illum facio quæſtum, quod optimi & doctiſſimi viri Aonii Palearii amicitia auctus ſum. Quem ego me hercule hominem plurimi facio, vel propter ejus virtutem atque doctrinam, in ſuoque genere ſcribendi elegantiam: vel quod ea ſunt illius animi erga me indicia ac monumenta, ut non modò amare, ſed gratiam illi etiam habere ſim compulſus, ſi tamen compellitur, qui libenter quid facit, & ſtudioſe. Amo certe illum, & gratiam præterea habeo: ita de me ipſe meritus eſt. Qui etiam ſi nullo ſuo officio me ſibi devinxiſſet, propter ingenium tamen, propter optima-

timarum artium ſcientiam mihi erat amandus. Nunc quid me facere oportet, cùm tanto me obſtrinxerit merito? Atque is quòd tuam commendationem intercedere voluit in noſtra amicitia concilianda, quanquam tu illi verè ac conſtanter id eſſe opus negaſti: tamen ipſe nonnihil vidit. Sive enim quod ita jure fieri à me debere intelligit, ſive quod animum meum erga te habet exploratum, ſenſit id quod veriſſimum eſt, nullam eſſe tantam virtutis commendationem apud me, quæ non tuo teſtimonio multo fiat uberior. Itaque illum quem ſponte & per ſe jure quidem optimo antea dilexiſſem, tua nunc commendatione habeo chariorem. Quid autem de eo, déque ejus ſcriptis ſentiam, ſcribo ad ipſum quidem copioſius: ſunt enim illa à me diligentiſſimè perlecta. Sed tibi quoque breviter dico, probari mihi mirificè cùm ingenium hominis, & in ſcribendo elegantiam: tum illud inprimis religionis ſtudium, quod præ ſe fert: quod quidem ubicunque adeſt, illa mihi & plena & gravia & pererudita videntur eſſe. Phædrum meum, quòd ſis ad calculos judicii & prudentiæ tuæ denuò revocaturus, valde lætor: magnamque in tua conſideratione & diligentia ejus expoliendi ſpem habeo. Tantum à te peto pro jure amicitiæ noſtræ, ut ne ambitioſe, néve erga me nimium indulgenter eum corrigas. Marcum Fortiacum gaudeo tibi eſſe cordi: certè mihi magnæ voluptati eſt tuum de illo adoleſcente judicium cum ea opinione quam ſemper de eo habui, convenire. Eum tibi ne commendo quidem, video enim eſſe ſatis commendatum, vel ex eo quòd contubernio tibi conjunctus eſt. Paulus & te amat, & memoriam tui ſervat quam debet, tuque crebro in ſermonibus noſtris verſaris, queis & conſuetudo tua, & ſuavitas à nobis requiritur. Qua poſteaquàm carendum nobis neceſſario eſt, tuas ſaltem optamus crebriores, mi Lazare, literas: quod iis deſiderium tui noſtrum aliqua ex parte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

te leniri ſentimus. In quo nobis ut morem gerere ne graveris, equidem te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale, & amicis noſtris communibus plurimam meis verbis ſalutem dic. vj. Calendas Junii, M. D. XXXVI.

6. Jac. Sadoletus Epiſc. Carpent. Aonio Paleario S. P. D.

SErius accepi literas tuas. Datæ enim illæ III. Idibus Februarias, mihi medio ferme Majo ſunt redditæ. Quibus perlectis equidem valde lætatus ſum, cum tali ingenio, quale tuum mihi jam perſpectum eſt, talem etiam animum erga me plenum amoris & deſiderii, conjunctum eſſe. Quid enim eſt rerum omnino omnium quod mihi bonorum & doctorum benevolentia videatur optabilius? Itaque cùm epiſtolam tuam primò legiſſem, eaque mihi vehementer placuiſſet, (eſt enim & ſuaviter, & ornate, & peramanter ſcripta) ab illius ſtatim lectione ad poëma tuum me contuli, totumque perlegi triduo: ſingulis videlicet libris in ſingulos dies collatis. De quo, ut tibi verè exponam quod ſentio, hoc judicii feci: eorum, qui in eo genere voluerunt eſſe, ſane quàm paucos, & noſtra, & ſuperiore memoria, æquè eleganter ſcripſiſſe atque tu: eruditius certè neminem. In quo mihi illud mirificè probatum eſt, quod hæc tua ſcripta non accerſitis, fucoſiſque argumentis, neque quò magis poëtica videantur, à fabuloſa illiuſmodi Deorum vetuſtate repetitis: ſed ſancta & vera religione condita ſunt. Ut quemadmodum vultus pacatus, & conſtans in homine, bene affectæ mentis, & probi animi eſt indicium: ſic tua iſta eximia erga Deum pietas, quæ ſeſe in tuis ſcriptis primam offert: nos cogit de te, deque omni ſenſu animi tui, excellentéque doctrina præclare exiſtimare. Ac cæterea quidem tuum carmen mirè mihi ſatisfecit:

fecit: video enim quos imiteris, quid referre in tuis ſcriptis & exprimere conere: tibíque neque in eligendo judicium, neque in conando fructum laboris tui abeſſe intelligo. Perſpicio etiam verborum elegantiam, ſententiarum acumen, numeríque apta & varia compoſitione delector. Sunt enim iſta omnia in te ita ſtudio & curâ elaborata, ut ſint ubique nihilominus ingenii luminibus lita. Illud unum interdum (quanquam admodum rarò) deſidero: quòd cupiſſem nonnulla à te diſſeri explanatius, quibus nunc percipiendis mens noſtra aliquantulum laborat. Atque illa (ne fortè mihi Lucretianum modum dicendi opponas) non ſunt ex eo genere, quod difficultate rerum quæ tractantur, ſuapte ſponte obſcurum propè neceſſariò ſit, in quo ſolet juſta eſſe ſcribentibus excuſatio: ſed è medio quædam ſumpta, compreſſius abs te dicta ſunt, quæ dilatari, & patere melius voluiſſem. Neque ea tamen tàm multa, ut pertimeſcas. Sed fortaſſe ut nodus robur, & ut nævus decus aliquando, atque ornatum, pulchro corpori afferre ſolet: ſic pleriſque illa poterunt videri idcircò eſſe quæſita: quod curſus noſtræ cogitationis, fluentis in facilitate orationis, aptè illis interdum, tanquam ſalebris, retinetur. Quod quidem ad veras laudes egregiè compoſiti carminis pertinet, totum tibi ita tribuo, ut hoc planè confirmem, nihil me his aliquot jam annis in eo genere editum legiſſe libentiùs. Itaque te jam ne hortor quidem, ut quo itinere inſtituiſti, eodem porrò pergas. Satis enim tibi incitamenti, cùm judicium de te, expectatioque hominum, tùm fructus ille ingenii ſuaviſſimus, qui in pangendo maximè & in commentando percipitur, debet afferre. Qui etſi omnibus eruditis datus eſt, cùm hi aliquid ex ſeſe procreant atque gignunt: uberior tamen adeſt poëtis. Quanquam ego te non poëtam magis, quàm oratorem eſſe ſtatuo: cujus rei facio ex epiſtola tua conjecturam. Ea enim ita commodè & concinniter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ſcripta eſt: ut facilè intelligam, te utrumcunque velis, & ſuſcipere & poſſe præſtare. De me verò, quem tu tantopere in tuis ſcriptis ornas eoque honore afficis, quo majore nemo afficere quenquam poteſt, quid dicam, vix reperire mihi poſſe videor. Nam ſi eas in me laudes agnoſcam, quas tu mihi tribuis, timeo ne arrogans: ſin repudiem planè, atque rejiciam, vereor, ne ingratus adverſus te ſim, cùm de tuo judicio ipſe detraham, eo ipſo unde ſim ornatus. Quamobrem ut in difficili ejuſmodi cauſa, ad id me vertam, quod meo pudori maximè eſt conſentaneum: ut tibi agam pro tua iſta humanitate & erga me benevolentia gratias, meque tibi hoc nomine obſtrictum eſſe confitear. Quod facio equidem, & libens facio: tibíque perſuaſiſſimum eſſe cupio, te à me ſingulariter amari, vel ingenii, & virtutis, & probitatis tuæ cauſa: vel ejus officii atque amoris, quo me ipſe proſequeris: vel quod eorum & temporum, & hominum, in tuis literis mentio facta eſt, quorum meam & memoriam, & erga illos benevolentiam, dies nunquam delere oblivione ullâ poteſt. Ut præter id, quod tuo nomine tibi debeo, quantum etiam illos dilexi totum in te perſequar. Quo me in te animo eſſe, ſi uſus venerit, re ipſa, experiendoque cognoſces. Vale. Carpentoracti, VI. Cal. Junii M. D. XXXVI.

7. Jac. Sadoletus Epiſc. Carpent. Sebaſtiano Gryphio S. P. D.

SUperioribus proximis diebus, cùm eſſet allatus ad me liber Aonii Palearii de Immortalitate animorum, præclaram inſcriptionem præ ſe ferens, eamque rem totam heroico carmine complexus, legere eum ſtatim perquam avidè cœpi: quaſi tentaturus, an promiſſo ſatisfaceret, qui tàm ſublimem titulum operi ſuo propoſuiſſet. Atque ibi video, id quod mihi primùm ſummæ voluptati, deinde penè incre-

incredibili admirationi fuit, rem tantam quanta altera nulla eſt, quæ quidem ſcriptorum ingeniis propoſita ſit, tàm graviter, tàm eruditè, tàm etiam & verbis & numeris aptè atque eleganter tractatam eſſe: nihil ut fermè noſtrorum temporum legerim, quod me in eo genere delectarit magis. Nam nec ſententiarum orationíſque ubertas, in tàm difficili ac penè ſpinoſa materie, ulla deſideratur, nec in exponendis rebus reconditiſſimis lux atque facilitas. Numerus porrò carminis is eſt, ut videatur Lucretium velle imitari, redolet enim antiquum illud; ſed ita ſapore humanitatis conditus eſt, ut aſperitate demiſſa, vetuſtatis tamen autoritas ſalva remaneat. Atque hæc in univerſum. Illa jam partium ſingularum propria, nihil non Latinè dictum, nihil non accuratè, quove judicium & diligentiam adhibitam eſſe non pateat: multáque prætereà ubique nitentia ingenii & venuſtatis luminibus, &, quod ego pluris quam reliqua omnia facio, Chriſtiana mens, integra, caſtáque religio, erga Deum ipſum honos, pietas, ſtudium; in eo libro vel maximè, non ſolum docere mentes errantium, ſed etiam animos incendere ad amorem puræ religionis poſſunt. Sed quorſum hæc, mi Gryphi? Primum volui dare teſtimonium apud te doctiſſimo Viro, ut quid de eo ſentirem tu planè cognoſceres. Deinde à te petere, id quod ipſe quoque cujus volo cauſa, & petit à te per literas & ſummè flagitat, ut ejus hoſce treis libellos tuis formis exprimendos cures. In quo ille valdè ſuo honori, ego meæ cupiditati ſatisfactum fore abs te arbitraturi ſumus. Noli enim putare non apud Italos omnes tuum eſſe nomen in magna gratia. Quicquid prodit ex officina tua, id ita demum & rectum & probatum habetur omnibus, ſi in eo tuum nomen ſit præſcriptum. Nota eſt enim probitas, & diligentia tua, nota eruditio. Quid igitur reſtat, niſi ut tu & bonis & amantibus tui morem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

libenter geras? Quod tamen ſemper ſponte tuâ facis, nunc mea etiam cauſa facere propenſius debes, quia meam fidem atque officium in hac re agi judico. Sum enim, ut tu ſcias in hoc ipſo libro honorificentiſſimè appellatus, ſecundo (ut opinor) volumine, ut tibi hæc opera mihi quoque unà cum Aonio, non ipſi ſoli præſtanda ſit: quandoquidem tu me amore jam pridem, atque obſervantiâ tuâ mirificè es complexus. Nec erit cur te pœniteat, hunc talem librum Actii Synceri, & Vidæ doctiſſimorum hominum ac præſtantiſſimorum poëtarum ſcriptis adjunxiſſe: cum quibus certè hic jure comparari poteſt. Nam & in eadem argumenti ſententia ſanctitatéque ornatiſſimè verſatur, & philoſophiæ præterea rationibus uberius eſt inſtructus. Sed hoc tu per te æquè benè cognoſces. Illud utique tibi perſuaſum habere debes, quicquid in hac re ex mea & Aonii voluntate effeceris, id utrique noſtrum fore gratiſſimum. Eadem hac de re, quò eum magis mihi curæ eſſe intelligas, meis verbis tecum aget Vir optimus, ac vetere mecum amicitia conjunctus, Thomas Sertinus: ſic enim ei à me mandatum eſt. Qui & ut in me ſemper perofficioſus fuit & pro eo ſtudio, quo probos & eruditos homines ſui ſimiles proſequitur, non dubito quin diligenter officio functurus ſit. Vale mi Gryphi. Carp. III. Cal. Julii M. D. XXXVI.

EPI-

EPISTOLARUM PRÆCEDENTIUM SCRIPTORES.

Aonius Palearius.
Andreas Alciatus IV. 22.
Fauſtus Bellantes III. 3. 5.
Petrus Bembus I. 16.
M. Caſalis IV. 25.
Franciſcus Corſinius IV. 19.
Joannes Baptiſta Gadius IV. 10. 13.
Franciſcus Luiſinius. *A.* 3.
Bernardinus Maſæus I. 18. IV. 24.
Andreas Marinus *A.* 2.
Petrus Mellinus II. 5.
Paganus Paganius IV. 14. 16.
M. Antonius Placidus III. 14.
Bartholomæus Riccius IV. 5. 6. 8.
Jacobus Sadoletus II. 3. IV. 2. *A.* 5. 6. 7.
Orgetorix Sphinter IV. 26.
Petrus Victorius II. 11.

EPISTOLÆ quas ſcripſit AONIUS.

Andrææ Alciato IV. 21.
Mauro Arcano I. 1. 2. 3. 4. 5. 13.
Franc. Bandino III. 12.
Fauſto Bellanti III. 4. 6. 7.
Petro Bembo I. 15. II. 16.
Franc. Bono & Mat. Pavonio I. 9.
Franc. Campano III. 2.
Franc. Corſinio III. 16. IV. 20.
Cœlio Sec. Curioni IV. 29.
Jo. Bapt. Gadio *IV.* 12.
Pterigi Gallo I. 12. III. 8. 9. 11. IV. 9. 28.
Cornelio Graphæo IV. 11.
Lucæ Joannino II. 9.
Joſippo Jovio IV. 17.
Jano Bened. Lampridio I. 14. 17.

Sylveſtro Lilio IV. 3.
Senatui P. Q. Lucenſi IV. 1.
Franciſco Luiſinio A. 4.
Bernardino Maſæo I. 11. 19. IV. 23.
Thomæ Mag. S. Palat. III. 10.
Horatio Malevoltæ III. 13.
Andreæ Marino A. 1.
Joanni Martello I. 10.
Petro Mellino II. 4.
Pagano Paganio IV. 15.
Lampridio & Phædro filiis IV. 30.
Barthol. Pantiatico II. 15.
Antonio Philonardo II. 17.
Ennio Philonardo I. 7. II. 7.
Cincio Phrygepani I. 6. 8.
M. Ant. Placido III. 15.
Vincentio Portico IV. 18.
Barthol. Riccio IV. 4. 7.
Petro Fr. Riccio III. 1.
Jacobo Sadoleto II. 1. 2. 8.
Paulo Sadoleto II. 6.
Orgetorigi Sphinteri IV. 27.
Franc. Verino II. 13. 14.
Alex. Vicecomiti III. 17.
Petro Victorio II. 10. 12.

AONII

AONII PALEARII
VERULANI
DE IMMORTALITATE
ANIMORUM LIBRI III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

JOANNIS MATTHAEI TOSCANI.

Aonio Aonides Grajos promſere lepôres,
Et quaſcunque vetus protulit Hellas opes.
Aonio Latiæ tinxerunt melle Camoenæ
Verba ligata modis, verba ſoluta modis.
Quæ nec longa dies, nec (quæ ſcelerata cremaſti
Aonii corpus) perdere flamma poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

AONIUS PALEARIUS
PETRO PAULO VERGERIO,
apud pium, felicem, potentiſſimum Regem
FERDINANDUM
ORATORI PONTIFICIO
S. P. D.

PETRUS Bembus, quem tu ob multas divini ejus ingenii ſuavitates, exquiſitam doctrinam, ſingularem ſapientiam mirificè diligis, quique te ob animi præſtantiam, mores ornatiſſimos, digna homine nobili ſtudia amat vehementer, ſubruſtico, qui diu me à ſcribendo deterruit, pudore & timiditate quadam non ingenua penè liberavit. Neque enim debere me, Vir ſummâ prudentiâ ajebat, à te, qui eâ gratiâ & humanitate eſſes, tàm timidè contendere, quæ honeſtæ petitionis ſpeciem habere viderentur. Itaque cùm de tuis laudibus quæ à Bembo dicebantur, veriſſima eſſe intelligerem: adhortatus ſum ipſe me, & ſic animo ſum conſtitutus, ut mihi factus eſſe videar audax, quàm ſoleo, pluſculum. Nam certè quidem ab eo quem nunquam videris, magnum aliquid petere, pudentis hominis non eſt. in qua ſententia diu permanſiſſem, niſi fortè mecum cogitare cœpiſſem, libellos meos, qui de Animorum immortalitate ſcripti ſunt, non poſſe tibi eſſe non jucundiſſimos, quòd Ferdinando potentiſſimo

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

& ſapientiſſimo Regi, cui tu ob virtutem es acceptiſſimus, & propterea etiam gratioſus, dicati eſſent. Nam cùm mihi eam quæſtionem, quæ de humanis animis eſt, perdifficilem ſanè, Latinis verſibus explicandam propoſuiſſem, judicavi me præclarum nihil conſequi poſſe, niſi quenquam prius mihi velut Deum aliquem ſtatuiſſem. ſolet enim fieri, ut ſpe quâdam non inaniter à nobis in aliquo poſitâ, libenter quæ magna, quæque ardua ſunt, ſuſcipiamus, & feramus pulcherrimè. Mirum verò eſt, ut ego Rege illo implorato in ipſis carminibus viſus ſim omni ex parte adjutus. Nam in anguſtiis ſermonis quibuſdam, & difficultatibus non exiguis, illuxit mihi Ferdinandus divinum quaſi aliquod lumen. Quare cum eos ipſos libellos abſolviſſem, magum mihi deſiderium acceſſit, ut ad Regem perferrentur. Quamobrem ego te per Deos, per ingenium, per fortunas tuas oro, mi Paule, ut in ea re me non vulgari commendatione adjuves: ut intelligat Rex, me ſpes omneis à puero in ſe uno collocaſſe: ſperareque nunc ita ipſi meos libellos, & incredibilem hanc animi propenſionem fore acceptam, ut nunquam pœniteat me laboris & induſtriæ meæ. Vale.

LIBRO-

LIBRORUM SECTIO
& INDEX

QUæſtio omnis de Animorum immortalitate tribus à nobis libris pertractata eſt. Nam cum quidam (qui vulgò à Græcis ἄθεοι dicti ſunt) Deos nullos omnino eſſe crederent, atque ex ea re animorum mortalitatem firmiſſimè aſſeverarent, adverſus hos primo loco pugnandum fuit. Itaque in primo libro Deum eſſe, qui mundum omnem regat, ex certiſſimis, Stoicorum & Peripateticorum rationibus, quorum acutiſſima ingenia ſemper fuerunt, demonſtravimus. Deum præterea ad cœli univerſi temperationem ſedentem, preces bonorum audire, neque aſpernari, (non enim defuerunt, qui id affirmarint) quin eo piè, ſancteque culto maxima ejus in homines, & non obſcura quædam beneficia extitiſſe: cumque de iis orbibus quibus infixi ſunt errantium ſtellarum curſus, & de eorum conſtantia dicendum eſſet, ut πρόνοιαν oſtenderemus, multa περὶ ψυχῶν τοῦ οὐρανοῦ, quas nos animas, & animos cœleſtes poſſumus appellare, è media Chaldæorum recondita & ſanctiſſima diſciplina, ac vetuſtiſſimis Græciæ ſapientibus accepimus: tum quòd per hos nonnulla gerenda eſſe in tertio libro dicturi eramus, tum quòd res ea verſibus digna videretur. Quoniam verò ex æternis illis mentibus animi hominum generi dati dicebantur, non alienum fuit perſcrutari, quænam mentes illæ eſſent: an Deus unus, an plures, an ex cœli motu & luce, an ἐκ τῆς ὕλης δυνάμεως, an ab ipſo Deo animi corporibus hominum jungerentur. Itaque in eo libello, cum de iis ipſis ſatis eſſet dictum, de animi ortu, deque ejus partibus ex doctiſſimorum hominum monumentis, multa à nobis collecta ſunt, pleraque illuſtrata. Quamobrem cum præclarè fundamenta jeciſſe videremur, in ſecundo libro Stoicorum, & ſi quæ erant Peripateticorum rationibus, immortales eſſe hominum animos probavimus. In tertio, cùm quædam firmiſſimis argumentis muniremus, magna ex parte ſanctiſſimos viros theologos (utar eo ſanè libenter verbo, cum jam Latinum ſit) & eos in primis Chriſtianos, καὶ τῶν ἀληθειῶν ἀληθεστάτην, ut

ajunt,

ajunt, ſecuti ſumus. In quo certa eſſe & æterna quædam bonis viris conſtituta præmia, malis verò ſuppliciorum exempla omnia: tum multa de ea rerum fatali neceſſitate, quam εἱμαρμένην vocare ſolent, proſecuti ſumus: ita ut in ea quæſtione, quæ certè quidem perdifficilis, & perobſcura ſemper habita eſt, Latinis verſibus, quantum in nobis fuit, nihil homines noſtri deſiderare poſſe videantur.

QUAE SINGULIS LIBRIS *continentur.*

LIBRO PRIMO.

Naturam aliquam præſtantiſſimam eſſe, quam Deum dicimus, homines intelligere poſſe: ejus verò διαφορὰν, quam Peripatetici vocant ἰδιωτάτην τῆς οὐσίας, ne ipſos quidem τοὺς τῶν θεῶν ἀγγέλους, quorum intelligentiæ vis eſt acerrima, poſſe intelligere. verſ. 42

Deum cum ſeſe ipſe videat, cætera videre omnia. 51 & 147

Διὰ τὴν πρόνοιαν, quæ & providentia dicitur, tempeſtatum mutationes & viciſſitudines veris, æſtatis, autumni, hyemis fieri: ex eorumque conſtantia, Deum eſſe, rectè intelligi. 59

Deum ἐκ κινήσεως τοῦ οὐρανοῦ, hoc eſt ex cœli motu, & diſtinctis ejus converſionibus maximè percipi. 83

Deus cum omnia excipiat, inſitque in omnibus, ſoluta tamen quædam mens eſt, & ab omni rerum concretione ſegregata. 118 & 137

Deum humana imbecillitate nos plenè, cumulateque percipere non poſſe, ſicuti nec intueri ſolem adverſum, quòd ejus radiis acies noſtra, ſenſuſque vincatur. 143

Ex rerum pulchritudine, & admiratione, poſſe homines intelligere Deum eſſe. 157

Dei providentia mundum adminiſtrari, nec ob eam rem moleſtis negotiis, aut operoſis eſſe implicatum. 166

Attributas eſſe ſingulis ſtellis errantibus ſingulas animas, quæ præſtantem intelligentiam habeant, quæque orbem ſuum mirabili celeritate contorqueant: hæc cum tempore immenſo obſervatos curſus conficiant, percepiſſe homines,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Deum aliquem, qui tantis motibus præſit, ἡγεμονικὸν, hoc eſt, principatum obtinere. 237

Permagnam eſſe animarum multitudinem, quæ à mortali concretione ſejugatæ, ætheream mundi partem incolant. 230 & 263

Proſecutos eſſe multos Dei vocabula, & feciſſe nomina, etſi Deo nomen non ſit. ἐςὶ γδ ὁ ὢν ἀνώνυμος. 301

Divinorum nominum enodationes acceptas quidem ex Chaldæorum & Judæorum ſanctiſſimis diſciplinis, ut rei novitate minimo faſtidio eſſemus iis qui noſtra legerent, Judaicis literarum notis, aut Chaldaicis, ut feceramus, hic exſcribendas eſſe non duximus: ea verò nomina in Latinum converſa, qui Judaicas literas attigerint, quàm primum agnoſcent. 303

Deum rerum omnium dominatum habere. ibid.

Deum præpotentem eſſe naturam quandam. 304

Deum ſingulis ſingula ſufficere, quem extremum omnia ingentem dixerat Cleanthes. ibid.

In Deo treis ὑποςάσεις eſſe, etſi ipſe unus ſit, quod ex myſteriis Chriſtianis ſcire licet: quæ noſtri majores auguſtè, ſanctéque conſecrarunt. 424

Deum cœlum, terras, maria tranſmittere, & ubique eſſe, quod in Saturni laudatione legitur, ὃς ναίεις κατὰ πάντα μέρη κόσμοιο γένάρχα. 126

Cleanthes Deum altiſſimum appellavit. 305

Aeternitatem in Deo eſſe, quam nulla temporum circumſcriptio metiatur: id veteres illi Judææ ſapientes mirificè una voce ſignificarunt, quæ Qui fuit, Qui eſt, Qui erit, una comprehendit. 309

Deus à ſapientiſſimis Judæorum vocatus eſt exercituum Deus, & quare. 310. 327

Davidis Hieroſolymorum Regis cum Goliade pugna. 312

Epeirotici ducis cujuſdam, qui Scandaribechus dictus eſt, cum Parthis pugna. 333

Deum optimum maximum unum eſſe, nec plures in Deorum numero reponere licere. 361

Ex materia rerum omnia exprimi, atque effingi corpora, quæ ὕλη dicta eſt à philoſophis. 448

Prima corpora quæ Græci ςοιχεῖα, noſtri elementa vocant, in concretis corporibus mixta ineſſe. 456

Mo-

Motum rebus ipſis ex cœli motione; oculorum verò ſenſum ex luce ejuſdem tributum eſſe animantibus. 461

Animantem partem, quæ in plantis viget, quæque in animalibus ſentit, ac movetur, ἐκ τῆς ὕλης δυνάμεως, & cœli motione ſubſtitui. 475

Iracundiam, formidinem, libidines & animorum concitationes (quas Græci πάθη vocant, noſtri morbos) corporum temperationes ſequi: itaque eam partem, quæ ſenſum, quæ appetitum habet, non eſſe ab actione corporis ſejugatam. 491. & 512

Eam animi partem, quæ rationis & intelligentiæ particeps eſt, tum maximè vigere, cùm plurimum abſit à corpore, & in cœlum uſque penetrare. 517 & 534

Naturas rerum quatuor ſurſum, deorſum, ultrò citroque commeantes, quæ στοιχεῖα à Græcis appellari diximus, in ſuis omnino locis conquieſcere, hanc rationem atque ordinem ſequi corpora mixta. Animi verò hominum cum in rebus caducis non conquieſcant, ſed ad divinas & æternas ſua natura ferantur, in illis locis, ad quæ ſpretis corporibus evolent & excurrant, quieturi denique videntur. 525

Animos conſilii & prudentiæ & rationis compotes à Deo creari, membrorumque admirabili quadam fabrica XLV. diebus abſoluta, in corpora ipſa infundi. 554

Alias eſſe corporis, alias animi partes, eaſque inter ſe diſſidere, & pugnare acriter: illas terrenæ quædam illecebræ delectant, quas ſequuntur: has rationis & mentis participes elucere divinum quaſi aliquod lumen, & ſeſe ad ardua, magna, æternaque capeſſenda vegetas, acreiſque præbere. 563

QUAE SECUNDO LIBRO
continentur.

Τὴν λογικὴν ψυχὴν, quam nos animam rationis participem dicimus, & mentem, duo diverſa omnino eſſe: itaque aliud mens eſt, aliud anima. 82

Animam λογικὴν, quam & animum jam appellare conſueverunt, neque corpus eſſe concretum, neque aliquod qua-

quatuor principiorum, ex quibus omnia nata eſſe dicuntur: cum cogitare, providere, tam multa invenire in nullo horum quatuor generum inſint. 95

Animam conſilii participem corpus non eſſe, neque corporea natura conſtare, quòd ea quæ corpora non ſint, ſua natura comprehendat. 106

Animam rationis compotem corpus non eſſe, quòd ea vi, qua corpus effertur exultatque, ipſa deprimatur, & minimè vigeat. 109

Animi hominum æterni ſunt, quod εἰς κύκλον moveantur: quod eſt, in eodem revolvi, & in ipſos reflecti. 125

Animum in corpore ἡγεμονικὸν, quod eſt principatum obtinere. 133

Animam λογικὴν tum maximè vigere, cum plurimum abſit à corpore. 141

Quod ἁπλῶς ἐστι cum ad nihilum non poſſit recidere, anima hominis τῶν ἁπλουστάτων cum ſit, neque mixtum quicquam, neque ullum ex quatuor primis corporibus, ſed quædam natura quinta, ſejuncta ab his uſitatis notiſque naturis, interire non poteſt. 145

Animam rationis participem, τὸ εἶδος ἀπὸ τῆς ὕλης (dicerem, ſi liceret, materialem formam) non eſſe. 156

Animus humanus immortalis eſt, quòd τὰ μάλιστα καθόλου πορρωτάτω τῶν αἰσθήσεων: quod eſt, quod maximè univerſalia (dicant melius, qui invenerint) quæ longiſſimè à ſenſibus abſint comprehendat. 160

Animos non poſſe interire, quòd nulla iis ſint contraria, quæ ἐναντία vocant: ea verò nos animo ſimul comprehendere poſſe, quòd animo neque contraria ſint, neque pugnantia. 171

Animos noſtros æterno tempore duraturos, quod ipſi æternitatem, quam nulla temporum circumſcriptio metiatur, cogitatione complectantur, quòd in immenſam, interminatamque magnitudinem regionum, quòd in infinita numerorum incrementa ſeſe intendant. 179

Humanus animus divinum quiddam eſt, cum rerum omnium formas poſſit induere, & quidvis cogitatione conſequi. 195

Aeternitatis & immortalitatis deſiderio ardere homines. 207

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Animantia omnia ſummo ſtudio ea deſiderare, quæ aſſequi poſſint, idque eſſe in primis à natura tributum animantibus. 240

Immortalitatem omnino nullam, cujus miro deſiderio tenentur, homines conſequi poſſe: at triſte ipſis deſiderium relinqui, ſi eorum animi intereant. 251

Aetate omnia ſeneſcere, exuſtionibus atque eluvionibus nihil eſſe æternum, nihil diuturnum; novari omnia, & ſiderum motu ac vi magnas rerum fieri mutationes. 255

Animi divinitas ex celeritate motus percipitur, quod nihil eo ſit velocius aut celerius. 312

Ridicula ſane eſſe quæ à Democrito dicuntur, ex atomis quibuſdam concurrentibus, dum inter ſeſe cohæreant, fieri animas: nam quod ſemper certo tempore fit, non eſt fortuitum: neque animadvertiſſe, quid ipſe dixerit. Nempe ſi illud ita ſeſe haberet, ſine corporibus animæ eſſe poſſent, quod ipſe in primis negat: itaque pugnantia eſſe locutum Democritum. 319

Animam non eſſe ignem. 335

Animam non eſſe harmoniam, aut numerum. 344

Tantum donis, ſuiſque muneribus conſecutam eſſe naturam, ut ſat conſtet, dum ipſa hominem effinxerit, felicem, fortunatumque animantem voluiſſe conſtituere. 356

Quàm liberaliter natura nobiſcum egerit: homines rebus omnibus frui, rerumque omnium in illis eſſe dominatum. 358

Calamitoſum maximeque infelicem, & unum omnium miſerrimum animantem eſſe hominem à natura conſtitutum, ſi cum corpore animus quoque intereat. 421

Graviſſimo & firmiſſimo argumento eſt, animos hominum divinos & immortales eſſe: quòd concitatione quadam ſoluta & libera à corpore longè abſtracti, futura præſentiant, hoc mortale quidem non eſt. 517

Davidis cantilena. 534

QUAE TERTIO LIBRO
continentur.

Quòd homines libidinum cupiditatibus efferrentur, inten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

enderentque ſeſe in eas animi, & inquinarent, conſtitutas
ſſe certas quaſdam pœnarum leges à Deo, quibus illi ob-
igarentur. 21

Facere homines arroganter, qui putent facinoroſorum a-
imos Dei mandato non poſſe ad pœnas trudi, qui quæ
elit poſſit efficere, qui immortalem animam cum morta-
i corpore copularit, qui æquiſſimus ſit. 60

Qui boni viri fuerint, ſi paululum admodum à præcep-
is aberraverint: item qui maximis in erroribus verſati ſint,
i in viam redierint: eorum animos in locum devenire, in quo
abem omnem eluant, atque abjiciant, mox expurgatos in
onorum cœtus advolare. 94

Quæ de inferis à Chriſtianis dicuntur, non negligenda
ſſe, aut neganda, quia ea nunquam viderimus: multa
uidem eſſe iſtiuſmodi, quæ quis fabellas non prius deſierit
ppellare, quàm oculis viderit. 185

Fontem qui ad Hammonis fanum eſt, noctu fervere, in-
erdiu hujus aquis nullas eſſe frigidiores. 190

Magnetem lapidem ferrum ad ſe allicere, cujus rei ratio-
em afferre non poſſumus. 199

In calcem aqua conjecta ignem concipi: qui ſi oleo aſper-
atur, ſubitò extinguitur. 233

Scire nos multa nunc certò eſſe, quæ nunquam fieri poſſe
ajores opinati ſunt. 252

Fulmen non imitabile appellatum eſt a veteribus: quod nunc
ſtulis ferreis, & æneis quibuſdam homines imitari cer-
um eſt. 254

Nullam conſolari ſpem eos, qui ad inferos ſint aman-
ati. 298

Stultiſſimum eſt exiſtimare, talionem, aut legem quam-
s aliam, quæ de reorum ſuppliciis lata ſit, æquabilitatem
mnem animadverſionis in reos habere: ea in re poſtquam
vita diſceſſerimus, ſatis à Deo eſſe proviſum. 302

Cum miſeris perditiſque temporibus frequentiſſimè bo-
is malè eveniat, improbis optimè, neceſſe eſt (ἔχει γὰρ
ὸς ἔκδικον ὄμμα) rem hanc non ſemper ita ſe habere,
d pro ea æquitate quæ in Deo ſumma eſt, fore aliquan-
o, ut bonis bene perpetuò ſit, malis malè. 331

Ridicula eſſe inventa eorum, qui dicunt animas corpori-
us elapſas, ſeu in pecudum, ſeu in hominum corpora

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

migrare. 358

Judicia certa, ſevera, acria conſtituta eſſe puniendorum maleficiorum cauſa, & ut boni maximis præmiis afficiantur. 371

Antequam ea judicia fiant, ſignis quibuſdam multa neceſſe eſſe declarari: itaque habere ſigna homines, quæ obſervent. 377

Bellum nefarium, horrificum, teterrimum ubique terrarum & gentium futurum. 379

Annonæ anguſtia, & rei frumentariæ ſumma inopia. 398

Peſtilentia. 424

Pſeudomeni multi, qui & mentientes, & Pſeudochriſti aptè dicuntur. 436

Terræmotus horribiles. 439

Solis, & Lunæ, Siderumque reliquorum exceſſus è mundo. 445

Πρηστῆρες, & mare univerſum vaſtiſſimo æſtu effervescens. 456

Crucem auream, regium Dei inſigne, ea cœli parte, quæ ad orientem ſolem ſpectat, extollendam eſſe. 484

Mundum omnem neceſſe eſt ad extremum igneſcere. 496

Mundi quæ renovatio, quique rerum ornatus futurus ſit, nullis jam tempeſtatum mutationibus. 515

Deo fore curæ, ut animæ ſuis corporibus reſtituantur: itaque omnibus in vitam eſſe redeundum, quos nulla poſtea mortis fata periment. 530

Corpora eadem hominum quæ occiderunt, quæque cinis ſint, in pulchriorem ſpeciem & formam redigenda. 546. 576

Jeſu Chriſti Dei filii optatiſſimus adventus, vel potius reditus in terras. 583

Malorum amandatio ad inferos, ad cruciatus, & ſupplicia perpetuò perferenda. 608

Bonorum fatalis & ſempiterna fœlicitas. 628

DE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

DE ANIMORUM IMMORTALITATE
LIBER PRIMUS.

FELICES animæ, cœli omnipotentis alumni,
Aſtrorum decus, & qui verſicoloribus alis
Æthera tranatis liquidum, qui ſidera, quíque
Volvitis ingentes magnis anfractibus orbes:
Quandoquidem genus omne hominum, genus omne ferarum
Per vos exoritur, per vos à luminis oris
Egreditur, magni ad nutum ſic omnia Regis
Quæ geritis, Regis quoniam vos maxima cura:
Vos mare ſubſtratum ventis, turritaque tellus
Concelebrat: vos arva ſonant, quæque invia luſtra,
Quæ dumeta tenent, quæ propter rauca fluenta
Dulce canunt vobis magnum per inane volucres:
Vos mortale genus primi docuiſtis ad aſtra
Te viam ducentem, humili quo ſe quoque poſſet
Tollere humo, & cœli ſanctum internoſcere Regem.
Veſtra ego fretus ope ingredior loca nullius ante
Trita pede: & quoniam veſtra hæc, æquíque boníque
Munera vos facite, & ſancto aſpirate labori.
Unde canam, quæ nuſquam audita prioribus annis,
Qui motum rebus genitalem ipſe ordine certo
Indiderit rerum pater, ut creet unus, alátque
Omnia, quæ mundo generatim ſecla propagant.
Mox ego quo tantus cœptus labor, expediam quæ
Signa olim veteres, quæ ſint exempla ſecuti,
Dum partem nobis divinæ mentis ineſſe,
Hauſtúsque ætherios certa ratione probarunt.

Nec minus ecquæ animas ſedes, quæ præmia vitæ
Quemque bonum tandem maneant, quas pendere pœnas
Conveniat ſontes, & fata arcana recludam.
Tuque adeò decus egregium rex magne Quiritum,
Aurea cui longùm ſeſe Capitolia ſervant,
Structa bono auſpicio ſe mœnia Romanorum,
Ferdinande invicte, tuis Germania ſeu te
Detinet imperiis læta, & tibi maxima regna
Annuit, Oceanus quantum pater alluit undis:
Seu te Pannoniæ Regem admirantur utræque
Magnanimum, ingentem: noſtram ne deſpice Muſam.
Quin & ſubveritam, perfuſamque ora rubore
Accipe, quo vultu atque animi moderamine fratrem
Regnatorem orbis, florentem laudis honore
Caſibus in magnis belli pacíſque ſerenas.
Principiò ſtellis molem radiantibus aptam,
Certam aliquam regere & moderari numine mentem,
Quam dixere Deum, nonnulla exempla monebunt.
Quas tamen is ſibi ſufficiat longo ordine vires,
Et quantus qualiſque incedat, ubi omnibus ornat
Divitiis ſeſe: non qui caligine cœca
Offuſi degunt, ſed nec ſupera alta tenentes,
Noſſe queunt: ſoli quamvis accedere partes
Arcanas auſint, Regíſque inviſere ſedes.
Ille quidem ſacros aditus, penitúſque repoſtos
Adſervans, ſe ipſum tantum (mirabile dictu)
Dum videt, æternos ignes, & mœnia cœli
Proſpicit, & mare navigerum, & dura æquora terræ,
Et varias rerum formas, & quicquid ubique eſt:
Dumque ipſum ſpectat ſe, ſancto incenſus amore
Ipſe ſui, genus omne hominum, genus omne ferarum,
Ingentémque ingens arctè complectitur orbem.
Nec mora, nudatas hybernæ tempore brumæ
Vere jubet dulci intonſas revireſcere ſylvas:
Et quæ nuper erat lætis ſine frondibus arbor,
Importunæ ſedes non inſueta volucri,
Parturit, & viridi veſtit ramalia fronde.

Ipſi jam dumi, & ſpinis rubus aſper acutis
Duritie poſita melior, cytiſique geniſtæque
Augent ſeſe anni felicibus ornamentis.
Jam nemus umbroſum, reſonant jam cantibus urbes
Alitúmque, hominúmque, feræ per pabula læta
Immemores hyemis, fœtu auctæ progrediuntur.
Verùm ubi ſol terras graviori accenderit æſtu,
Flaveſcunt ſegetes, ſiliquſque ſonantibus agri
Lætitia agreſtes augent, parat horrea meſſor,
Æquatámque gravi glebam ſolidare cylindro,
Dum nemori Phœbus creſcenteis invidet herbas.
Mox verò ubertas Autumnus jam ſenis anni
Infert ſe, ipſa jacent jam ſtrata ſub arbore paſſim
Malaque, caſtaneæque, nuces, & cerea pruna.
Non tamen exegit ſua tempora pomifer annus,
Et triſtis ſubrepſit hyems, & nubila toto
Sparguntur cœlo, jamque eſt ſine frondibus arbor,
Deſcendúntque nives è verticibus præruptis,
Et rapido Boreas tellurem turbine perflat.
Hic ordo rerum, & ſeries repetita quotannis
Sollicitis acuit curis mortalia corda.
Unde parens etenim tellus tot ſufficit herbas.
Unde ſolum incultum dudum, & grave pondus, inersque
Submittit varios ullo ſine ſemine flores?
Nempe ajunt, qui doctrinæ præſtante labore
Suppeditant præcepta, gravis ſolatia vitæ,
Aëra per tenerum tacitum deſcendere cœlo
Humorem ex alto, quo uno eſt uberrima tellus.
Non ſatis id noſſe eſt: peragranti mente ſagaci
Majora explorare animus, quibus humor ab oris
Ille ruat, quando tellurem frugiferentem,
Aëráque humectat liquidum, zephyróſque reducit,
Effigiémque aliam mundus capit, illius ergò.
Cum Tauri hoſpitio excipitur ſol aureus, & jam
Corniger illum Aries aliò proſpectat euntem,
Lætitia exultat cœlum, totúmque repentè
Panditur, & terras diffuſo lumine veſtit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Tum decus egregium Veneris pulcherrimus ipſe
Lucifer , aureolus mundi ſtellantis ocellus
Non aliàs quantum , ſervando pro orbe laborat :
Tum pater ex alto deſcendit plurimus æther
In gremium matris terræ , optatóque receptus
Ut primùm ſpectat jucundam albeſcere lucem,
Rore levi aſpergit fragrantia floribus arva.
Qui verò ardentem ſolis circunferat orbem ,
Candentem ut viſat ſtellato corpore taurum ,
Hæſitat hic animus : quando eſt & credere dignum,
Non ex ſe orbes , verùm aliquo impellente moveri.
Qui movet hic etiam , cujusquam ſi indiget uſu ,
Fretus ope alterius , non eſt hic maximus ille
Quem veſtigamus : tandem fateare neceſſe eſt ,
Eſſe modum rebus , quenquam fateare neceſſe eſt ,
Principium tanquam rerum : qui non tamen ullo
Auxilio indigeat , moveat tamen omnia primus.
Hic Deus , hic opifex rerum eſt , hic rector Olympi ,
Quo ſine nil ſanctum , firmumque : huc ſe omnia vertunt ,
Omnia contendunt , abeunt , redeúntque viciſſim.
Qualis , quam aſpicimus ſtellis ardentibus aptam ,
Omnia complexa eſt moles , hæc æquora , terras ,
Aëraque atque ignem capit & complectitur una.
Excipit omnipotens latè omnia , rebus & unum
Seſe ultrò citróque volans mirè omnibus addit ,
Quem tamen haud quicquam capiat , trans æthera , transque
Ardua tecta Deum caput extulit ipſe ſua vi ,
Exuperatque omnem ſenſum : velut æquoris undæ
Velivoli anguſtum labentis fluminis alveum :
Præterea nil mens hominum ſcrutatur , & ultrò
Hæc ubi devenit , tandem ad delubra quieſcit :
Hinc egreſſa alis firmis , & præpete penna
Jam melior Divûm circumvolat aurea templa ,
Miraturque procul quem propter credidit eſſe
Rectorem ſuperûm : qui cùm loca compleat omnia,
Semper abit , nuſquam eſt , ſéque in ſe continet uno.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Ipſe omne eſt, quodcunque vides in luminis oras
Exire, & quodcunque ætas fugientibus annis
Abſtulit, & ſeri valeant ſpectare nepotes.
Ille nihil rerum eſt, quas majorum tulit ætas,
Aut quæ ſunt, aut quæ longo pòſt tempore fient
Munere naturæ, vel temporis intervallo.
At quî contineat cùm ſe pater ædibus ipſis,
Mirum eſt, occultans ut geſtiat antè videri
Regificè incedens turmis inſtructus Olympi,
Deneget utque omne os illud ſpectare verendum
Quenquam hominum, quenquam Divûm, & contingere luce.
In gyro qualis percurrens aureus alto
Sol face flammanti, quamvis ſeſe æthere toto
Spectari velit, & terris oſtendat apertis,
Non rectà eſt oculis hominum jubar undique plenum
Perſpectum, quorum nobis acerrimus omnium
Eſt ſenſus: quòd fortè aciem protendere ſi quis
Jam velit, & temerè radiis inſiſtere totis,
Non feret aſtrorum princeps, perſtringit at ipſe
Ipſe aciem, ſenſúmque omnem ſpectantibus aufert.
Sat tibi ſit Regem tantum nunc noſſe Deorum,
Fas & jura ſinunt quantum: vel non ſatis hoc eſt
Cernere te naturæ opus egregium omniparentis?
Tun' pictam aſpicias tabulam, atque extare magiſtrum
Certum aliquem haud dubites, ſcita qui finxerit arte:
Poçula tun' ſpectes cælata, atque aſpera ſignis,
Protinus & clames, divini opus Alcimedontis?
Quicquid id eſt magnum, ah videas, nec protinus ore
Adclames toto: mundi ô Pater, Auctor & Altor?
At verò hæc olli quî ſint mortalia curæ,
Quíve aciem flectat per tot diverſa, videndum eſt:
Quandoquidem cauſas rerum, quíque ardua norunt,
Aſtrorum, cœlíque vias, malus impulit error:
Néve labor ſuperos aliquis, neu cura quietos
Sollicitet, procul à vera ratione feruntur:
Humanosque animos, donum omnipotentis Olympi,

Haud veriti dixiſſe ſimul cum corpore obire.
Tantus amor doctas mentem excoluiſſe per artes.
Ergò agite illuſtres animi, quos vivida virtus
Evehit ex humili liquidum ſuper æthera terra,
Dicamus. nam ſcire licet quibus integra mens eſt,
Quî pater omnipotens mortales lumine ſancto
Deſpiciat, ſpectansque vacet tamen ille labore.
Qualis prærupto in Lathmo ſub nocte ſerena
Aërium gyrum aſpectans, cœlúmque profundum,
Una acie jam mille faces, mille ignea cernit
Sidera, convexo latè fulgentia cœlo:
Sic decus æternum, decus admirabile rerum,
Et longè ex alto ſeductas æthere terras,
Et mare ventoſum, cœcíſque offuſa tenebris
Tartara deſpectat, dum ſe circunſpicit unum.
Qui verò labor hic? pulchrum qui temperat orbem
Abſque labore aliquo, & magno ſe corpore miſcet,
Si videt impoſitas lapidoſis montibus urbes,
Humanumque genus magnis propè Diis æquale.
Adde quòd immenſas vires non ulla fatigant
Tempora, non ulli poſſunt ſuperare labores.
Illi æterna quies, nec divini imminuit quid,
Præbeat etſi ægris faciles mortalibus aures.
Ut ſol æquoreas radiis cum corripit undas
Multa Deo ſimilis (componam maxima parvis)
Si latum Oceanum fulgenti lampade luſtret,
Non madet, haud ſalſo ſuſcepit in æquore labem,
Mane novo ſurgens iiſdem jubar ignibus ardet,
Purpurei referens radiatum inſigne diei.
An verum, ſummumque bonum dum voce vocatur
Ante aras, variis latè florentia ſertis
Cum delubra petit, cumulátque altaria donis
Integer, & multa inſignis pietate ſacerdos,
Non videt, oblatóſque aris non ſentit honores?
Heu cadit in quenquam ſcelus hoc? qui id credere dignum
Dicere non metuat, ſi qua eſt reverentia veri.
Si leges hominum, & ſancta aſpernare reperta,

Ulto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Ultorem ne temne Deum, memorémque nefandi.
Hoc eſt, aut ſilicem duris in montibus illum
Dicere, vel chalybem: tantum ſuadere malorum
Mens ſibi cœca poteſt: denſiſque ſepulta tenebris,
Incœptum peragamus iter: non ſcrupea nobis
Hæc tentanda via eſt, qua non impunè viator
Præteriit, multáve pedem cum laude reflexit.
Jam mihi cœleſtum numen, ſedéſque beatæ
Apparent, ubi vera quies, ubi lampade luſtrat
Omnia ſol melior, ſempérque innubilus æther:
Quò mala non properat Venus, & ſceleratus habendi
Non amor accedit: ſed ubi mens conſcia veri
Ipſa ſuum agnoſcit dominum, rerúmque magiſtrum
Æternum, omnipotentem, Regem hominumque deûmque,
Hunc tu jam ſignis liquidò cognoſce volentem,
Qui veluti cùm inſtructa acie Rex inclytus armis
Egregios animo heroas legit, advocat uſu
Si veniat, Martis cum res & tempora poſcunt,
Ut reſides turmas, deſuetaque pectora bello
Admoneant, hortentur ad horrida promptius arma:
Erexere animos omnes, atque ordine facto
Quadratum jam animoſa acies conſiſtit in agmen,
Et parat adverſos hoſtes diſcludere vallo,
Altáque disjecta tranſcendere mœnia turri.
Ille loco medius tutam deducere caſtris
Imperat aut foſſam, vel milite mœnia cingit:
Ille jubet, parent illi, admirantur & omnes.
Non aliter pater omnipotens, delegit in alto
Æthere felices animas, quæ tempore certo
Auratos orbes, & maxima ſidera volvant.
Hæc grave Saturni ſidus, vehit altera magni
Aſtra Jovis: flammam horribilem & crudele minantem
Duro hominum generi ſævi vehit altera Martis:
Hunc penes ignito curru, flagrante pyropo
Oſtendit jubar auricomum, qui temperat orbem
Ingens luce ſua magni dux maximus aſtri:

Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Proximus eſt heros olli gratiſſimus ipſis
Cœlicolis, dulcémque oculis qui ſpiret amorem,
Te veniente die producens Phoſphore ab Ida,
Teque abeunte altam compellens Veſper in Oetam:
Ponè autem longo intervallo, & curſibus iiſdem
Procedit juvenis, cui non ſua certa voluntas,
Ingentem licet egregiè contorqueat axem:
Ultimus aſpectat terras, quo nocte ſilenti
Oſtendit ſeſe nobis argentea Phœbe.
Quo verò tu rem magis admirabere nullam,
Conficiunt certo tantos ex ordine curſus,
Ut tibi non dubium jam ſit, ſupera alta tenere
Cœlicolas connixè orbes, atque aſtra moventes.
Hinc Regem nimirum adſtare erronibus illis
Noſſe potes, quando modus eſt in rebus agendis.
Nam neque fortuitum quicquam eſt, quod ſemper eodem
Tempore fit, quod ne tantillum ex ordine cedit.
Nec verò hoc numero contenta eſt regia Divûm,
Quando alii cœlo ſpaciantur, & agmine facto
Concelebrant regem superûm, ſonat arduus æther,
Et regem magni referunt penetralia Olympi.
Hi ſe præcipites per inania nubila mittunt,
Subjectasque vident urbes, hominúmque volanteis,
Attollunt humeris mentes ad cœrula cœli.
Hi mare ventoſum ſpectant, fluctúique laborem
Jactatis demunt: tantum benefacta merentur.
Informes alii larvas, & triſtia terrent
Tartara, vel ſontes damnant pallentibus umbris,
Victoresque alacres repetunt ſimul aurea tecta:
Quàm multæ circum bis victæ Pergama Trojæ
Tyndarida ob raptam Grajæ ſedere phalanges:
Quàm multæ Emathiæ in campis fremuere cohortes,
A ſocero & genero Romanis dum acriter armis,
Et patrio externóque eſt milite decertatum.
Nec vos prætere am, magni quibus atria Regis,
Et ſecreta patent Divûm: vos omnia quæ ſunt,
Quæque ætas delevit edax labentibus annis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Et ſeros maneant noſtis quæcunque minores
Per vos venturis ſeclis reſeranda nepotum:
Quos humeros cinctos penna, & fulgentibus alis
Sæpe ſacerdotes caſti, dum maſcula thura
Ante aras adolent, manifeſto in lumine cernunt.
Hi quæ contingant, quæ mox ventura trahantur,
Et rerum ſecreta canunt, humentibus umbris:
Et cùm nox operit terras ex æthere lapſi,
Præpetibus pennis certiſſima ſomnia portant.
Hos, genus antiquum Solymorum, maxima rerum
Dum fuit urbs Solyma, ex alto deducere cœlo
Carminibus referunt ſolitum, & de more vocatos
Adveniſſe illos velatos veſtibus albis,
Et crines auro, & viridanti fronde revinctos:
Scilicet in ſacris tantum ſacra nomina poſſunt.
Nec mirum, ſic magna iis obſervantia Regis,
Nomine ut audito paveant: quo nigra tremiſcunt
Tartaráque & Tellus, & rauciſona Amphitrite.
Nam quamvis illum vox non enunciet ulla
Mortalis, fecere tamen ſacra nomina vates.
Hinc rerum Dominum, tempeſtatúmque Potentem,
Et mundi Altorem, complexúmque omnia Numen
Tergeminum, Omnivolum, & magno ſe corpore miſcens,
Dixere: hinc, nubes qui inter caput extulit altas,
Præpetibus volucrem pennis, & fortibus alis,
Magnanimum autorem ſuperûm, qui ætatis id ævo
Sit, fueritque omni ſemper florente juventa:
Hinc belli dominum, quòd juſtis Regibus adſit,
Dum ſanctas armis leges & jura tuentur.
Id puer in Solymorum agro dum pectore verſat,
Paſtorale gerens tegmen, peramque, cothurnosque
Auſus inexperti eſt tentare pericula belli.
Irruit in fines palmoſæ & divitis urbis
Monſtrum horrendum, ingens, hominem quo fœmina partu
Tempore non alio magis eſt enixa tremendum:
Ipſe quidem miles, dux ipſe ingentia bella

Pugna-

Pugnabat, victorque virûm, ſpretorque deorum,
Atrox, terribilis, ſeu lumina torva videres,
Seu Libyci pectus ſquamoſum pelle draconis:
Impunè haud quisquam (miſerùm) fuit obvius illi
Sive pedes, ſive iret eques, ſeu fortiter haſta,
Seu rem falcato gereret jam comminus enſe.
At puer egregius jam magni cura Tonantis
Armorum Rege accito, ſub numine torquet
Qui fera bella ſuo, viréſque iráſque miniſtrat,
Agreſti lapidem funda detorſit in hoſtem.
Ille volat ſtridens, magnum & per inane volutus
Temporibus duris hæſit: cœlóque minantem
Tollentemque manus, robuſtáque colla moventem
Stravit humi, puerſque ſimul victoria parta eſt.
Vidit & Epeiros (certa hæc, & cognita res eſt)
Dùm cornu Parthus Gortynia ſpicula torquet,
Ire ducem adverſus florentes ære catervas,
Pro clypeóque hoſti nudum oſtentare lacertum.
Vidit & Epeiros ſternentem Parthica ferro
Corpora, & Euboicos ſpumantes ſanguine rivos:
Mille ducem Parthi magnum petiere ſagittis,
Mille illum telis: nec erant loca pervia ferro,
Nec tantæ terrere virum potuere phalanges.
I nunc, & Regis meritis diffide Deorum.
Namque velut ſolido concreta ex marmore rupes,
Horrifer aut Boreas, aut illam verberet Auſter,
Dura ſolo perſtat, terræque immobilis hæret:
Telorum haud imbres aliter, validáſque ſecures,
Ingentes equitúmque alas tulit optimus heros,
Quòd ſuperûm imploraſſet opem, quod voce vocaſſet
Cœlicolûm Regem.
Nec me animi fallit, multas non poſſe Latinis
Vocibus oſtendi voces & nomina Regis
Eſſe deûm multa, atque eadem ceciniſſe priores,
Orphea, Mercuriumque, Linum, & Moſen Deo amicum.
Atque equidem ni alias uſus mihi nare per undas
Nunc foret, & certo religanda in littore funis,

For-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Forſitan hoc magis incurvarem gurgite remos.
At quoniam nobis animæ natura videnda eſt,
Eſſe Deum, atque animas cœli in penetralibus altis
Oſtendi, illa aliis poſt me memoranda relinquo.
Et quia dicendum, ut naſcentibus inſinuetur
Omnis ab uno anima, ecquis ſit Deus omnibus unus
Æquoribus, terríſque, canam, cœlóque profundo.
Multa autem tecum repetas, multa ipſe volutes
Dicta quidem, magnis dum diximus aſtra moveri
Quæque ſuis ducibus: vires tamen omnibus unum
Sufficere, atque illum rebus ſatis omnibus unum.
Nunc verò (ſi quid, dum dia poemata vatum
Oblectant faciles animos, peperere malorum)
Dicemus vera quicquid ratione receptum eſt.
Nimirum exiguæ vires mortalibus ægris:
Id genus humanum volvens, & parva labore
Non ſine concedi magno, dum pectore verſat,
Ipſum ſe longè potuit deducere vero.
Ut duro cùm quis morbo jactatur, & æſtu,
Cordáque & arentes fauces gravis occupat ardor,
Triſtia dum incenſo jactat ſuſpiria corde,
Arentíque trahit tremulam de pectore vocem,
Hydrochoi quamvis cinxerunt æthera nimbi
Æſtatem increpitat properam, infenſúmque Leonem:
Sic hominum genus invalidum, molem hanc operoſam
Adduci haud potuit moderandam ut crederet uni.
Hinc mare navigerum Neptuno, hinc tartara Diti,
Alta Jovi magni ceſſerunt mœnia mundi.
Nec dubium cuiquam illud, Naturam omniparentem
In rebus ſervare modum certo ordine rerum:
Quæ ratio in cauſis, quî nam dicetur origo,
Fonte niſi ex uno velut omnia deducantur?
Quòd ſi ſtare uno dubio procul hic queat orbis,
Rex hominum, divûmque unus, Deus omnibus idem eſt.
Is tamen immenſus, nihil hoc felicius uſquam.
Is Deus, haud alter, ni omnes ſupra alta tenentes

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Non benè magnorum dignemur voce Deorum,
Scilicet hoc veteres ipſi fecere poëtæ:
Noſque etiam voces rerum, non ſenſa ſecuti,
Ipſa ut verba cadant numeroſa & dulcia in aures,
Sæpe Deos teſtes adducimus immortales.
Verùm aliter res ipſa, Deus, Deus ille vocandus,
Qui terras, tractúſque maris, qui ſidera, cœlum qui
Æternis regit imperiis, cui ſidera fulgent
Aurea, labuntur, ſurgúntque micantia mundo.
Principium hoc rebus, nihil hoc prius, æquiparandum:
Quandoquidem nihil eſt ſic omni parte beatum.
Quòd ſi Dii plures, numerum ſi augere Deorum
Fortè licet (fac eſſe) pares ſunt, numine eodem?
Ergo principium nullum: vel dicere cordi eſt,
Principium fore principio? quod ineptius eſſet.
Maximus at ſi quis, ſi quiſquam eſt optimus unus,
Cui parent reliqui, cœli cui regia ſervit,
Optimus ille Deus, Deus eſt & maximus ille.
Non dii ſunt igitur, quos & parêre neceſſe eſt,
Qui longè obſervent alium, metuántque jubentem.
Nunc ne tu inſcite à vero deſciſcere quicquam
Me duce jam poſſis, rerum alta arcana docebo:
Ne dum fortè meis intendis mentem animumque
Præceptis, anceps veri te ludet imago:
Quod Rex avertat ſuperûm, qui hoc omne monebat
Ipſe rudes olim populos, perque ora parentum
Et nati, & ſeri longum accepere nepotes:
Omnia quem pariter quondam videre docentem
Ipſi oculis ſancti heroes felicibus annis.
His dictis animum informamus, quando ita nobis
A patribus ſunt præclarè monimenta relicta.
Quæ ſupereſt igitur, magna hæc, jam percipe, res eſt.
Ille opifex unus rerum, Deus unus ubique
Treis ſeſe in ſpecies aperit, treis dicere poſſim
In formas, jam vocem aliam ſi repperit uſus.
Nam dum res omnes veſtigat, & abdita luſtrat,
Effigiéſque animo rerum, & ſecum omnia volvit,
Scrutaturque ſuas vires, Pater ille Deorum eſt:

Mens illi in rebus peragendis optima (quando
Optimus ipſe omnis) quæ mundi temperat orbem
Mens Deus illa Deus, cœli quam in vertice ſummo
Cœlicolæ appellant magnum patris incrementum:
Huic dedit imperium ſine fine, hunc Dædala tellus
Accipit autorem frugum: per quem aurea Solis
Spicula diſcutiunt tenebras, lucemque reducunt.
Hunc mare cœruleum obſervat, quòd hic æquoris undas
Inſtituit labi, quòd monſtra immania ponti
Protulerit, mutúmque genus creet, auctet, alátque.
Dum tamen hic patri obſequitur, dúmque ille gerentem
Aſpicit ingenuè natum omnia, magnus utrunque
Tangit amor, vique ingenti perculſus uterque eſt.
Qui tamen hic animis potuit cœleſtibus ardor
Se inſinuare, Deus niſi maximus ipſe fuiſſet?
Sic ſe regnator ſuperûm, licet unus ubique,
In formas treis exponit mortalibus ægris,
Sic ſe cœlitibus: mira & certiſſima res eſt.
Is Rex omnipotens, is Rex hominúmque deûmque
Materiem ſtatuit rebus ſatis omnibus unam:
Hac pecudes, hominúmque genus, pictæque volucres
Terrenos capiunt artus, moribundáque membra:
Hac nitidi piſces alti ſub marmore ponti
Corpora ſunt, ſenſúsque ipſos impellere poſſunt.
Dicimus hanc etiam genitalia ſemina rerum,
Si mente accipias variæ ſub imagine formæ,
Hanc elementa, quibus connexis ordine certo
Omnia miraris prodire in luminis oras.
Igne calere vides, terra dureſcere corpus,
Diffundi humore, atque incana ætate reſolvi,
Aereque augeri, ſeſéque attollere ſentis.
Hæc tamen haud oculis quicquam dant cernere, quando
Imperfecta quidem ſunt ipſa, & corpora cœca:
Sidera ſed radiis, & cœlum inſigne coruſcis
Dum latè fulgent, cœcis inimica tenebris

Quæ latitant pelago,latebris quæ monſtra ferarum
Deſpiciunt, & luce ſuâ dant lumina habere.
Hinc cœli nobis jucundum lumen & aſtra
Ut duo ſunt oculi, quibus omnia proſpectamus.
Sic ingens etiam dum volvitur undique moles,
Quippe vigent, motúque ſuo fas cuncta moveri:
Hoc ſine non rapidis ventoſum perfluit undis
Æquor, nec bibulæ ventis jactantur arenæ:
Non ſpoliata arbos quaſſat ramalia fronde:
Idem adeò rebus modus, & cœlo irrequieto.
Aucta opibus tantis, tantóque exercita motu
Materies hinc apta ad res, fœcundáque vires
Suggerit ipſa ſibi, & quos occultaverat alvo
Edit maturos longo pòſt tempore fœtus.
Utque illis permixta inſunt elementa viciſſim,
Eminet utque aliis aliud, natura per artus
Serpit, & ingenium toto ſe corpore miſcet.
Porrò ignis magis eſt illis, qui ardoribus iræ
Continuò flagrant, acríque dolore premuntur,
Flammantes ollis oculi, & ferventia corda:
Hos tu ne in caveas, hos tu ne in vincula coge,
Quos ſibi conſpicias potius conſciſcere lethum,
Quàm tolerare jugum, & domini faſtidia ferre.
Sunt quæ non dulci declinent lumina ſomno,
Uſque adeò metuunt animantia, & abditus imo
Eſt in corde levis, pedibúſque fugacibus aer:
Hinc ovium placidum genus, & malè pinguis aſelli,
Buceriáſque greges, quibus eſt & plurimus humor,
Terraique nimis, vix ire per arva videmus
Hortatu, ſtimulis, & lentæ verbere virgæ.
Veſcum ſal aliis, aliis eſt triſte cuminum
Jucundum hâc ratione, aliis eſt dulcis amaror.
Jámque adeò cauſas animo luſtrare latenteis
Te licet his pulchrè inſtructum, qui fortis equi vis
Ad curſum, ad magnos cur ſit proclivis amores:
Sedula quid tantum metuat formica ſenectæ.
Namque ubi concreſcit corpus, primordia rerum &
Quattuor illa ineunt concordi fœdera nexu,

Senſifer & motus primùm, mox certa per artus
Compages quædam pro corporis augmine repit,
Cui nomen Græci fecere: at dicere aventem
Non ætas ſinit invidiæ perfuſa veneno:
Tempora ad hæc tandem pervenimus,atque ita paucis
Noſtrorum auriculæ pueriliter offenduntur.
Nunc redeo ad rem: principiis feliciter illis
Compactis, porrò tenuiſſima ſanguinis aura
Exoritur, tacitúsque hærens in corpore ſuccus.
Hinc variæ naturæ animantum: utque eſt ea rerum
Temperies, ſua quenque trahit, retrahítque voluptas.
Non autem hos tu ſejunctos à corpore morbos
Affectúsque animi videas: ſed repere paſſim,
Et vulgò ex ipſis moribundis ſurgere membris.
Partem aliam nunc ſpecta animi prudentis, & altæ
Participem rationis, vis quænam illa repentè
Tollit ſe celerem liquidum ſuper æthera? & extra
Procedit longè flammantia mœnia mundi?
Ecquibus ad cœlum toties ſe ſuſtulit alis?
Inviſit Divûmque domos, atque ardua tecta?
Cur tantum molitur iter? vel quo duce? ſi non
Hic ſuus eſt olli locus, & cœleſtis origo?
Nempe ſolum patrium cuique eſt, exercita curſu
Flumina habet pontus, quò cum venêre quieſcunt:
Si quid in altum vi jacias, deſcendet, & ipſo
Jam torpens duro conſiſtet in æquore terræ:
Si vapor eſt uſquam, facilè quem corripit aer,
Solvitur & tenuis vacuo lætatur in orbe:
Flamma vorax etiam cum poſtibus hæſit adeſis,
Velle quidem oſtendit ſupera ad convexa volare:
Tantus amor ſedis, placidæ eſt ea cura quietis.
At vigor ille animi, tenebris & carcere cœco
Contemptis, volat ad ſuperos, & ſimplicis ignis
Aurai ſimilis fertur, juvat ire per aſtra
Aurea, & extorrem patrio conſidere cœlo.
Quod ſi mortales artus, moribundaque membra
Non obſtent, jamjam ipſe Deum, totúmque recludit
Æthera, magnorúmque procul ſecreta Deorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Quis vigor iſte animi? quæ tanta oracula mentis?
Quive petit ſupera, & ſuperûm quæ tanta cupido?
Scilicet hæc veteres, eadémque exempla ſecuti
Æthereos hauſtus animis dixere minores
Eſſe, Deúmque ipſos cœlo demittere ab alto.
Namque velut radiis ſol igneus omnia luſtrans
Corporibus primis ſe miſcet luce, paritque
Omnia quæ mundo generatim ſecla propagant.
Sic pater ipſe animas, dum ſe admiratur, amátque,
Sponte creat, ſanctúmque homini dat pignus amoris
Ferre ſui monimentum ingens, atque artubus addit
Divinæ aurai æternis ex ignibus ignem,
Ulla ne eas mortis perimant immania fata.
Hinc ubi materna concreſcit corpus in alvo,
Explevitque ſuos numeros, noviéſque refulſit
Quinta dies, corda ipſa tument, tenerúmque laborat
Corpus, & in totos animæ vis funditur artus.
Illa loco tremit anguſto, & caligine cœca
Merſa bibit Lethen, & longa oblivia rerum:
Sicque diu non certa ſui, cum corpore in oras
Luminis egreditur, membriſque innititur ipſis,
Donec jam firmæ perfecto tempore vires
Non bene conveniant: animi vigor alta pererrat,
Scrutatúrque arcana, viámque affectat Olympo:
Non ullæ veneres flexerunt turpiter illum,
Nullus honos auri, regnandi nulla cupido,
Omnia, ſéque ipſum anguſtis moderatur habenis.
Corporeæ verò peſtes contra aurea mentis
Præcepta inſurgunt, Venerem, Bacchumque ſecutæ
Terrenis inhiant rebus, noctique ſoporæ,
Et velut ignava indulgent animantia ventri.
Quin etiam ſi dira lues in viſcera repſit
Intima, quanquam animis obſtat, juvat æquora picta
Currere lyntre, & fallaci ſe credere vento,
Et dulces mutare domos, patrióſque penates,
Ac turpes omnem vitam degiſſe per artes,
Ut menſa argento & fulvo colluceat auro.

His qui erit adductus, parvi rectúmque fidémque,
Parvi ſancta facit jura, & ſine legibus ullis
Vitam agit injuſtus, patriæque acerrimus hoſtis,
Florenteis urbes bello, civésque fatigat.

DE ANIMORUM IMMORTALITATE

LIBER SECUNDUS.

FLUMINA qui Grajæ gentis decus aurea fundis
Ore ſacro, ſurgit paſſim quo pinguibus arvis
Et felix Panacea, & ſuave rubens Hyacinthus,
Pulcher Ariſtocles, ſanctis natalibus orte,
Te duce non verear cœcis offuſa tenebris
Explorare, labor tuus hic mea præmia laudis:
Te duce non verear latitantis ſemina flammæ
Quærere, & accenſam tedam de vertice ſummo
Nocte ſub obſcura miſeris oſtendere nautis,
Æquora dum latè abruptis turbata procellis
Undarum eructant montes, claſſisque magiſter
Hoſpitibus lacrymans nigram denunciat horam.
Quodque bonum & fauſtum, & felix fortuna ſecundet,
Tu mihi quodcunque hoc curæ, tu mentem, animumque
Suppeditas, quo tollere humo pernicibus alis
Me poſſim, & duri fulciri vertice Atlantis.
Unde ego deſpiciam, palantis qui ſtudio oci
Eſt ſuperos contra mortales tollere vultus
Auſus, iners, ſtolidus, tùm voce laceſſere Divos:
Qui dum adeò inſpiceret quæ eſſent jucunda palato,
Pinguibus haud potuit cor unquam avellere menſis.
Quem paſſim ſequimur, quàm ô quàm diverſus ab illo

Grajus homo : Grajum quid non audere putandum eſt?
Hinc, hinc Relligio, liquido quæ ex æthere lapſa,
Relligio decus omne virûm, decus omne Deorum,
Sub pedibus dejecta hominum, externatáque viſa eſt:
Improba vox tantum potuit ſuadere malorum.
Nam quid Relligio peperit ſanctique bonique,
Omnibus uſque adeò compertum, ut res videatur
Ipſa loqui, illuſtri in conſpectu ſic ſita quando eſt.
Hæc ſervare fidem docuit, ſua reddere cuique,
Jungere conjugio ſtabili, miſerere laborum,
Et longum placidam populis laudare quietem.
Hæc docuit Venerem fugere, & Diis degere vitam
Dignam, nec furiis blandi indulgere Lyæi.
Quòd ſi quis curare Deum mortalia quenquam
Deneget, ille mihi infortunatúſque laborum,
Infelíxque animi: qui ne quid linquat inauſum,
Omne nefas auſus, ſcelera omnia pertentavit.
Quòd ſi idem curæ ſuperis nos eſſe putaſſet,
Et ſontes meritas poſt lethum pendere pœnas,
Non malum adulterium & cœcæ mala gaudia mentis
Eſſet poſthabita uſque adeò virtute ſecutus.
Hinc & avarities, luxúſque miniſtra libido
Surrexere, & contempta formidine Divûm
Humanam fœdè vitam ſtravere jacentem.
Quid ni? poſt cineres muta omnia, nec ratio unquam
Reddenda, & nuſquam poſthac Acheruſia templa,
Nilque Erebi tenebræ, niſi tantum fabula inanis
Judicio illorum, mentem quibus abſtulit error.
Quod nos eſſe aliter, tenebráſque ignéſque manere,
Et meritis aliquos alto ſuccedere Olympo,
Quo ſine nil meditari ſum potis, ipſe pater ſi
Omnipotens magni conceſſerit incola cœli
Dicemus: quoniam quæ ſponte recepimus, urgent.
Nunc aliò vertamus iter, nunc ad rationem
Ingenii vires omneis adhibere neceſſe eſt.
Hic ego te Sadolete pater, ſacra illa docentem
Sancta adſtare velim, non tam certare paratus,
Quàm te imitari: etenim raucus quid oloribus anſer

Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Contendat liquida mulcentibus æthera voce?
Nam magni refert, qui cum ſit ſermo: tuis quæ
Aut teretes magis, aut tritæ ſunt, Juppiter, aures?
Mitius at nihil eſt, nihil eſt humanius illis.
Nunc me difficili pangentem carmina de re
Inter egeſtatem patrii ſermonis, in æſtus
Proſpicio invidiæ violento turbine ferri:
O mihi quas turbas, quos ſurgere cerno labores,
Ni bone me Sadolete juves, & vulgus ineptum
Parte libri hac magna jubeas abſiſtere voce.
Nanque (fatebor enim) multi præclara reperta
Doctorum illa hominum, dulcis vera otia vitæ
Non novere: quibus noſtra hæc incognita, quid ni?
Dura videbuntur, cœca & caligine tecta.
Hi mea non cupio, at mando, ne carmina (poſſim
Si impetrare) legant oculis, mihi tu ſatis unus:
Ni te operam dare pœniteat Sadolete libello.
Quod ſi fortè aliquos mavis accire legentes,
Quales nunc habet ingeniis Germania florens,
Gallia vel tua jam, tua vel Saturnia tellus,
Integrum tibi ſit: liber hic ex parte tuorum eſt.
Principiò mentem atque animam diverſa fatemur:
Quando opus illius mens eſt, & nuncia quædam.
Verba ſed hæc eadem veluti jam trivimus uſu:
Nanque animam mentem appellamus: non ita verò eſt.
Hæc creſcit, firmata viros ubi fecerit ætas:
Decreſcit pariter, longum fugientibus annis,
Utpote quæ auxilio, quæ corporis indiget uſu.
At vis illa animæ eſt eadem pueróque ſeníque
Semper, & ipſa omnis per totum didita corpus,
Non aliquid mixtum, non concretum ex elementis,
Sed purum, æternum, quódque omni eſt tabe ſolutum.
Nam qui corpoream dicunt cum corpore obire,
Et naſci: quà eſt inſani via nulla feruntur.
Nam ſi corpus erit, terrámve, ignémve neceſſe eſt
Eſſe, vel humorem, teneri ſive aeris auram,
Aut ex his quicquam, quod non rationibus ullis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Confieri conſtat: quando cognoſcere cœcos
Eventus rerum, quæ geſta prioribus annis
Sic benè luſtrare, & conſtanti mente tenere,
Non opus hoc terræ, non aeris, aut levis ignis.
Vis dare quæ leges potuit, quod corpus iniqua
Noſſe? & quæ nobis eſſent ſudore paranda,
Suaviloquis dictis exponere, & aurea nobis
Scribere præcepta, & ſeros monuiſſe nepotes?
Porrò quæ corpus non ſunt, ea corpora noſſe
Nulla queunt.
Ergo aliud, quicquam illa aliud, ſimpléxque nec hilum
Fecis habens. ſi corpus enim, vel corporis eſſet
Pars aliqua, iisdem nutrimentis ſurgeret æquè:
Quin etiam dapibus gravis, & bacchante Lyæo,
Et prudens magis, & multo ſapientior eſſet.
Verùm aliter res ipſa quidem: dum corpora læta
Viribus exultant propriis, decedere vires
Conſuevere animi, & puræ vis inſita menti
Indupedita jacet, nec ſeſe attollit ad auras:
Quò magis & luxus membris, alimentáque deſunt,
Illa magis firmis pernicior evolat alis.
Ergo altè veſtiga animo, remque altius omnem,
Magnorúmque virûm præclara inventa capeſſe:
Scilicet ipſe Deûm ſeclis pater omnibus idem
Deficere haud unquam poterit: quòddum omnia curat,
Ipſe ſibi tantum curæ eſt, ſe audítque, vidétque,
Ipſe in ſe magni in faciem reflectitur orbis.
Illa itidem ſibi nota, ſuas ſecum ipſa volutat
Immenſas vires: ſanctáque cupidine capta
Rerum æternarum, liquidi ſuper ardua cœli
Dum ſequitur, ſeſe tollit pernicibus alis,
Itque redítque viam, & gyros metatur eoſdem:
Dúmque Deos videt immortales, illa Deus quis
In ſe convertit vultum, formámque, colorémque
Agnoſcit Divûm, & ſeſe admiratur, amátque.
Cernimus hanc etiam dominari in corpore toto,
Ionio in magno qualis volat uncta carina,
Et mare per rapidum ventis interrita fertur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Tuta ſuo nauta: qui contra flabra Aquilonis,
Contra Auſtri optatum ſuevit contingere littus:
Haud artus terreni aliter moderamine mentis
Luctantes contra Veneris, fluctúsque Lyæi
Tuta ſecant, ſéque eripiunt pellacibus undis.
Nonne vides, diſcreta magis quo à corpore mens eſt,
Quæ, quanta incedat victrix? quamque æthera ſupra
Evolet ad ſuperos nullo duce, ſed ſibi fidens
Objicibus ruptis membrorum, & carcere cœco?
Si non eſt igitur corpus, quod ſemina rerum
Efficiant, cum jam extremus calor oſſa reliquit,
In quid abit? quò vis illa exhalata recedit?
Non aqua, non aer, non tellus, non levis ignis:
Si natura parens penitus conſumere quicquam
Non audet, longa nec res abolere ſenecta
Ipſa poteſt natura, parit quæ quicquid ubique eſt,
In quid abit? quò vis illa exhalata receſſit?
Non aqua, non aer, non tellus, non levis ignis.
At nunc cum cordi non ſit rumoribus falſis
Pugnare, egregiè ratione inventâ capeſſe.
Nonne vides, ut materiem & faciem illius omnem
Excipiat ſingillatim mens omnia luſtrans?
Quæ ſi tale eſſet quicquam, internoſcere poſſet
Effigies harum nuſquam, & diſcrimina rerum.
Nanque opus eſt, animam ſanè nihil eſſe, quod ipſa
Excipit: atque acies varios viſura colores,
Omnibus iis pariter caret ipſa coloribus omnis.
Nonne vides etiam quæ ſit perceptio rerum?
Nam dum ſanctum animal, mentíſque capacius altæ
Ut ſit homo mens comprendit, non protinus illum
Aut hominem videt hunc, certo neque tempore quenquam:
Et tamen illa hominem vidit quencunque priorum,
Et quem noſtra tulit, quem poſtera proferet ætas.
Adde etiam quæ ſunt ipſis pugnantia rebus
Haud obſtant animis, dum quis putat eſſe calorem,
Et frigus putet eſſe, poteſt comprendere utrunque:
Et pugnent quamvis, animo comprenſa tenemus.

At verò quodcunque perit, pugnare neceſſe eſt
Quàm pereat prius: at ſi cui contraria non ſint
Invidia quædam naturæ atque arte parata
(Quippe nobis ſemper ſtudeat cum Dædala rebus,
Nec quò ſe vertat jam habeat, quódque arma miniſtret)
Diſſolvi haud poterit, leti eſt quod lege ſolutum.
Huc illud ſimul accedit, quod corpora nulla
Efficere ipſa queunt: ſecum componere parvis
Magna ſolet, certo & nunquam requieſcere fine.
Mens etenim lapſis quid non meditabitur annis
Quod fuerit? nullus quamvis ſit terminus ævi.
Illa viam ſecum, ſpaciúmque immane volutat,
Et longùm numeris numeros creſcentibus auget.
Quòd ſi infinitum quicquam metitur, an illud
Finitum eſſe poteſt? quænam comprendere vires
Exiguæ immenſum poſſent? modò cogit in unum
Omne hominum genus, & quod non numerabile certè eſt,
Colligit, & ſecum numerat: rurſúsque quod unum eſt,
Dividit in partes, nunc has, nunc accipit illas,
Alternátque vices, ullo nec fine quieſcit.
Quin etiam in formas ſe, & vultus induit omnes:
Utque pater rerum, rebus ſeſe omnibus addit.
Nanque adeò pictam volucrem dum concipit eſſe,
Vertitur in volucrem mens: & dum cogitat aſtrum,
Aſtrum eſt illa itidem. quòd ſi qui ſidera volvit,
Aurea concipiat, mens aurea ſidera volvit.
Dúmque opus aggreditur magnum, admirabile factum,
Componit rerum dominum, rerum illa videtur
Jam domina, & certis moderari legibus orbem.
Denique nil adeò eſt uſquam magnúmque bonúmque,
Nil prorſus tàm difficile, in quod non ſubitò illa
Vertatur. verùm hoc munus liquet eſſe Deorum:
Dii formas potuere itidem ſe vertere in omneis,
Exuere & vultus omnes, perque omnia ferri.
Quin etiam naturâ homini eſt innata cupido

De-

Degendi æternùm vitam: dolet antè fuiſſe
Magnanimos heroas, eodem & tempore naſci
Non potuiſſe: dolet longùm fugientibus annis
Non fore, nec quicquid facient ſpectare nepotes.
Hinc curæ ingentes: his ut monimenta relinquant
Tuta loci natura, ingentibus oppida ſaxis
Erigere, atque alto turres extollere cœlo,
Atque unis ſeptem colles concludere muris:
Flumina vel per ſaxoſas educere valles,
Et manibus hominum ſummos evertere montes:
Quæ fuerat ſterilíſque prius palus, aptáque remis
Tellurem aut hydris, ranſque loquacibus olim
Reddere ſeminibus latè Cerealibus aptam:
Hinc ubi vel dumeta prius, viburnáque lenta,
Sunt oleæ viſæ teretes, & munera Bacchi.
Hinc inventa virûm præclara, atque artibus omnem
Excolere ingenuis vitam, finéſque bonorum
Diſſerere, & clarum è tenebris extollere lumen.
Nam quid prætercam heroas? qui ſanguine fuſo
Civibus imperium & placidam peperere quietem?
Non illos magni poſſunt terrere labores,
Non dulcis conjux teneat, non maximâ nati
Curâ prece, aut longâ confecti ætate parentes:
Charius eſt ollis duri in certamine Martis
Pro patria objectare animam: quin ſæpe beatos
Adclamant ſeſe affecti cruciatibus ipſis,
Vitam aſpernantes vitæ melioris amore.
Gnoſſia nec Thorio clamanti, & læta bibenti
Vina roſa, aut uſquam cuiquam fuit ulla voluptas
Par iſti, dum tela inter, clypeóſque inimicos
Victores jam animam multo cum ſanguine fundunt.
Omnibus uſque adeò vitam producere dulce eſt,
Quáque licet niti ſeclis ſupereſſe futuris.
Verùm non homini nequicquam tanta cupido
Inſita naturâ eſt: quando certè optima rerum
Illa parens, cunctis ſtatuit finémque modúmque
Optandi, ſua quisque tamen quæ poſſit apiſci.
Naturâ lupus inſidias meditatur, & optat

Ster-

Sternere depreſſa compertam in valle capellam :
Auritum leporem ſequitur canis ore ſagaci :
Sed captare canis leporem , lupus ipſe capellam
Quippe poteſt : naturâ etenim non inſita fruſtra
Tanta cupido homini , reliquisque animantibus eſ-
ſet.
Atqui nequicquam hic homini ſeſe obtulit ardor ,
In volucres tenuéſque auras ſpes tanta recedit ,
Rex niſi nos ſuperûm poſt condita membra ſepulchro
Eſſe velit , duri decurſo temporis orbe :
Si non ſtructa diu Pario de marmore templa ,
Florentéſque addurant urbes : quin juga montis
Aſpera , & aeriæ vicina cacumina nubi
Abſumit tempus , rerúmque inimica ſenectus :
Et juvat uſque adeò inſano indulgere labori ;
O miſeri , queis tantus amor per vulnera , perque
Supplicium mortem petere , atque extendere nomen ?
Obſecro ne meditata animis aſſueſcite falſa ,
Neu mentes anceps veri deludat imago :
Quando eſt perpetuum in terris nihil.
Aſpicite , impoſitæ Romanis collibus arces ,
Et claris ornata olim monimenta tropæis ,
Vectíque ingentes extremi ex finibus orbis
Ut jaceant turpíque ſitu , & ſine honore coloſſi.
Scilicet & tempus veniet , cum maxima rerum
Roma parens , & pulcher erit ſine nomine Cæſar :
Nec Decios , aut Romani duo fulmina Martis
Scipiadas quisque norit : nanque aſtra neceſſe eſt
Certis temporibus terris effundere vires
Ipſa ſuas : his aucta virûm præclara reperta ,
Et ſtructæ everſæque urbes , ſuadentibus aſtris :
Utque jubet rex ipſe Deûm , certo ordine ſervant
Illa vices : peragúntque ſuis ſtationibus orbes.
Hinc ubi longa dies , effœtæ incendia terræ
Contingent , Siculis ceu cum fornacibus ignes
Prorumpunt, flammáque imis tonat Ætna cavernis,
Candentes crepitant auræ , & caligine cœca
Aeráque , & cœlum nigra ferrugine texit :

Intre-

Intremit omne ſolum, liquefactáque viſcera montis
Attollunt flammæ, & magnum per inane coacta
Alba cadunt, & ſtrata jacent ſaxa arida paſſim.
Sic ubi terrifici latè exarſere cometæ,
Aſtrorum appulſu, & ventis mox percitus aer
Excutiet rapidum ſciſſis è nubibus ignem,
Terrásque, tractúsque maris, quâ noxia tellus
Corripiet, quantum proſpectant ſidera terras.
Stant etiam nimbi ingentes, & tempore certo
Ventura eluvies: ſtant & cum flumina montes,
Et pater Oceanus ſpumantibus obruet undis:
Quáque juga & rupes præruptæ, erit æquor arandum,
Felices terræ: & quà nunc mare perfluit altum,
Interdum ſurgent vicina cacumina cœlo.
Quin etiam extremis diſcretos partibus orbis
Deſertas habitare plagas, nova quærere regna,
Explorare locos, & cingere mœnibus urbes,
Et dare venturæ leges & nomina genti,
Sidera ſuadebunt, ut Rex ſtellantis Olympi
Juſſerit: haud etenim penitus delere animantum
Omne genus certum eſt illi, niſi cum omnia tandem
Exitio dabit una dies. ergo illa cupido
Ne quicquam innata eſt homini, quæ maxima certè eſt,
Aut dicendi animi æterni, & meliora manere
Oſſa ſepulcretis ubi noſtra reponimus imis.
Sunt exempla alia, & queis rationibus id tu
Affirmare queas: nam quæ vis illa animorum?
Ipſi quando aditum prorſus nihil intercludit,
Atque vias omneis percurrit, & omnia luſtrat,
Omnia pertentat volucri pernicior aura:
Ardua non illi cœli ſupera alta videntur,
Non ipſi manes ima tellure repoſti:
Nunc it ad occiduum ſpectant quæ littora ſolem,
Perquirítque urbes, genteíſque, & nomina rerum:
Nunc Orientis opes, populóſque inviſit, & omneis
Tranſcendit terras, tractus maris, aera, cœlum.
Levibus hinc animas aliqui conſtare putarunt

Cor-

Corporibus, fortè illorum ut concurrerit ordo.
At jam exploſa diu jacet hæc ſententia vulgò.
Nam ſi fortuitis fierent concurſibus, artus
Tempore non certo, moribundáque membra vigerent:
Verùm nunc citius, nunc ſerius, ut tulerit ſors:
Quin & bis ſeptem ferrent faſtidia menſes
Matribus, aut plures, nec certis legibus ortus
Conſtaret, ſi caſu aliquo vis illa ſubiret
Undique perficiens numeros, vigor omnia complens.
Quin etiam interdum magnum per inane coactis
Fortè his ſeminibus, dum ſe per mutua nectunt,
Nondum corporibus genitis in luminis oras
Exirent animi. qua re fateare neceſſe eſt
Quo modò pugnabas, animos ſine corpore vitam
Degere, nec ſemper duo ſe conjuncta tenere.
Aſt alii penetralem ignem, ſed corporis uſu
Delabi ex ſuperis ajunt, omnéſque per artus
Errare, & tacitas cordi ſubmittere vires.
Quod perdelirum porrò eſt, cùm ſemina prima
Quattuor accedant, dum ſingula commiſcentur,
Adrepántque ſolum, humórque, ſpirabile, & ignis.
Sic nihil exanimum eſſet, ſed vigor omnibus idem:
Omnia conciperent animo, exaudiréque poſſes
Æquè homines, montéſque feros, ſylváſque loquenteis.
Quod ſi erat abſurdum, Parnaſſi è vertice ſacro
Harmoniam traxere nova ſub voce Pelaſgi,
Quæ res cunque foret numeris concordibus apta:
Delirum hoc itidem. nam quî prudentia frugi
Exoritur grave mentis opus? quíque optima rerum
Juſtitiâ auguſtas ornavit legibus urbes?
Non etenim ex numeris ſunt hæc, neque fallere verbis
Eſt animus, rectam aut dictis abducere mentem:
Forma anima, & quædam res eſt certiſſima: tale
Nil numeri, incolumi re abeunt, redeúntque viciſſim.
Quæ potui ſtrictim: nam dicere multa parantem
Et verbi novitas vetat, & me cætera poſcunt.
Nunc cape dicta, quibus tutò jam credere poſſis
Præceptis animum, & mercedem ferre laboris.

Quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Quantis omniparens natura excellere rebus
Humanum dederit decus, ut genus omne animantum
Pareat huic ultrò, vel tandem ſerviat uni,
Concipe nunc ageſis animo: nanque ipſa videbis
Quæ pelago ducunt vitam, quæ flumine ſubter,
Omnia deberi nobis, quæque aera tranant
Pernices volucres, & quæ pede luſtra pererrant:
Retibus inſidiæ hinc inventæ & fallere viſco,
Hinc laqueo captare feras, catulóque ſagaci:
Hinc propè pendentes ſcopulos, & gurgite ab imo
Jam notum in ſiccam piſces deducere arenam:
Ecquæ jam in noſtros, quæ non convertimus uſus?
Quin etiam & tygres homini, & parêre leones
Longa dies docuit, natæque in montibus urſæ
Informes errant placidè vacua atria circùm:
Stat bellator equus domini jam lætus habenis,
Jam patiens, jam frena ferox ſpumantia mandens,
Et furit, & latos præbet calcaribus armos:
Stant & oves niveæ lanis, quæ veſtibus aptæ
Murice ſuave rubent, viridi infectæque colore,
Gramináque atque ipſos certent ſuperare ſmaragdos:
Ipſæ etiam paſtæ referunt diſtenta capellæ
Ubera lacte domum: linquens & bucula lucos
Ad mulctram venit, & ſera ad præſepia nocte.
Aſpice ut indomiti quondam, nunc ſponte juvenci
Plauſtra ferant, & torvus humum pulſat pede taurus:
Attamen inflexo mox ſeſe accinget aratro.
Vis & naturæ partes, & magna parentis
Munera, & ingentes terræ meminiſſe labores?
Hæc olus egregium, betámque, apiúmque, papavérque
Intybáque, & virides cauleis producit in annum:
Hæc tibi lactucis, herbíſque ſalubribus hortos
Eſſe jubet lætos, longóque cucurbita collo,
Tortilis & cucumis ſemper ſua munera apud te:
Non ego ſerpilli, aut mentæ, & benè olentis anethi
Delicias taceam, aut calthæ florentis honorem:
Non ego pallentes violas, & mollis acanthi,
Narciſſive comam ignotam, indictámve relinquam.

Quid

Quid referam aut farris ſegetes ? aut ordea grandia ?
Aut milium ? lentémque ? & amantem culta faſelum ?
An vos prætercam divini munera ruris
Arboreos fœtus ? quibus & convivia inimus,
Felicésque Deûm cœnas : quid cerea pruna,
Quid nigra commemorem ? neque enim ſapor omnibus idem,
Non color eſt unus, non idem temporis uſus :
Vel quid mite pyrum, aut cana lanugine malum,
Illorumque genus varium, aut ſileam Luculle
Poma tua ? aut patrios referentia nomine Perſas ?
Non ego caſtaneáſque nuces, oleámque Minervæ
Inventum, dulcéſque uvas tua munera Bacche
Tranſeam, & aerii mellis cœleſtia dona :
Non mihi ſi linguæ tot ſint, quot Dedala tellus
Submittit flores, & quot poma educat annus,
Illorum & genera, & percurrere nomina poſſim.
An verò tot muneribus feliciter auctum
Nequicquam, ad lacrymas tantum natura tuliſſet
Humanum genus ? atqui quod præferre volebat
Illa operi ingenti, reliquiſque animantibus unum
Poſthabuit, felíxque animal dum ferre cupido eſt,
Protulit infelix, miſerúmque ignara futuri.
Ah ſcelus, indignúmque nefas, ignara futuri
Alma parens rerum ? certis quæ legibus orbem
Temperat, in minimis cuique eſt ſolertia rebus.
Vel non infelix hominum genus, ultima vitæ
Omnia lux ſecum ſi aufert ? injuſta noverca,
Non altrix blanda, aut dulcis, ſed ſubdola, fallax :
Téne ego vel noſtri generis natura parentem
Dicere, téne auſim reri ? niſi præmia vitæ
Exactæ perſtent, ſolatiáque ante malorum ?
Ecquisnam ærumnas, ecquisnam incommoda poſſit
Enumerare, graves hominúmque referre labores ?
Naſcitur infelix homo, ubi faſtidia menſes
Longa tulere decem matri, vagitus & ingens
Primùm exauditur, vitæ monimenta futuræ :
Naſcitur infelix, nec humo ſe tollere quicquam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Aut pede, vel dextra potis eſt, nec repere quoquam,
Cætera uti ſuerunt animantia: ſedula nutrix
Ulnis ni excipiat(miſerum, indignúmque) peribit.
Frigoris ille quidem haud patiens, in luminis oras
Profertur nudus, nec ſunt alimenta quibus ſe
Recreet, & monitus naturæ deeſſe videntur.
Illa quidem reliqua hortatur mox nata ſubire
Pellibus intecta, alterius non indiga curæ,
Ubera lacte ſuæ matris diſtenta per herbam:
Pars villos, ſetáſve gerit, pars vellere tecta eſt,
Horrida pars ſpinis munita incedit acutis,
Et venientem audet petere, & propellere tectis:
Vulnificas aliis ungues dedit arma, quibus ſe
Defendant: aliis in levi cornua fronte
Addidit, ultricéſque ſedent in cordibus iræ.
Quin virgulta etiam, & truncos circundat amaro
Cortice, & à triſti defendit frigore brumæ.
Quære genus vitæ illorum: non vinea falce
Tondenda eſt, valido nec humus verſanda bidente,
Non curæ eſt curvo proſcindere vomere terram,
Et lappas, ſteriléſque agris evellere avenas:
Non adeò, dum altum cinxerunt æthera nubes,
Illa timent ſegeti, & crepitanti grandine pallent.
Proxima Diis illis vita eſt: ſunt gramina paſſim
Mollia, ſunt flores beneolentes, & bona poma,
Mala, nucéſque, genus varium: quæ Dedala tellus
Ut ferat, ut ſervet, multæ eſt obnoxia curæ.
Vita hominum dura eſt, & plena laboribus omnis,
Quam mille invadant morbi, & tenuiſſima quæque
Funditus evertant: qualis ſecretus agellis
Naſcitur in cultis hyacinthus, quem malus imber
Nube nigrâ effuſus malè perdidit, & decus illud
Abſtulit, & foliis omnem decuſſit honorem.
Corporis heu peſtes quot ſunt? non major arenæ
Eſt Libycæ numerus: morborum copia mentis
Eſt quoque permagna, & quos non animantia norint
Cætera: ſunt illis optandi denique fines,
Sunt & habendi: non auri maleſuada cupido

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Abruptum cogit conſcendere navibus æquor,
Non ſe, animam, corpúſque unà pellacibus undis
Credere, ventíſque, & ſtridorem audire procellæ.
Sat virides ollis ſaltus, intonſáque luſtra:
Sat liquidi fontes, nigra quos protegit umbra
Fraxinus, aut abies, vel acutis frondibus ilex,
Qua ſuper aeriæ ſidentes dulce columbæ
Ardenti ſub ſole docent gemere undique ſylvas,
Utpote ſollicitum quæ deteſtentur amorem.
Qui furor, etſi aliis animantibus abditus hæret
Viſceribus, generi ille hominum in præcordia repſit
Intima, cædíſque & multorum eſt cauſa malorum.
Uritur infelix juvenis miſerè, oſſáque & artus
Incendunt tedæ ardentes, urbémque peragrat,
Veſtigátque altas formoſæ virginis ædes.
Illa domi ingenuo aſſueſcit parère pudori,
Quam caſta inſtituit mater, nec tollere vultus
Audet homo, juvenem ſi fortè inſpexerit uſquam,
Conniventem oculis, & pectore ſuſpirantem.
At miſer abrupto jactatus vortice amoris,
Qualis ab Ætneis ſpirans fornacibus ignis,
Huc illuc rapidè fertur: non frigora noctis,
Non imbres, ſolis non ſpicula fervida tardant.
Sponte ſuis ſtratis abiit, limenque puellæ
Obſervat pernox: non illum dicta parentis
Abſtrahere inde queunt, non multa concitus irâ
Jam frater, charæ pupugit quem fama ſororis.
Ergo armis putat obſtandum, nec jam eſſe ferendum
Audacem juvenem: quare prorumpit, & enſe
Rem gerit, & patrios inceſtat cæde penates.
Quòd ſi non aliis miſerum, infelíxque videtur
Humanum genus, uno hoc accipe: cætera finem
Non rerum meditantur, non triſti anxia cura
Norunt, ut vitâ ſit denique diſcedendum:
Non lacrymas fundunt falſas formidine pœnæ,
Morte obitâ Divûm tandem ad ſubſellia Regis
Cum cauſa in magna nobis dicenda corona eſt.
Quare homines vitâ illuſtres, & fortiter auſos

Cer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Certare & ſeſe, atque alios ſuperare ferendo
Læta manent loca, quæ ipſa non deprendere mente
Viventes clauſi tenebris, & carcere quimus.
Hoc natura viros ſtudio venerata, labores
Addidit egregios, pulchrè quibus exantlatis
Æternum ſedeant altà ad delubra Deorum.
Quod ſupereſt, aliis rationibus exequar: at tu
Volve animo, ad verum tandémque accedere diſce.
Heroes, quorum pietas inſignis, & omni
Laude fuit major, Divûmque ſimillima vita
(Non ignota cano) quæ mox ventura minorum
Temporibus fuerant, cecinere prioribus annis.
Vis ea mortalis non eſt, quæ noſſe futura
Sic potuit. neque enim tabulam vel dius Apelles
Rerum geſtarum media ſuſpendit in urbe
Fulgentem minio, latéque Corinthio auro,
Rem quæ ita monſtrarit. ſtant nunc quoque, perlege tu quæ
Sacro veridici fuderunt pectore vates.
Hoc felix quondam, & Divûm gratiſſima Regi
Sancta Paleſtinæ tellus fata ipſa canentes
Vidit, & ex illo ſcripta hæc ſunt tempore nobis.
Excidium patriæ multi, fata aſpera flebant,
Et ſuperûm everſum vi lamentabile regnum:
Quos inter plectro Rex nil mortale ſonanti
Perſonuit dulce, altúmque, & nova carmina dixit.
Nanque canebat, uti lapſis certo ordine ſeclis
Regnator ſuperûm ſortem miſeratus acerbam
Humani generis, quòd cœlo excluſerat alto
Unius ob noxam, miteſceret, & meliori
Mente preces hominum audiret: quare adfore tempus,
Ut ſuus ipſe, ſuus natus, quemque unicè amaret,
Mortalem indueret formam, moribundáque membra,
Cujus in adventu pallentes undique morbi
Diffugerent, bellique metus.
Hunc ubi jam ediſſet mater virgo omnibus expers,
Venturos Reges quà ſol caput exerit undis,
Myrrhámque, aurumque, & Panchaia thura ferentes.

His addebat, uti fugiens ſævi arma tyranni
Cum puero ut primùm genitrix viridantia Nili
Tangeret arva, Deos fore nuſquam, oracula paſſim
Caſura, aráſque, & laqueata auratáque templa.
Nec minus, ut puer ad patrias contenderet arces,
Docturus latè populum, ſanctúmque Senatum,
Proderet utque unus quicquid cecinere priores.
His cithara aurata dum perſonat, adjungebat
Quærentem matrem puerum: jam nulla neque urbis,
Nec loca agri reſtant, quæ non virgo optima luſtret.
Ah dulcis virgo, jam ter ſol extulit alto
Oceano caput, & ter littore merſit Ibero,
Nec potus feſſam, Cereris nec cura tenet te:
Quid tantum telluris obis? quid pectore ab imo,
Quid tot pallenti fundis ſuſpiria vultu?
Ille ædem ad patriam in conventu arcana recludit
Rerum æternarum: divino cujus ab ore
Pendentes populi dicta aurea depaſcuntur.
Quid loquar? ut caneret rerum miracula, vita
Corpora defuncta, & reditura in luminis oras,
Inventus jam qui pedibus ſuperare marinos
Et poſſit fluctus, ſummas nec tingere plantas,
Effer aquam virgo, fluviis cava dolia comple,
Excipe fictilibus, jam ſunt molliſſima vina,
Ipſa tuis felix hilara convivia donis,
Lætitiáque auge, magnis & honoribus urbem.
Quid referam? ut fleret vatum de more ſuorum
Cœlicolûm extinctum crudeli funere Regem,
Et matrem infelicem in ſummo vertice montis
Ah miſerè nati delentem veſte cruores:
Aut ut narrarit triplici circundata muro
Mœnia, pro vita, pro libertate ſuorum
Ardua terribilis tecta expugnanda tyranni,
Victorémque Erebum vaſtantem, & nigra prementem
Tartara, & exuvias referentem Acherontis avari:
Vix altè in cœli foribus ſuſpenderat arma
Ignibus è mediis rapta, & crudelibus oris,
Et pater occurrit, fulváque ab nube columba

Unigenam læte plaudentibus excipit alis.
Omnia quæ quondam Rex magnus & optimus ille
Dum caneret, juſſit charos ediſcere cives,
Atque hæc ipſa ſuis monimenta nepotibus eſſe
Carmina, dum palmis dives florebit Idume.

DE ANIMORUM IMMORTALITATE

LIBER TERTIUS.

NUNC animis quæ ſit ſedes, quæ præmia vitæ
Quenque bonum tandem maneant, quas pendere pœnas
Conveniat ſontes, properante quis undique Rege
Tolletur clamor, quæ ſigna futura, tubæque,
Expediam dictis: tu nunc adſiſte canenti,
Qui cœnatus apud Regem ſtellantis Olympi
Ipſius in gremio requieſti, & tempore Divûm
Ex illo interpres fatorum arcana canebas:
Dúmque tibi & matri ſolido de marmore templum
Inſtituunt Verulis Volſci, Marſique, Latiníque:
Annua dúmque ferunt ſacra, & ſolennia vota,
Huc ades, & me quadrijugo ſimul excipe curru,
Perque Erebi vaſtas ſedes, perque aurea cœli
Me delubra pater ducta, remque ordine pande
Venturam, & qui ſit fatorum immobilis ordo.
Poſtquam confectum mortalibus eſt breve vitæ
Curriculum, tenebris ubi Mors adoperta calorem
Vitai extinxit, nec quicquam audítque vidétque
Pallidulum, mutum, prorſúsque exangue cadaver,
Noſſe potes peragrare animam loca cognita nondum.
Nam pater omnipotens, æqui cui maxima cura,
Proſpectans hominum mentes, ſcelere undique turpi

Tabenteis, longè à patrio ſecedere cœlo,
Nec reclamantes animos rationibus unquam
Deduxiſſe illos vitiorum è vortice turpi,
Supplicium horrendum ſtatuit: quas pendere pœnas
Ah miſeros cogit, cruciatibus ah quibus omni
Affectos jubet eſſe ævo tellure ſub ima?
Illic vipereis turba eſt accincta flagellis:
Nox ibi perpetua, & ſemper caligine nigra
Eſt domus attonita, & graveolenti ſulfure fumum
Ignivomi eructant montes, atrâmque favillam.
Unde fluunt undis ſeptem ferventibus amnes,
Qui ſimul immenſum circumfluxere barathrum,
In glaciem montes, ipſi hi vertuntur in ignem.
Huc ſontes animæ ſcelerum gravitate feruntur
Sponte ſuâ: neque enim ſuperas ſe tollere ad auras
Concretæ vitiis poſſunt, cœlúmque tueri.
Quales nocturnæ volucres, ubi Lucifer alto
Exerit Oceano caput, & radiantia Solis
Spicula diſcutiunt tenebras, lucémque reducunt,
In tenebras ſeſe abjiciunt, ultróque feruntur
Quà deſerta magis, quà ſint tenebroſa ſepulcra.
Huc ubi deventum eſt, informes undique larvæ
Conveniunt, & ſupplicia ad crudelia cogunt.
Pars circùm inſultans horrendis vocibus inſtat,
Pars urgens facibus medios deturbat in ignes,
Flammarúmque globos, ubi ſeclis mille peractis
In glaciem projecti altam, nivibúſque ſepulti,
Plangore & gemitu nequicquam tartara complent,
Nanque ubi quingentis riguerunt frigore ſeclis,
Inferni aucti amnes latè ferventibus undis
Inſano magnos contorquent vortice montes:
Fluctibus his merſi torrentibus, ut mala paſſi hæc
Seclis ſexcentis, repetunt ex ordine prima
Supplicia, & nuſquam miſeris datur hora quietis.
Nec ſum animi dubius, multos ut inania noſtra
Carmina riſuros: quoniam quæ corpora non ſunt,
Non flammas, frigúſque pati, non verbera, rentur.
Eſt hominum hæc audacia, quos præſcribere cœli
Non

Non pudeat Regi. quid enim? quod juſſerit ille,
Non fiet? fac velle, idem qui carcere cluſit
Mortali immortalem animam, quæ corporis expers
Certè erat, efficiet, ne qui ditiſſimus æris,
Dives agri, regi aſſimilis luxúque epulíſque,
Omnis cui longùm blandita obſcœna voluptas,
Impia quique arma & crudelia bella ſecuti,
Et vitæ leges radicitus everterunt,
Præmia ſint eadem accepturi: atque optimus ille;
Quiſquis is eſt, ſpreto qui regno atque ædibus altis
Pauperiem & duros potuit perferre labores.
Sanctum hominum genus hoc, veræ qui ad commoda vitæ
Confluxere, illis non cura ut regia veſtis
Velaret leves humeros, nec jaſpide longi
Ut pellucidula pulchrè digiti ornarentur:
Non dapibus menſas onerare, oſtróque ſuperbo
Diſcubuiſſe ſuper, non tempora fundere vino,
Non fora compoſito circùm volitare capillo.
Dii quanti, qualéſque viri, quàm fortiter auſi,
In flammas illi abjecti, & crudelia paſſi
Supplicia, injuſti duríque ante ora tyranni
Haud vinci potuere, aut in contraria ferri.
O fortunati, quorum mens conſcia recti:
Salvete æternùm heroes, quos aurea Divûm
Regna manent, nunquam caſura fluentibus annis:
Nuſquam illic curæ, nuſquam dolor: omnia læta,
Omnia tuta, animas tenet omneis una voluptas.
At contra tenebris clauſos, & carcere cœco
Luctúſque & curæ triſtes, & ſedulus angor
Opprimit æternum, & qui unus dolor altus habetur.
Jam norunt, ſolio ut poterant conſidere Divûm,
Ut poterant hominum & cœleſtum adſiſtere Regi,
Æternúmque frui luce omnipotentis Olympi.
Nec verò ſi fortè aliquis benè vixerit, uſquam
Déque via recti paulum declinet, in oras
Luminis æternas ſubitò properare fatendum eſt:
Ipſi etiam labe affecti, vitiiſque levati,

Queis longùm obſeſſi fuerant, rectà ire putandi
Non ſunt ad ſuperos. veluti cui plurimus inſit
Viſceribus dolor, & pigris vis tabida membris,
Non prius ad rectos potis eſt accedere ſenſus,
Ut jamjam amiſſæ redeant in priſtina vires,
Ingenuè quiſquam niſi doctus Apollinis artem
Adſit, jam ſuetus curare ſalubribus herbis
Membra diu vitioſa, modis pallentia miris.
Multos ille quidem ſuccos, multóſque liquores
Miſcere inſtructus, dictamum, abſinthia tetra,
Doctorúmque hominum præclara inventa miniſtrat.
Sic pater omnipotens, æqui cui maxima cura,
Qui benè de patria meriti, & virtutis amore
Multa diu paſſi, ſi qua admiſere pudenter,
Et quos pertæſum eſt ſcelerum, pacémque per aras
Æternùm petiere ſuas, non deſtinat Orco:
Unde haud egreſſus patet ullus, & oſtia claudunt
Sexcentûm pondo, & multa rubigine vectes.
Sunt Erebi geminæ portæ, quarum altera ſolis
Spectat ad occidui terras: hac undique triſtes
Succedunt animæ, vitæ fugiente calore:
Hanc valvæ nullæ claudunt, ſed limina pernox
Ipſa Dolor ſervat, ſpinas ægrè inter acutas
Ille jacens ſquallet macie, & vix oſſibus hæret,
Atrox, terribilis, dextram & lævam implicat angue,
Latè oculis ignem ſpirans, mirabile dictu,
Letiferum ſpumis mixtum vomit ore venenum.
Veſtibulo is poſitus cuſtos, ſacra oſtia ſervat,
Nec revocare gradum quenquam ſinit. altera longè
Porta eſt, purpureus qua Lucifer exerit ante
Phœbæos radios jubar, & noctis fugat umbras.
Hac iter ad ſuperos, ſi quando hæc ipſa pateret:
Hac iter Elyſium, qua Rex ſtellantis Olympi
Traduxit notos divino carmine vates:
Pòſt illa clauſa, & Regis ſignata ſigillo eſt.
Sed quia nec digni cœlo, nec carcere claudi
Inferno, ſtatuit Rex æquus, & optimus ille
Delere aſſumptam labem, decus atque vigorem,

Au-

Aurámque ætheriam donis felicibus auctam
Reddere diis ſimilem, & dignam penetralibus altis.
Ergo quale aurum accenſis fornacibus igne
Excoctum multo, tabem felicius omnem
Exuit acceptam, & formam magis induit auri:
Sic animæ, quas ille diu tenet acrior ardor,
Æternùm abjiciunt concretam corpore labem:
Nam gyro aerio, quâ corruit aureus ignis,
Vicináſque urit nubes fervore coruſco
Extremas inter diffuſilis aeris oras
Panditur hiſce animis ſedes venientibus ultrò:
Quáque magis gravitate carent, ſeſe altius auris
Ætheriis tollunt, donec jam funditùs omnis
Torrenti flammâ vitiorum exaruit humor,
Atque exeſa omnis circùm rubigo fatiſcit.
Aſt alii ſedem latè, longéque repoſtam
Extra anni ſoliſque vias dixere, laborum
Immunem, hoſpitiúmque velut benè dulcis amici:
Quandoquidem Regis non eſt florentis honore,
Florentis pietate, ſuos quos legerit ante
Stellarum curſum, & teneri cunabula mundi
Exercere odiis tandem ſtatione peractâ:
Quos propter natum, ſua lumina, quem ſibi fecit
Hæredem rerum, cœlo demiſit ab alto:
Qui formam indutus noſtram, moribundáque membra
Oppreſſos morbi miſerè gravitate levaret,
Inſignémque notam longùm impietatis inuſtam
Deleret moriens, veluti placidiſſimus agnus
Pro populo triſtes animam poſiturus ad aras.
Non ita quæ ſpectant orientem littora ſolem
Occiduis abſunt terris, quas ſerus Olympo
Procedens tremulo perfundit lumine Veſper,
Ut vitium à nobis, quibus eſt hâc morte piatum:
Hinc vera pietate Cilix clariſſimus, omni
Ætate abſumtâ in ſtudiis feliciter iſtis,
Quæ fuerint noſtri repetens commiſſa parentis,
Quidque boni attulerit rerum moderator Ieſus,
Suſtulit & vocem, & duplices ad ſidera palmas:

Munera magna pater tua ſunt, jam vicimus: ergo
Hoſtis habes: etiam captus non abjicit haſtas
Perfidus: hoſtis habes, injecta noviſſima plaga eſt:
Si mortalis homo tantum noſtram imminuit rem,
Fare age, quo cumulo nunc auxerit immortalis?
Hæc calamo, hæc eadem divinitùs ore ſerebat
Nonnullis bonus ille locis, queis credere par eſt,
Perbellè iis animos agere in regionibus ævum
Securos, mundi vel ſi trans mœnia, vel ſi
Ignibus in mediis degant candente favillâ,
Dum bona venturi ſuccedant tempora ſecli.
Sic res ipſa quidem eſt, ſed quam non cernere quimus
Ipſi oculis, rerum haud gnari, incertíque futuri.
Sed neque ob id falſa eſt: quando quæ dicere poſſim,
Sunt ſexcenta quidem: quæ qui non viderit, eſſe
Falſa putet: viſa hæc, dubio procul autumet eſſe.
Quid ſi ego dixiſſem, ferres? niſi cognita multis
Præclarè ſcriptis hominum res tanta fuiſſet,
Laſerpiciferis fontem manare Cyrenis,
Qui noctu latè torrentibus æſtuet undis,
Noctu dum tenebris humentibus omnia fringent,
Et Phœbe auratis incedit roſida bigis:
Cùm verò luſtrat radiis ſol igneus orbem,
Ardentique omnem calfecit lampade terram,
Per Libyæ perquàm gelidus labatur arenas.
Huc illud quoque nunc ſpectat, quem nomine Graji
Dixerunt magneta, lapis miro attrahit uſu
Quodcunque objicitur ferrum: tactúmque quod illo eſt,
Ducit, & hoc itidem veluti Magneſia cautes.
Huc ageſis, ſimul accedant adamantina ſaxa
Non jam concordi ſtudio compacta tenentur,
Inque odium mutatus amor, conflatáque longè
Invidia ut ſolvant cogit vincla illa repentè.
Crederet an quiſquam? niſi res quæ cognita jam tum
Ipſa fidem faceret: nam queis rationibus iſthuc
Confieri poſſit, nihil eſt quod noſſe queat quis,
Docta licet ſummi fuderunt carmina vates.

Fabula nanque nova eſt, per crebra foramina ferri
Magneta inſinuari, eſt, quòd levis abditus aër,
Et cava conveniunt plenis conamine magno:
Non adamas etenim magnetem excluderet omnem
Aëráque, quæ multò cava ſunt magis, arida ſecum
Attraherent, ſtipulámque, & ligna abſumta ſenecta.
Néve ego te exemplis externis demorer, addam
Nota domi aſſiduè, quæ quondam incognita, quid ni?
Fallaci hâc æquè fieri ratione negaſſes:
Saxa ubi gypſati effoderunt grandia ſervi
Aëriam acclivis poſituri in collibus arcem,
Arte laboratis ſuper antra exeſa caminis
Congeriem ſtatuunt in formam fornicis alti:
Nec minus agricolæ duri reſcindere ferro
Annoſam quercum certant, atque arte magiſtra
Aridulis nigram lignis explere cavernam:
Inde ubi forma pyræ ſtructa eſt, ex ignibus ignem
Ingentem parvis augent, ſonat ardua ſaxis
Congeries, cœcis fornacibus ignis anhelat.
Illi inſtaurantes ornóſque, & fiſſile robur
Subjiciunt, fruticesque leveis, ſtipulámque ſonantem,
In bibulum cinerem quò ſaxa immania vertant.
Optimus hic operi cinis eſt: qui frigidus eſſe
Principiò viſus: quem tu ſi aſperſeris unda,
Igne gravi exuri circùm vicina videbis,
Et magnam attolli torpenti è pulvere flammam.
Quòd ſi pingue oleum fundas, alimenta videmus
Quod tamen eſſe ignis, ſubitò vis deperit omnis,
Flammáque continuò victrix perfuſa repreſſa eſt.
Huc ageſis animum referas: qui debuit unda
Auxilio eſſe igni? duo quæ pugnare neceſſe eſt,
Et flammas extingui aſpergine pinguis olivi?
Quòd ſi jam noſti rationem reddere dictis,
Ipſe quidem nihil obſto: etenim facile eſſe videtur,
Quæ quivis ſpectet, rerum jam effingere cauſas.
Omnibus hoc adeo eſt vitium mortalibus ægris,
Notarum ut rerum cauſas ſcrutentur, & omnes
Vulgata illuſtrent dictis. quis ſemina flammæ

Ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Neſciat in ſilicis concreta atque abdita venis ?
Quis non in baccis proceram ſtipite laurum
Novit ineſſe ? fuit tamen hoc mirabile quondam.
Multa quidem nunc eſſe liquet præclara reperta ,
Quæ fieri nunquam dixere prioribus annis.
Nam quæ res illa eſt ? & non imitabile fulmen :
Res aliter cecidit , poſitis incudibus urbes
Jam magnæ ferrum exercent : fit fiſtula , qualem
Non oculis , non ipſi animo videre priores,
Fiſtula miſſura haud nequicquam ferrea bombos ,
Aut conflata ære ex cocto , liquidíſque metallis,
Præruptas arces cava dejecturâ columnâ :
Inventum præclarum, ingens, quod nos quoque cœlo
Exæquat , Jove nec ſolo jam maxima cœli
Porta tonat , tantum non jam ſe jactet alumno
Ida ſuo , & Cyclopum opera Vulcania tellus.
Nanque ubi perfecta eſt moles, treis ſulfuris addunt ,
Treis ſalſi partes nitri , treis pulveris atri
Exuſta ex corylo , aut lignis quorum indiget uſus :
Parte aliâ informant immani pondere glandem
Stridentem duro ex chalybe , plumbóve recocto :
Mox igne admoto , miſceri murmure cœlum
Incipit , & tonitru horrendo , concuſſa videntur
Æquoráque & terra,& domus omnipotentis Olympi.
At perterricrepo ſonitu picea undique nubes
Attollit ſe eructans flammam, atrámque favillam.
At ſimul irrupit vis ejus , & impetus acer ,
Procumbunt turres , æquatáque machina cœlo
Corruit , atque altum dant ſaxa avulſa fragorem.
Quin & dum adverſis acies concurrere ſignis
Conſtituunt , fortéſque viri prorumpere cornu ,
Vidi ego ſublato flammis ex aggere nimbo
Sulfureo heroas correptos fulmine centum ,
Candenti centum transfixáque pectora plumbo :
Dúmque iterum atque iterum molis fragor intonat
ingens ,
Umbones , ocreas , galeas , enſéſque , verutáque
Uno ictu cadere , & coacervari aggere magno ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Et latos multo reſpergi ſanguine campos,
Altáque majori dilabi flumina curſu.
Fare agè, vel falſum eſt? & non imitabile fulmen?
Ergò multa modis miris fateare neceſſe eſt,
Eſſe quidem non nota homini. penetralia Regis
Quis ſuperûm inviſit, niſi quos Deus æquus amarit?
Quisve Erebi vaſtas ſedes, nigrásque lacunas
Acceſſit, victórque pedem cum laude reflexit!
O felicem illum virtute, & munere Divûm.
Crede olli: nam vera canit.
Treis igitur ſedes ſtatuit pater optimus ipſe,
Quando non eadem nobis eſt palma parata.
Scilicet hoc ſanctum eſt, ne quid ſperare precando
Defuncti vitâ poſſint: ſua præmia quenque
Certa manent, firmo certæque ex ordine pœnæ.
Hoc eſt juſtitiam colere, & præſtare Deum ſe.
Non etenim leges, hominum quarum indiget uſus
Juſtitiam expendunt: eſt qui vetitos Hymenæos
Contemptor Divûm invaſit, ferróque parentem
Perdidit, & bello civeis, fratréſque veneno,
Ut parta inſidiis liber regnaret in urbe,
Omnia fanda, nefanda auſus: quem ferre minores
Cùm jam non poſſent, victum popularibus armis
Dicere juſſerunt cauſam acclamante coronâ:
Quare hominem uſque inviſum, inter patria arma tre-
mentem
Pallentémque modis miris formidine pœnæ
Ad fora ſublimem rapiunt, ibi poplite utroque
Submiſſo, caput enſe humeris avellitur altum.
Non dedit ille quidem pœnas, quas debuit, annos
Utpote qui multos alacris mala gaudia mentis
Poſthabita eſt adeò inſanus virtute ſecutus,
Molitus cædémque virûm, exitiúmque bonorum.
Ergò aliàs pœnæ dandæ, nec morte dolores
Finiri ſperandum: etenim ſunt ultima nunquam
Secla illic, æternùm ubi vita labore referta eſt.
Túne diu Baccho indulgens, Veneríque nefandæ,
Pauperis agricolæ pinguem populatus agellum,

Ora

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Ora manúſque tui reſperſus ſanguine fratris,
Non hic morte obita: aſt illic dabis improbè pœnas.
Scilicet incolumis ſextùm jam conſul in urbe
Atque iterum fias, & tot demiſeris enſe
Egregios diro cives pallentibus umbris,
Sanguine ſudârit, bellóque exarſerit orbis,
Lumina tu patria claudas ſecurus in aula?
Et jam ſub terris placidè, æternúmque quieſcas?
Non ita, mi pœnas ſcelerata in morte rependes.
Non ibi judicium corrumpes, nec reus auro
Te redimes grandi, nec cincta altaria circum
Effigies ſanctorum hominum funalibus altis
Te te igni eripient, aris impoſtáque thura:
Non in judicium verſis crudeliter armis
Reſtitues dominum te te: ſed triſtia tandem
Funera poſt, porrò faciet manifeſta fidem res:
Et quæ ſint pœnæ, mihi pòſt narraveris ipſe.
Diſce Deos colere, & dignam Diis degere vitam.
Quin te animo conſtans inſtringis fortiter? & te
Affirmas? dictis ſapientum aſſueſce moneri.
Nec verò inventis Grajum nos credere par eſt
Omnibus: eſt etenim nimirum Græcia mendax.
Nam quò illud ſpectat? poſt triſtia funera rurſus
Immemores cupiunt in corpora velle reverti:
Fabellæ Græcorum hominum: quid corpora linquunt
Prima animæ? quid ſolvi opus eſt, in corpora rurſum
Claudendas, vitâ quas cogas rurſus abire?
Naſcendum toties, ſi ſit toties obeundum,
Nulla manet requies hominem, ſedéſque beatæ
Nuſquam igitur. quid tu mihi de flavo Rhadamanto,
Quid mihi de Elyſiis tot garris Græcule campis?
Quid mihi felices fingis, dicíſque beatos
Æternùm, in mala quos opus eſt, luctúſque redire?
Adde illud delirum itidem, quo expendere pœnas
Commonſtrent animas ſcelerum, petere horrida ſontes
Corpora ſeclorum, & pecora inter degere vitam.
Et, quod ridiculum eſt, ajunt, ut turpis adulter,
Flagitium ne impune ferat, muliercula fiet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Ipſa viris quæ ſe proſternat corpore toto.
Pœnarum egregiæ laudes, præclara reperta,
Flagitium ſcelere ut cumulent, & crimine crimen.
Ad nos ergo animum refer, & veriſſima dicta
Accipe ſis, mentémque adhibe, quam impellere verbis
Veridicis poſſim, & verſu perfundere dulci.
Poſtquam ſat terris actum, molémque operoſam, &
Longævam mundi mutari ex ſedibus imis
Cœlicolûm viſum Regi, nec jam amplius ulla eſt
Progenies hominum cœli ventura ſub axem,
Judicium ſiſtet Rex omnipotentis Olympi,
Judicium firmum, ſanctum, ingens, quo genus omne
Omne hominum in conventu aderit, qui in luminis o-
ras
Advenere unquam, citius, ſeu ſerius illos
Secla tulere, dies pariter quos abſtulit atra.
Non tamen id clàm aut abſcurè contingere par eſt
Jus ſummum, jus acre: manent certiſſima ſigna
Temporibus certis, atque altè terminus hæret.
Primùm etenim miſerè ardebit terra undique bello,
Et populi Regéſque frement: ſub fœdere pacis
Evertent ſocii ſociorum funditùs urbes.
Vexabunt alii patriam civilibus armis,
Et deſiderio diráque cupidine cædis
Vulgò alacres tereti plangent cava tympana virga,
Efflabúntque tubas, & raucis cornua bombis,
Vaſtabunt agros pallentes cæde coloni,
Incendent pagos alii, & ſplendentia aratra
Ipſe ipſe horrendos paſtor conflabit in enſes,
Ad bellumque ultrò dirum armentarius ibit:
Rura colet nemo, nuſquam tellure ſubacta
Vomere ducentur poſito ad præſepia tauri.
Frugiferi nuſquam campi, rubus aſper ubique,
Et denſi ſurgent frutices, lappæque tenaces.
Raſtrorúmque expers, & aduncæ vinea falcis
Incultis dulces committet ſentibus uvas,
Et longo creſcent proceræ palmite vites,
Et ſpiſſis nimium aërıæ ramalibus ulmi.

Hinc ubi bella colent arva, & pax candida ceſſit,
Undique provenient frumenta anguſtius agris.
Quòd ſi cura hominum accedat, rurſúſque per artem
Quiſquam agros moveat, nullam pater ipſe colendi
Tum volet eſſe viam, fruſtra inſectabere raſtro
Aſſiduus terram, fruſtra adniteris aratro,
Nullæ tum ſegetes, nulla frumenta ſequentur.
Nam talpæ ſolis viſuri lumina nunquam,
Curculióque vorax, & longo ventre locuſta,
Subripient quæ quis mandarit ſemina terræ.
Adde etiam ingenteis pluvias, & tempore iniquo
Triticeam in ſegetem late Boream inſultantem.
Adde gravem durâ concuſſam grandine ariſtam,
Cùm jam flava Ceres lætis rideret in arvis.
Mox fœda ex Orci tenebris adrepet egeſtas,
Mox & dura fames ruet, & radicibus herbas
Avulſas, glandémque feret mortalibus ægris.
O miſeri, quos dira lues, quos triſte manebit
Exitium: túne ô cœli Rex maxime, & idem
Optime, quid? túne ah tantas ſpectabis ab alto
Ærumnas hominum, nec te miſerebit, Olympo?
Ira quouſque tua ô bone Rex?
Scilicet id firmum eſt, atque altâ mente repoſtum
Et fatale quidem, nec tum tractabile numen:
Eſto, haud fas ſervos Regi præſcribere, Regi
Parendum: fuerint quæcunque ea fata, feremus.
Ergo peſtilitas acris, miſerandáque cœli
Incumbet populis vitio, ſine civibus urbes
Funeſtæ inviſi poterunt, ſine rura colonis.
Excedent dulci vitâ, nec ducere puram
E cœlo quibunt animam, ſpirabile quando
Corruptum latè ſtrages dabit, & gravè olentis
Vulgò fœtorem lacus exhalabit Averni.
Tum juvenes olim florentes, cum breve vitæ
Ver agerent, durâ jam feſſi ætate parentes
Inſatiabiliter flebunt, mœſtæque ſorores,
Dum flavo longos ſolvent à vertice crines,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Pallidulæ efflabunt ſuper ipſa cadavera vitam.
Nec minus interea falſo præcepta ſalutis
Inſcribent alii, contráque edicta piorum
Bacchantes edent inſana volumina vatum.
Tum perterricrepos ſonitus per viſcera terræ
Iri exauditum certum eſt, & motibus orbis
Inſolitis, circùm & cœli domus alta tremiſcet:
Procumbent ſuccuſſæ urbes, turritáque tellus
Excutiet magno ſenior jam pondere nutans,
Quod diu onus tulerat, longo poſt tempore collo.
At dum terribiles minitatur terra ruinas,
Et motu ingenti magnas tremefecerit urbes,
Non face ſol roſeâ ex alto ſe oſtendet Olympo,
Sed caput obſcurum denſa inter nubila condet
Triſtis, egens lucis, concedens is quoque fatis.
Lunai globus ipſe etiam tabeſcet, & aſtra
Per noctem, ex undis: & cum jam ſurgere Eois
Deberet Phœbus, nonnulla cadentia cernent
Attoniti paſſim juvenes, trepidæque puellæ,
Et tonſæ palmis longævæ pectora matres,
Perculſique ſenes latè formidine Divûm:
Interea nigrantem inſana per æquora nimbum
Fulminibus gravidum ferri, & maria omnia arenam
Evomere, & magno compleri murmure pontum
Acclives portus, jámque oppida conſternantem,
Et ſalſos cœli tollentem ad nubila fluctus,
Horrentes populi rerum novitate videbunt.
Hinc veriti, pater Oceanus ſpumantibus undis
Ne ruat in terras, mediúmque mare omnia fiant,
Ad juga confugient prærupta, & rupibus abdent
Seſe convexis: O æternúmque beati,
Et verè, dicent, qui olim melioribus annis
Occubuiſtis, erant vobis qui ponere terra
Vos poſſent patria, & tumulo concludere avito:
Quæ nos exercet, quæ nos Divûm ira fatigat?
Antra graves hominum vos ò miſerata labores,
Quæ nobis reſtant, ad quæ confugimus antra
Corruite, integite, & finis vos ſunto malorum.

Has dum ſollicito fundent de pectore voces,
Et triſti miſeras iterabunt ore querelas,
Audiet omnipotens, & majeſtate verendos
Diriget ad lacrymas oculos perculſus amore.
Mox igitur tonitru horribili fulgentia templa
Concutiet cœli: liquidum flamma æthera luſtrans,
Quo ſylvæ, montéſque feri, & tremet undique tellus,
Et jactata frement ponti tumida æquora circùm:
Ter ſolio aſſurgens, tenſa ter pectora dextra
Contingens leviter, magni ſacraria cœli
Jurabit Divûm pater immutabile verbum.
Ergo purpureum quà ſol caput oſtendebat
Manè novo lucem referens mortalibus almam,
Procedet, radiis ardentia ſigna coruſcis,
Signa dierecti ſuperûm Crux aurea Regis:
Cui quondam (quid nunc totum vulgata per orbem
Carminibus repetam?) vitam ſub imagine degens
Humana Rex eſt ultrò ſuffixus Olympi:
Ut quas nos ſcelerum par eſſet pendere pœnas,
Ipſe daret: pietatis is eſt cœleſtibus ardor.
Suſtulit hæc ubi ſigna igitur dux maximus, arce
Ex cœli creber tonitrus, clangorque tubarum
Complebunt omnem raucis mugitibus orbem.
In ſummum deducta locum, flammeſcere cœli
Incipiet moles longè candentibus auris,
Anſanctíque graves fauces, & triſtis Averni
Ignitam efflabunt animam: nec tempore quoquam
Antra Ætnæa nigram magis evomuere favillam,
Flammarumque globos, vaſtis nec hiatibus æquè
Expirare ignem tellus eſt viſa cavernis.
Perſæpè interea fumantes æthere ab alto
Prorumpent acri piceæ caligine nubes
Fulminibus gravidæ, latè exurentibus omnia.
Jam mare, non mare, at exuſtæ magis æquor arenæ.
Hæc urbes, eadem & montes incendia magnos
In cinerem & cœli fulgentia mœnia vertent.
Hæc rerum ſumma, hic ipſum manet exitus orbem.
Nunc vigor omniparens cœli de vertice ſummo
Aggre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Aggredere ô, cautúſque move, & ſanctè ignibus illis
Ignavum flagrans æternis excoque pectus,
Unde meam vox firma magis mentem ipſa ſequatur
Arcanas rerum leges, & fata videntem:
Quippe novum terris video luceſcere ſolem
Largius, & liquido veſtiri lumine mundum,
Ac rerum varias confeſtim ſumere formas.
Gramen habent paſſim, & flores jam mollia prata,
Jam nemora alta nigras altis ſurgentibus umbras
Arboribus, foliíſque ſonant & fronde virenti
Prognatæ lenes zephyris florentibus auræ.
Jam roſa, jam violæ, jam purpurei narciſſi
Perbellè rident gemmantes rore per herbas:
Non adeò mixtum magnis Aquilonibus imbrem,
Non Auſtrum metuent nati ſine ſemine flores.
Non glacialis hyems, non intolerabilis æſtas
Aurea ſurgentis vertent bona tempora ſecli.
Ver erit æternum, atque eadem clementia cœli
Semper erit.
At rex omnipotens felicia tempora inerti
Non torpere diu ſinet, & ſuccumbere ſomno,
Nec rurſus morti eſſe locum: quare ipſe miniſtros
Auro fulgentes, & verſicoloribus alis
Ante alta aſtantes donaria voce vocabit:
Ite decus juvenes cœli, & clangoribus omnem
Æthera complete, & tenues ſine corpore vitas
Antiquos artus, & corpora delaturas
Proclamate die hoc eodem me judice ſiſti.
Aridulæ non tot ventis agitantur arenæ
Per Lybiæ campos, deſertáque littora propter,
Parvula non variantis tot ſub imagine formæ
Corpora commonſtrant radiati tela diei,
Quàm multæ ſuberunt ultrò citróque volantes
Innocuæ, ſontéſque animæ clangore tubarum
Excitæ, & rauco ſonitu: mirabile dictu,
Ipſa olim deleta undis, abſumta ſenecta,
Temporéque extremo vitai credita flammæ
Corpora, in effigiem veterem ſe, & priſtina fingent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Unica in Aſſyriis qualis felicibus ales
Dicitur ex cinere, & redolenti pulvere myrrha,
Thuréque Panchaio cunctantem ſponte renaſci
Aureolis oculis, & pictis undique pennis.
Nam ſi non res in nihilum queat ulla reverti,
Quando materies æterno ſemine conſtat,
Et ſuperat quiddam ipſis indelebile rebus,
Par eſt diſſidio collapſa, & funere triſti
Poſſe iterum in dulcem revocari corpora vitam.
Nonne vides everſam ævo, & ſuperante ſenectâ
Ulmum arctè complexam olim, nunc pulveris atri
Materiem putrem, & glebam telluris inertem,
Cùm Zephyrus graditur pennis, & dulciter orbem
Recreat adventu expectato, & lenibus auris,
Aut acino, aut ipſa ſurgentem uligine rurſus
Pampineam, & fragili viridantem ſtipite vitem?
Quòd ſi materia adduret, non eſſe videtur
Permagnum hoc: qualis Cyclops, aut arte magiſtra
Quicquam opifex alius, ſtatuas hominum armipotentum
Quas ruit ipſe, eodem curaverit ære refingi.
Grandia fruſta legit, minimis nec parcit, & altæ
Porricit extemplò medios fornacis in ignes:
Hinc ubi pars omnis miſtim eſt confuſa metalli,
Aera fluunt liquida, & caulas ſtridentia complent
Compoſitas multâ arte, viri præſtante labore:
Quippe magis puro hæc ſpirabunt ſigna metallo,
Inque cavis latebris hæſerunt mollius æra.
Antiquo pater omnipotens ex pulvere fingi
Corpora pulchre hominum fatorum ex lege jubebit:
Non ibi vel captos oculis, non corpore manco
Tardipedes videas, nec morbis ægra trahentes
Membra, vel invalidos artus inſtante ſenectâ.
Mundus aget ver ipſum. Ipſum florente juventa
Ver homines, erit & pubes, & idem omnibus ævum.
Ergò ubi clangore ingenti taratantara raucum
Inſonuere tubæ, & magnis mugitibus æther,
Terribilíque omnis ſonitu reboavit Olympus,

Pan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Pandentur cœli portæ, & ſtipante catervâ
Innumera Rex egreſſus, legionibus ire
Ordine compoſito, & præferri ſigna jubebit.
Mox ubi quadrato fortis ſtetit agmine quiſque,
Atque utrinque acies ardentibus adſtitit alis,
Et paſſim hac illac ſeſe explicuere cohortes,
Frontibus æquatis Rex ardua caſtra movebit:
Quem procul ut nubes, cœlíque ſerena ſecantem
Suſpicient gentes, palmas ad ſidera tendent,
Ingentémque unà clamorem ad ſidera tollent,
Effuſæque ruent. aſt illum jam propè factum
Biſſeni excipient proceres: quorum aurea canam
Cæſariem, & levem cingent diademata frontem:
Juſtis de cauſis, & jam olim Regis amici.
Quos penes aſpiciens mixtos audere nocentes
Inſontes premere, & primos transmittere curſum,
Et temerè effuſos ruere, & jam tollere vultus,
Terribilis Rex, & furiis accenſus amarè,
Jámque oculis flammam ſpirans, odiúmque repoſtum,
Ecquis erit modus? ecquis jam vos, inquiet, iſte
Audaces furor eludet? vos ſiſtere contra?
Et ſcelerum tabe, & perfuſi ſanguine dextras?
Ite meæ quondam dulces curæque laboréſque,
Aſt odii nunc cauſa, & ineluctabilis iræ,
Ite domum in triſtem, ſi quis pudor: ite ruentes
Inque picis nimbos, & flumina ſulfuris atri
Æternùm latè vobis torrentia flammis,
Jam tandem vobis dignas me judice pœnas.
At ſimul intonuit vox hæc, & conſcia quenque
Vis animi, nec quicquam animo reticente momordit:
Quiſque reus pallens ad lævam, & triſtis abibit,
Præcipitémque dabit, ſeſéque in tartara condet,
Luctiſono incaſſum conturbans omnia queſtu.
Qualis ubi imprudens miles ſub nocte maligna
Carpit iter malè tutum (inſtat timor, atque animum aufert)
Excedens rectà ſylvis ſe immiſcuit atris,
Dum via perplexum cura fruſtratur euntem,

Caſtra inimica videt latum ſe propter, & hoſtes
Ignem ad nocturnum paſſim per gramina fuſos,
Suſpendítque pedem, & retro veſtigia flectit:
Mox ubi pauliſper furtim conceſſit, anhelans
Effugit hoſtili ex conſpectu, atque ocyor Euro.
Rex ubi jam ſontes ſecrevit, & expulit ultrò,
Ceu quondam paſtor, cui grex non paſcitur unus,
Aſt iſdem in ſylvis & oves, olidæque capellæ
Lanigeros hirtis agnos ſecernit ab hœdis,
Laſcivos placidis hœdos diſcludit ab agnis,
Amplexus placidè heroas complexibus arctis
Hæc, dextræ lacrymis dextras cum junget obortis,
Dulciter & vultu trepidantia corda ſerenans:
Vosne ulli maneant uſquam me judice luctus,
Vos thura, atque animum ne quicquam mi dederitis?
Has vobis ſedes, vobis hæc munera ſervo
Jampridem, nuſquam caſura fluentibus annis
Aurea regna: decent vos hæc. humaniter & me
Vos excepiſtis toties, atque ægra trahentem
(Nudus eram memini) membra, & texiſtis amictu,
Et veſtro toties illo recreaſtis amore.
An fugit & vos, quondam cum rerum omnium egenos
Egregiâ juviſtis ope, & mœrore levaſtis?
Quippe & erant illi ſanguis meus.
Ergo agite intertextam auro, viridíque ſmaragdo
Singlatim chlamydem accipite, & mea ſumite dona,
Quæ pueri quondam dilecti, & ſæpe rogantes
Non tulerunt, auſi nimium ſe credere formæ.
Jam noſtis, res vel cœlo jam notior ulla eſt?
Hac etenim indutos magnâ ad penetralia Divûm
Indugredi, & noſtris par eſt accumbere menſis.
Tum chlamydem cuique auratam, quam ferre maniplos
Juſſerat, expediet, dona omnipotentis Olympi,
Arte laboratam egregiè, manibúsque deorum.
Vix illâ induti liquidum ſuper æthera raptim
Tollentur, Regíque canent de more cohortes,

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Et tuba terribilem,&repetent cava tympana bombum.
Jámque una emenſi liquidas perniciter oras,
Aurea flammantis cœli delubra ſubibunt.
Ecce autem in foribus pater ipſe occurret amicis
Canicie, trabeáque, & majeſtate verendus.
Agnoſcent proceres longo jam tempore viſam
Effigiem : ſimile haud etenim eſt (ut dicitur)æquè
Lac lacti, non unda undæ, non ignibus ignis,
Atque olli pater : & ni ſint jam tempora cana,
Amborum quiſquam haud queat internoſcere vultus.
O quantam mihi tu, & qualem dulciſſime gentem
Nate refers, quàm hilare accipio, quàm pectore toto.
Hæc ille, atque omneis intra aurea tecta vocabit
Actutùm magni læta ad convivia Regis.
Ipſe ſibi ad dextram Natum, téque optima Virgo
Victricem, præclarè acto Regina triumpho
Ad lævam pulchra in palla, gemmíſque nitentem
Componet, proceréſque alios ex ordine lectos.
Hinc ubi divinis epulis, & nectare ſancto
Explerit, vinum ex adyto, cellíſque repoſtis
Proferet annoſum pater, & cratera coronans
Libabit prior, & Nato dum porriget, ore
Dum tenus attinget Natus (mirabile dictu)
Inter utrunque latens raptim per pocula ſerpens
Innocuus, multóque ignis candore coruſcans
Miſcebit ſe auro : veluti ſub ſole tepenti,
Manè jugis canis gelidus cùm liquitur humor.
Mox cratera altè ſpumantem, atque undique plenum
Expediet Rex convivis : illi ordine longo
Accipient, reddentque vices, & dulce bibentum
Præpediet ſenſus laticis divina voluptas.
Ergò ubi ſedatus tandem ſitientibus ardor,
Unà omnes ad patrem verſi, immota tenebunt
Lumina, dum natum complexibus implicat arctis,
Dùm treis ante torum cœleſtibus excitat aras,
Flammantémque animam divinis naribus efflat.
Ille ut conjectos oculos mirabitur in ſe
Convivarum omnes, longo non tempore viſos

Ornatus, trabea indutus quos integit alta
Recludet, ſeries quibus eſt longiſſima rerum
Picta peregregiè, præſcriptáque nomina Divûm:
Et quas nunc animo comprendimus haud benè, formæ
Effigiésque auro, & tenui ſunt ſtamine ductæ,
Dives opus, textum non enarrabile, centum
Ora mihi ex ſolido ſi ſint conflata metallo,
Verba fluant, quales inſana per æquora fluctus.
Dùm verò interea ſuperûm domus alta ſileſcit,
Vox ingens, qualis tonitrus, prorumpere cœlo
Audita, & latè ſonitu increbreſcere rauco;
Aſpicite, obtutúque oculos defigite in unum,
Unus ego omnipotens, ego Rex hominúmque deûmque,
Æternúmque bonum, ſimpléxque & ſumma voluptas.

AONII PALEARII
VERULANI
POEMATIA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

AONII PALEARII VERULANI

In nuptiis Nicolai Marini & Aloiſiæ Mendozæ.

VESPER ab Heſperiis nitidum caput extulit undis,
Et totum accendit diffuſo lumine cœlum:
O decus Inſubrum nuptæ conſurgite contra,
Deducenda ſuo tandem eſt nova nupta cubili,
Nox ruit, & Veneris jucundæ præterit hora.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Et meminiſſe decet nuptæ, & meminiſſe poteſtis,
Expectata dies fauſto cum ſidere venit,
Cum juveni caro vos deſpondere parentes,
Spes veſtras ſi fortè aliquid pro tempore luſit,
Ut primum optati vobis data copia lecti eſt,
Quales amplexus, & gaudia quanta fuerunt.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Adſpicite, ut ſedeat demiſſo lumine Virgo,
Ingenuo ſuffuſa genas utráſque rubore.
Certè oculos non tollit humo, roſeúmque labellum
Comprimit, & nullas emittit pectore voces.
Non decet hoc fieri; gaudet Venus aurea riſu:
Libera res Amor eſt, & libera mater Amoris,
Lætitiæ genitrix, hominum divûmque voluptas.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
O felix virtute tua, lectiſſima Virgo,
Educta ingenuè, ſanctóque aſſueta pudori,
Non tibi mens ullas nunc afferat anxia curas;
Sed nova conjugii pertentent gaudia pectus.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.

Num

Num Virgo te cura ſubit, pietáſque tuorum,
Quos rate conſcenſâ liquiſti in littore Ibero?
Adſpice, quàm multi te ſunt vel ſponte ſecuti,
Quámque tuos clarâ paſſim virtute ſequuntur.
Hic domus, hic patria eſt, ubi nullo tempore abeſſe
Laudibus à magnis poteris, meritíſque tuorum.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Auſonia in magna pars eſt tibi maxima Virgo:
In qua laudis habent tantum duo fulmina belli,
Conſalvi, quorum eſt alter ſuper æthera notus,
Lætus in Elyſiis qui nunc agit otia campis,
Inſubres alter juſtis moderatur habenis:
Quem Sueſſana Ducem, Regum è domitoribus ortum,
Obſervat tellus, armorum fortibus auſis
Æternæ pulcro florentem laudis honore.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Quæ tua ſunt tecum ſapiens bona percipe virgo:
Eſt tibi perpetuo ſociatus fœdere lecti
Cœleſtis juvenis, quo non formoſior alter;
Quem Charites finxere manu, & Nereides ipſæ
In conchis inter gemmas aluere marinas,
Is te ſuſpiciens, tereti cervice repoſtâ,
Vix capit ipſe ſua ſecum ſua gaudia mente.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Quare agite expertæ nuptæ bona dicite verba,
Et caſto in thalamo de more locate puellam.
Non Dea mortali tales conceſſit amores,
Nec Deus hoc unquam conjunxit fœdere amantes:
Qualis in his inerit veniens pax aurea cœlo,
Læta ferens dextrâ ramum felicis olivæ,
Et dulces natos, & pignora cara, nepotes.
Huc ades ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Commiſtum genus hoc Italum cum ſanguine Ibero,
Clarum, illuſtre, potens, omníque ex parte beatum
Nequitiæ ignavæ quod nulla redarguet ætas,
Innumeros ſemper magnos volventibus annis
Armorúmque duces pariet, pacíſque magiſtros.
Quàm multa in ſylvis orienti germina vere

Hàc illàc circum viridantia parturit arbos,
Quàm multi in pratis, aurâ ſpirante Favoni,
Naſcuntur flores, arvíſque feracibus herbæ.
Huc ades ô Hymenææ Hymen, ades ô Hymenææ.
Audiſtis? Lævum intonuit; læta omnia, fauſta
Omnia, felicis ſunt omnis omnia plena.
Inſubrum nunc ite nurus, accendite tedas
O pueri, ſimul ite viam, túque optima virgo
Tolle pedem aureolum, conjux mox ipſe ſequetur
Os, humeróſque Deo ſimilis, tua maxima cura.
Jam quos heroas nobis dabis optima virgo?
Accipe de magnis felix heroibus omen,
Quos fœcunda nurus geminos feliciter edet:
Quod ſanctum, firmúmque tibi Dux maxime Thoma
Fortunate ſenex, dat carminis autor Apollo.
Cernis, ut extemplo ſpes ſit tibi facta nepotum?
Jam faciet virgo, ut terrarum intelligat orbis,
Ecquæ progenies, ecquæ divina propago
Venit ab Heſperidum ſemper felicibus oris.
Huc ades ô Hymenææ Hymen, ades ô Hymenææ.

Ad Joannẽm Tonſum.

LAudator vatis Venuſini, candide Tonſe,
Ne tibi me credas imponere, carmina mitto
Ad ſenſus efficta tui, morémque poëtæ,
Invito genióque meo, invitáque Minerva.
Quanti te faciam noſti? pro tempore abeſſe
A me ſi poſſum, tibi quo magis obſequar uni,
Ille ubi jam numeris mulſiſſet dulciter orbem,
Argolicâ fretus citharâ, fidibúſque Latinis,
Hellade ab uſque Remi & Muſas duxiſſet in urbem,
Libertate frui ſtatuit, placidaque quiete,
Et delectari ſtudiis ignobilis oti.
Hinc dulces ſcriptis cùm compellaret amicos,
Protulit effœtos, velutíque ex tempore verſus:
Quos ſale Romano, atque Italo conſperſit aceto:
Quorum ſunt tamen hibernâ nive candidiora

Ver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Verba, quaſi è liquido & puro manantia fonte.
Sed fortaſſe nimis numerorum lege ſolutâ.
Felix ille quidem, natus melioribus annis,
Queis licuit metiri quenque ſuo modulo rem,
Atque aſpernari faſtus popularis honores.
Ambubajarum collegia, pharmacopolæ,
Nunc ego ſi inciperem, ferres? dic candide Tonſe.
Nunquam quod ſentis dices, niſi dixeris iſtuc,
Et ſi non dices, dicet Scaphenatius ipſe
Ingenuus, centum mihi qui eſt pro millibus unus.
Eſt hoc principium Satyræ. fac eſſe. ſemel-ne
Labitur in numeros iſtos ridente Camœna?
Includi non vult donatus jam rude ludo.
Ergò impetratâ veniâ liceat mihi, quicquid
Venerit in buccam, atque animum, proferre. laboris
Impatiens quisque eſt, ubi jam tardante ſenectâ
Sanguis hebet. ſegnes non jam aſpiramus ad illa,
Quorum ſpe erecti, quæ non juvenésque viríque
Fecimus, ingenti perculſi laudis amore?
Eſt aliquo ambitio vitium pro tempore honeſtum,
Turpe ſeni emerito, qui ſi velit, ipſa recuſat,
Et prohibet natura, queat ne tendere contra.
Orator placuit florens Hortenſius annis,
Non ita jam grandis natu quin Roſcius ævi
Maturus jam; ex arte modos, cùm tibia cantus
Æquaret pariter, fertur feciſſe remiſſos.
Cùm ſemel Æſopus voluiſſet tollere vocem
Altius, eſt raucus toto ridente theatro
Factus, cumque iterum acclamaret, vox magis ipſum
Defecit. Vulgo tum perſonuere cachinni,
Plangor, & inviſus populari ſibilus auræ.
Nil ſupra vires tentandum, ſat fuit olim
Verſatum in magnâ cum laude fuiſſe palæſtrâ.
Quod ſi forte ſenex duro contendere cæſtu
Jam velit, effœtæ cùm ſunt in corpore vires:
Infliget plagam nunquam: & ſi, cùm ictibus auras
Nequicquam feriet, procumbat, deinde reſurgat,
Decidat & rurſus; riſum teneatis amici?
Sic

Sic ubi jam vitæ gravior proceſſerit ætas,
Spiritus & tenuis, ſanguis meliorque receſſit:
Si quid adhuc parimus, non id Dea ſuſcipit Hebe,
Gratia nec cingit natum florente coronâ,
Quod ſenis effœto recidivi è ſemine fluxit:
Quem ſapiens mater prope jam natura reliquit.
Qualis ubi ardentis juvenis compreſſa cupido,
Nocte avidum longâ ſimulac ſatiavit amorem,
Si quid habet,beta eſt: abſunt Charitéſque Venúſque,
Et quaſi flos carptus jam pridem langui tungui.
Miratur juvenis, miratur & ipſa puella
Torpentem ignavum, cui tanta ferocia ineſſe
Ante videbatur quod ſi ſe attollere tentat,
Deficit & prona rurſus cervice recumbit.

Dis manibus Sicinii Pepuli.

UT gravis attonitas pepulit mihi nuntius aures
O lux, decúſque nobilis Bononiæ,
Heroa amiſſum, nulli virtute ſecundum
Domi foríſque in otio, in negotio,
Quàm præſaga mali mens eſt mea viſa timere,
A te ſiniſtra ne quid adferret tibi.
Cùm te cara parens, cùm te lectiſſima conjux
Vocaret uſque, virginéſque pallidæ,
Quas amor in vitâ tuus, & ſpes dulcis alebat,
Deſiderarent & vocarent ſæpius,
Cúmque chorus Phœbi, & quondam tua cura poëtæ
Accingerentur ad canendum triſtius.
Augurium infelix. verus mihi nuntius ergò
Hic optime heros eſt tuo de funere?
Cujus ego egregias laudes, & rapta trophæa
Ab hoſte, barbaríſque nationibus
Ipſe meis prodam numeris, modo vita ſuperſit:
Et annuant montes colentes Aonas:
Quæ me ex Inſubribus referant ad amœna vireta,
Colléſque dulcis, divitíſque Etruriæ:

Hic

Hic ubi plus oti ſemper, faciléſque Camœnæ
Non te vetabunt verſibus ſcribi ſuis:
Ne qua tibi noceant incanis ſæcula mentis,
Edáxque tempus, & vetuſtas ſqualida:
Neve tibi faciat ſublimis aranea telam
Sicini amice, conſecrato in nomine.
Nuſquam non Pepulum reſonabunt oppida, & arva,
Nymphíſque amatæ ripæ, amata littora.
Non roſa, non violæ, non lilia, non amaranthi
Deerunt ſepulcro marmoratis laudibus.
Tantùm dicta tua & tantum tua facta merentur,
Alumne Martis, atque alumne Apollinis.

Ad Coſimum Medicem Florentiæ & Senarum Ducem.

O Quem Mars pater, & Minerva Pallas
Ad ripam placidè fluentis Arni
Regem fortibus edidere Etruſcis,
Ecquando mihi fata largientur,
Ut artes patrias, tuáſque laudes,
Quæ Phœbo auſpice prodeunt in orbem,
Mandem verſibus aurei libelli?
O quæ tum mihi grandiore plectro,
O quæ tum mihi bella ſunt canenda.
Nunc, dum nos placidâ in quiete dia
Jubes otia ducere, omniúmque
Florere ſtudia uſque litterarum,
Quas Græci coluere, quas Latini,
Hanc, mi Rex, tibi floribus coronam
Intexi ſine, patriáſque lauros
Inter littoream virere myrtum:
Ut qui poſt aliis erunt in annis,
Norint, quàm benè ſæculum beaſti
Princeps unice liberalitatis.

De Annulo cum gemmâ oculatâ quem Iſabella Columnia donavit Aloiſio Gonzagæ ſponſo.

LUmina dum in pulcram defixa teneret Eliſam
Gonzaga proles regia Aloiſius:
Flagrantem vultu divino his ore puellam
Purpureo juvenem commonuiſſe ferunt:
Quod ſpectas avidus, miraberis haud ſatis unquam,
Ipſe meis niſi me luminibus videas.
Mox juveni ardenti geminos donavit ocellos,
Alter amoris erat: alter erat Veneris.

Ad Michaëlem Tramezinum.

SCriptores unus cùm ridet Gellius omnes,
Jactat ſe à Gracchi ducere ghiente ghienus.
Sed tamen & mores, & vox ea velle videntur
Dicere, ut impuro eſt natus adulterio:
Utque pater pretio germanæ factus haruſpex
Scortorum Romæ floruit hoſpitio.
Hunc mi Tramezine roga (tua tecta frequentat,
Atque inter doctos aſſidet iſte viros)
Dum repetit ghienus, abſentem dum rodit amicum,
Id num Romanè eſt dicere vel facere?

Ad M. Ant. Maffæum, de Urſulæ catello mortuo.

CAtellus ille tam venuſtus Urſulæ
Labella vix momorderat,
Cùm viſus eſt repente ad illam mœſtulus
Tardis redire greſſibus,
Cervice deflexâ ad pedes & auribus
Preſſis quaſi ſe noſceret
Cauſſam dediſſe inexpiabilis mali; &
Caſum doleret Urſulæ,

A qua tot oſcula improbus decerpſerat
Suaviora nectare.
E cujus ore tot cibos exceperat
Dulci ſapore præditos
Vincente Hymettium liquorem, & Indicum,
Et ſi quis eſt his gratior.
Sed cùm fuiſſet Urſulæ propinquior,
Tanquam ſibi ignoſci petens
(Dignorat illam nanque ab omnibus, velut
Suam parentem filia)
Non auſus eſt ſtatim in ſinum perrepere,
Ut ſemper aſſueverat:
Nec extulit venuſtulum caput, ſed ad
Pedes miſellus corruit.
Ubi eſt diu moratus albulâ Urſulæ
Sperans levari dexterâ:
At cùm videret opprimi graviſſimo
Illam dolore ob mollia
Demorſa labra, nec jacentem attollere;
Verùm minari verbera:
Surrexit, & erectis auribus, bipes
Adſtitit, utrinque dimovens
Caudam jubatam, & altero pedum genu
Lævum petivit Urſulæ,
Lambens eburneas manus, & blandiens
Leni latratu, quo ſuæ
Heræ levaret voculas mœſtas, & ut
Ei dolorem avelleret,
Niſus fuit tum ſaltibus conſcendere
In mollicella femina.
Manu ſed illa reppulit jam ſæpius
Fruſtra ſtudentem inſcendere:
Qui ægrè ferens ſic negligi ſe ab Urſula,
Cujus levamen unicum
Prius ſolebat eſſe, cui moleſtias
Solus graves depelleret.
Dum ſe huc, & illuc erigit, dum dexteram
Nunc porrigit, nunc alteram,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Conceſſit illico gemens in angulum
Cubili herili proximum.
Ac ſtratus illic jacuit, altis perſonans
Cœnaculum conqueſtibus.
Quouſque ſervi ſternerent triclinium,
Dapéſque ferrent ſplendidas:
Qui non videtur amplius cognoſcere
Ullum, ſed omnes negligit,
Cibóſque ſpernit, quos in os immittere
Student: & illic condolens
Caſum tremendum, & horridas heræ minas,
Moratus eſt ad veſperum.
Tunc una ſervularum ad Urſulam tulit
Invitum, & ille deſilit
Gremio ſolutus, & redit celerrimè
Quò jam ſemel confugerat,
Multùm verens præſentiam ſuæ Urſulæ,
Cujus labella preſſerat.
Mox conquievit involutus linteis
Dum ardente Phœbus lampade
Luſtraret orbem quinquies, & quinquies
Caput ſub undis mergeret.
Nec ſumpſit interim cibum, nec faucibus
Ullum liquorem ſorbuit.
Nam etſi benignè ancillulæ illum ſæpius
Omnes jacentem inviſerint,
Cibóſque conditiſſimos injecerint
In os diebus ſingulis:
Tamen ſubinde reſpuit, nec lambere
Aquam vel aliud viſus eſt:
Quod non videret Urſulam, quæ paſcere
Illum prius conſueverat.
Quare miſellum penè vox defecerat,
Et effluebat ſpiritus.
Ab ore: quando nuntiatum eſt Urſulæ
Vitâ catellum excedere.
Accurrit exanguis, ac in limine
Gravi tremore concidit

Oppreſſa; quam repentè ſervulæ duæ
Propinquiores ſublevant
Et brachiis utrinque ſuſtinent, ab hoc
Dum ſe dolore recreat:
Nec inde multò poſt perita ſervula
Aſpergit illam citriâ
Aquâ, ſuavitérque olenti perfricat
Unguento: at illa colligit
Vires, & ad mentem reverſa priſtinam
Recta ad catellum proſilit,
Qui non adhuc ſic ſenſibus defecerat
Quin Urſulam dignoſceret,
Quam tantum amabat: nititur tum aſſurgere
Ut in ſinum ejus involet.
At debilis tam languida, & tam laſſula
Nequit movere cruſcula.
Tunc eſt profectus recta ad Urſulam, ſua
Quæ in ſede vix conſederat,
Exiſtimans illam recentis vulneris
Oblitam, & ut depromeret
Ex ejus ore delicatulos cibos,
Quos illa ſemper mandere
Libans ſolebat in catelli gratiam,
Dum in prandiis accumberet,
Et indere in fauces ſuis molliſſimis
Labris: quem ut ad ſe progredi,
Sedémque ſaltu ſcandere, ac velociter
Menſæ inſilire conſpicit,
Iratâ dexterâ miſellum corripit,
Et gannientem dejicit
Procul. Sed ille dum videt coram omnibus
Ab Urſulâ ſic deſpici
Formam elegantem corporis tam parvuli,
Tam vividi, tam belluli;
Recedit illinc, conquerens aſperrimam
Injuriam ſuæ Urſulæ,
Ancillulásque petit, & advolat celer
In viliora ſtromata.

Timens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Timens herilem in lectulum non amplius
    Errorem ob iſtum admittier,
In lectulum tam divitem, tam ſplendidum,
    Tot floribus lectiſſimis
Sparſum, tot optimis olentem odoribus
    Qualis Hydaſpes, vel Saba
Non edit, & tam bellule, tam molliter
    Subſtratum, ut ipſa Cypria
Ejúsque filius, qui in illum devolat,
    Et hinc, & inde ſubſilit,
Miratus apparatum, & elegantiam
    Rarámque pulcritudinem,
Tali potiri ſæpius deſiderent,
    In quo quieſcunt Urſulæ
Tenella membra, illius inclytæ Urſulæ,
    Quam ſi videret Jupiter,
Junone ſpretâ, & omnibus mortalibus
    Velox ad hanc adſcenderet
Non imber aureus, nec ignis lucidus,
    Valens nec arcu Cynthia,
Non ſquammeus ſerpens, nec albicans olor,
    Nec candidus Taurus, neque
Satyrus celer, nec paſtor armentarius,
    Nec fulvus ales, ſed Deus.
Illum viciſſim omnes fovere ſervulæ
    Nituntur, atque paſcere:
Sed denotat ſpectans ocellis Urſulam
    Quanti antea illam fecerit:
Quem ſera cubantem blandulo circumplicat
    Amplexu, obortâ è lumine
Lacrimulâ, & illum donat uno & altero
    Suaviolo, & in reconditam
Secedit aulam cum duabus ſervulis,
    Secum catellum deferens:
Et in miſelli guttur ingerit cibos
    Lautis Deorum ferculis
Suaviores, & calore confovet
    Ut ipſum ab Orco retrahat.

Conatur ille ſumere, haud tam judicans
Se poſſe convaleſcere,
Quam ne putetur ſpernere elegantia
Heræ ſuæ munuſcula.
Sed lingua jam palato adhæret, mandere
Nec dentibus quicquam valet.
Tunc intuetur Urſulam, quaſi rogans,
Ignoſcere ut ſibi velit
Si quod ſcelus conceperit, tenellula
Labella dum ejus ſtringeret.
Statímque vitam deſerens, ſe ad Tartara
Tenebricoſa proripit.
Eheu catellus occidit pulcellus, heu
Catellus ille inquam occidit,
Qui floſculus fuit catellorum omnium
Quotquot fuere, quotque erunt,
Quem præditum tot artibus formaverant
Dii Urſulæ in ſpem gratiæ.
Nam dulce ſolatiolum erat, cùm viveret,
Cujuslibet moleſtiæ
Suavíſque delectatio, dum dexterum,
Dúmque alterum crus verberat
Cauda, aut in altum more ſemicirculi
Reflexus, arcúmque æmulans
Se bellulè venuſtulo dorſo elevat,
Spectante cuncta hæc Urſula.
Quæ dum catellum mortem obire conſpicit,
Quem plus ſuo illa corculo
Amavit, ac ei fuit jucundior,
Quam Lesbiæ paſſerculus,
Et quam Cupidinis parenti, & Iaſidi
Celerrimæ mala aurea.
Effundit ab ſuis ocellis lacrymas
More effluentis rivuli:
Flavóſque ſcindit unguibus crines, ſua
Tundítque palmis pectora.
Seque impiam vocat, vocátque perfidam,
Et frigidis ſerpentibus

Cru-

Crudeliorem, quod catellum amabilem
    Per hos dies contempſerit.
Negátque velle, aut poſſe poſthac vivere
    Privata tanto gaudio,
Tantóque cœli munere, ac graviſſima
    Suo minatur corpori.
Sed blandulis ſermonibus tum ſedulæ
    Solantur illam ſervulæ.
Quæ cùm doloris maximi præſentibus
    Notas dediſſet omnibus
(Nam cognito caſu catelli, plurimi
    Eum in locum convenerant)
Lenire viſa eſt alta cordis vulnera.
    At nunquam ab illo tempore
Ridere, vel gaudere vidimus, nec id
    Vidiſſe quenquam audivimus.
Quin ſi catelli fiat hujus mentio,
    Non temperare à lacrymis
Poteſt, & adjurat fore, ut dum ſpiritus
    Tenellulos artus reget,
Contenta nunquam vivat: ac omnes Deos
    Incuſat, illóſque arguit
Crudelitatis, quod ſibi tot gaudia
    Tot deliciola extinxerint.
Quare obſecro te ſumme Olympi conditor,
    Tecúmque reliquos cœlites,
Qui curam habetis omnium mortalium
    Rerum, ut catellum ab inferis
Ne educere ad vitam gravemini, vel ut
    Formoſiorem deſuper
Mittatis huc, pulcerrimæ ſi ulla amplius
    Vos cura tangit Urſulæ.

De Tomumbeio, Sulthano.

NON fuit in toto rex æque Oriente beatus,
    Nec magis in toto rex Oriente miſer.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Quam dolor Ægypti, olim Tomumbeius, auro
 Ingenti, atque armis, & ditione potens.
Captus ab hoſte fero; miſerum ſimul atque beatum
 Exemplo potis eſt commonuiſſe ſuo.
Quid rides temerè? quid fles? vis te cohibere?
 Et natum poſthac te meminiſſe hominem?
Mi trabeam induto, gemmis auróque corona
 Cingebat fulgens, & diadema caput.
Mi quondam ornabant pretioſa monilia collum,
 Nunc fractam vili reſpice fune gulam.

Aonius Palearius S. D.

O Baſili quid ego audio? telis te omnibus unum
Fortuna expoſitum tria vulnera tanta tuliſſe
Fortiter, & clypeum nunquam amiſiſſe, nec haſtam
Abjeciſſe gravi perculſum ſæpe dolore:
Morte obita genitor ſimul, & lectiſſima conjux,
Quique tibi vita jucundior eſſe ſolebat
Filius his paucis te deſeruiſſe diebus!
At non deſeruit patiens prudentia fati,
At non deſeruit divûm patientia Chriſtus,
Et conſolator divinæ ſpiritus auræ:
His tu præſidiis vitam ducis ſapienter,
Nec plus poſſe putas, quam ſit mortalibus ægris
Conceſſum, quando divinæ obſiſtere menti
Eſt hominis ſtolidi, qui hominem ſe neſciat eſſe.
Cum primum in lucem, in tenebras, & clauſtra venimus
Carceris horrendi potius, non attinet ad nos
Naſci velle, neceſſe fuit deſcendere ab alvo
Præcipitem matris maturo tempore partus:
Sic cum jam tempus mortalia ſolvere vincla,
Nulla mora in nobis imus, quoniam ire neceſſe eſt
Adque diem adque horam,& punctum diſcedere vita.
Tum fruſtra longa confecti ætate parentes,
Et circum nati, agnati, & peramabilis uxor
Orarint, ut pro pietate ſuperſedeamus;

Non

Non tum ſexcentæ ſolido ex adamante cathenæ
Nos teneant, robúrque virûm, viréſque Leonum:
Sed tu forte ſacris tecum ſcriptis agier vis,
Quæ veri cupidos cœleſti nectare paſcunt.
Unigena ex adyto miſſus ſtellantis Olympi,
Déque ſinu patris, ſimul eſt homo natus, & inter
Mortales, artus geſſit, moribundáque membra,
Fugit ad Ægyptum, & ſeptemplicis oſtia Nili,
Quod non illa eſſent maturæ tempora mortis.
Ad Solymos rediens ſæpe eſt vexatus inique
Pontificum patrúmque dolo populíque furentis,
Ah quoties illum fundentem oracula voce,
Et nova magnarum edentem miracula rerum,
Aut ſaxis petere, aut voluerunt perdere ferro;
Nec potuere tamen, quod non ſua venerat hora:
Ille idem fatale ſuæ cum tempus adeſſet
Jam necis, & ſpinæ, calami, virgæque manerent,
Erectúmque eſſet jam lignum, unde illa ſalutis
Alta laboranti crux brachia penderet orbi,
Scriptor honoratus, teſtíſque hæc verba reponit.
Cùm ſciret veniſſe horam divinus Ieſus,
Migret ut ad patrem magni trans mœnia mundi,
Venit, ait, pater hora tuum ſuper æthera natum
Ut tollas, moriens tandem ut tua natus imago
Extollat patris cœli ſuper ardua nomen:
Si præſcripta fuit nato irreparabilis hora,
Non par eſt horam præſcriptam credere ſervis!
Qui nulla dominum ſuperant ex parte potentem,
Sed longe rebus ſunt omnibus inferiores:
Ille etiam egreſſus cum divino comitatu,
Horrida cum mors verſaretur ob os, oculóſque
Cantando lethum, & crudelia funera adivit,
Preſſa pedum ut nobis eſſent veſtigia plantis,
Si quando ire viam jubeat Deus aſpera quæ ſit,
Arduáque, & paſſim occurrentibus in via monſtris,
Per quam cum ſubiit triſte, & miſerabile fatum
Inceſſit paſtor populorum, atque omnia vicit.
Unde viam in cœlum noſtris eſt facta per ignes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Per lapidum nimbos, per ahena undantia flammis,
Perque inventa omnes hominum ſuperantia caſus.
Quod ſi ſunt aliis per frigora perque calores
Naturæ conceſſi obitus, reditusque quieti
Ad ſuperos triſti quid nos ſuſpiria corde
Fundimus, & fatum veluti indignamur acerbum.
Experti toties mortalia novimus eſſe
Omnia amaricie aſperſa, atque addicta labori,
Infirma, incerta, inque horam variantia formam,
Et dubitamus adhuc venienti tendere dextram?
Et te complecti mors ô placidiſſima rerum?
Huc nos ira Dei primi ob delicta parentis
Detruſit miſeros, quæ nos dementia cœpit,
Ut longam exilii cupiamus pendere pœnam?
Qua nos exemit moriens, qui vivere ſemper
Dignus erat, ne in morte malum quiſquam eſſe putaſ-
ſet,
A qua perpetuæ veniſſent commoda vitæ.
Atque utinam ut patria ad cœlum virtute tetendit
Regna paraturus nobis, ſedesque beatas
Ille decus ſuperûm, ſic nos ſublime feramur,
Et quæcunque ejus nobis ſunt parta labore
Inſpicere, & ſanctas liceat cognoſcere curas;
Quas noſtri gerit, ut patrem compellat amanter,
Utraque perpetuo cœleſtia brachia tendens,

Cætera deſunt.

QUOD

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

QUOD FAUSTUM
FELIX FORTUNATUMQ. SIT.
QUOD
SANCTISS. VIRI CHRISTIANI
FIRMUM ESSE DUXERINT
ID
IN NOSTRIS LIBELLIS
FIRMUM SANCTUMQ. ESTO:
QUÆ
A PATRIB. SCRIPTA DIVINITUS
SACRA SOLENNIA PERPETUA
MANENTO.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

RERUM ET VERBORUM
in Aonii Palearii orationibus & epiſtolis præcipuè memorabilium
INDEX.

ACcuſatorium nomen illiberale ac ſordidum apud omnes gentes & nationes ſemper fuiſſe 486
adverſariorum in Aonium Palearium mendacia. 485
ægritudine liberatis, ſi in eandem recidant, graviores accidere offenſiones 524
æquitas 149
æquum juſtumque quid eſſe dicatur 27
Africani nomen eſſe illuſtrius, quàm eorum qui conſilium dederunt 20
Agriculturæ laus 444
Aldellus Placidus 67
Allobrogum ducis familia in Italia princeps 192
Alexis Lucrinas 86
ambitus crimini quæ tribuantur 11
Ambroſius Spannochius 484
Amicitiæ vincula probitatis opinione ſublata relaxari 483
amicitiæ, veluti flores roſcido humore, appellando & ſalutando ſuſtentantur 554
amicorum conſilia in optimam partem accipienda 404
amicorum proprium 536
Anaxarchi fortitudo 156
Andreas Alciatus 105
animantium natura 466
animus ſapiens 31
animi continentia ubi eluceat 118
animi officia 30
animorum ortus atque origo cœleſtis 168
Annibal belli effigiem vidiſſe dicitur 195
Antiochus à L. Scipione ſuperatus 20
Antonius Bellantes Petrini F. 76
Antonius Bellantes ſecundus 49
Aonius Palearius à Bembo laudatus 425
Aonius Palearius veteribus juriſconſ. amicus 534
librorum helluo factus *ibid.*
Mediolani orationem habuit 553
Aonius Palearius monumentum parentibus atque ſororibus ſuis, mutato ſolo, poni curavit. 415
Aonius Palearius in philoſophiæ ſtudiis Romæ ſex annos conſumſit 406
Aonii Palearii comment. in orat. Ciceronis, 8. in libe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

ros ſuos amor. 553. fortunæ exiguæ *ibid.*
Aonii Palearii erga theologiam mirifica propenſio 477
Aonii Palearii lacrymæ, ob deſtructam partem ſepulcri matris ſuæ 416
Aonio pecunia ſemper minimi fuit 176
Appii fortitudo 19
Aragonium regnum 194
Areolæ arx 52
ἀρετῆς μαρτυρία 406
Ariſtoteles philoſophorum Deus 181
Ariſtotelis laus 103
Arithmetice 183
arrogantia inſcitiæ proximum malum 479
artis diſſerendi utilitas 107
artes bonas in Hetruria florere 406
artium liberalium cognatio 178
artium inventarum ratio 100
Athenienſium veteris reipub. æqualitas 105
Attilii Reguli in cruciatibus præclariſſ. vox 114
avaritia 161
aucupari gratiam non eſſe jurisconſulti 27
audaces 155
audaciæ malum 57
A. Polenta 55
A. Tancredus 62
auſpicia nulla bona eſſe poſſe contra patriam 13
Auſtriorum familia in Germania & Hiſpaniis princeps 192

B.

Balearicum regnum 194
Bartholomæus Carolus 76
Belgarum provincia 194
Bellum omnium malorum cauſa 188
monſtrum ac portentum ingens 195
Belli in mutationibus rerum vis 186. 187
Bembi laus 113. 423. 459
Benedictus Manfredus 526
Benevolentia bonorum & doctorum nihil optabilius 424
Benevolentiæ ſemina eò uberiores ferre fructus, quò melioribus jacta principiis 439
Bernardinus Bonoinſignis 76
Bernardinus Franciſconius 96
Bernardinus Ocellus 505
Betis 194
Beticum regnum *ibid.*
Blanditias inſidioſas eſſe nec carere periculo 403
Bonviſii 522

C.

Caja Cæcilia 26
Cajæ mulieres cur olim appellatæ *ibid.*
Campanus ager 194
Carolus Quintus Imper. 180. 181. 185
Caſtulonenſe regnum vetus & novum 194
Cæſar de rebus à ſe geſtis cur commentarios ſcripſerit 114

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Cæſaris laus 401
C. Calpurnius Piſo ex S. C. legem de ambitu cum maximo ſuo periculo tulit 61
C. Caſſius, cur concordiæ ſignum in curia poſuerit 125
C. Franciſcus Sfondratus 73. 93
C. Marius 18
C. Piſo 13
Cæſar Craſſus ob rectorem à ſe vulneratum, ſecuri percuſſus 528
Caſtitas ſermonis eloquentiæ conjuncta 106
Cato Cenſorius 132
Charybdis 195
CHRISTUS 90
Chriſtianum quid in primis deceat 485. 486
Chriſtianorum ornatiſſimæ provinciæ quæ 407
Cincii Phrygepani laus. 411
civis boni officium 148
civium arma communia quæ 147
civitatis ſtatus, fortuna in quibus poſita 36
civitati quæ maxime obſint 33
Cn. Poſthumius 38
Comitia ſine legibus nulla firma eſſe 13
Concilii neceſſitas 197. 198
concordiæ encomium 125
conſcientiæ bonæ tranquillitas 84
conſilium non eſſe capiendum ſubitò 402
conſpiratio imperitorum 428
Conſularium comitiorum dignitas 36
Cornelius Graphæus 522
Cordubenſe regnum 194
Covæ gravitas 49
Craſſus Labeo 61
cupiditatis dominandi mala 57. 190
cupiditates & libidines magnos reges neque interdiu neque noctu ſinunt quieſcere 30
Curii continentia 19
Curionis innocentia 36

D.

DEos ipſos cur homines colant 20. 21
à Deo ſunt omnia 535
Didaſcalicum genus quale 509
difficilia quæ pulchra 27
Digamma Æolicum Helvetios & Germanos adhuc ſincerè pronunciare 518
dijudicatio omnium difficillima quæ 82
divus Sardinus 526
diſciplinæ & artes liberales unde conſtent 177
diſciplina Stoica labefactata 34
diſcordiam civilem Græcas reſpublicas evertiſſe, item Romanorum imperium 120
D. Aurelius Auguſtinus 553
divina animo potiùs quam verbis complecti 82
domeſticæ curæ & frugalitatis teſtimonia 26
dominandi cupiditas juſtitiæ inimica 146

domi-

dominatus vitiorum crudeliſſimus 30

E.

EButia lex 59
Eloquentia libertatis comes atque alumna 99
Eloquentia niſi diſciplinarum ſocietate exornetur, nihil excogitari poſſe jejunius 450
Mediolanenſis civitatis quaſi alumna 180
Eloquentiæ encomia 99.101.105
Eloquentiam nuſquam meliùs verſari, quàm in libera civitate, & republica benè conſtituta 99
Ennii Philonardi laus 411.415
Epaminondæ morituri præclara vox 114
Epiſcopi officium 462
Epiſtolæ nihil credendum, quod reſciri nolimus, abſente fideli tabellario 403
Eruditio quib. moleſta 426
Euander Bellantes 96
Eugenia 401
Eugubius medicus 402
Excandeſcentes ſubitò, citiùs remittere iram præ cæteris 406

F.

FAbricii integritas 19
Famæ aliquando ſerviendum 402
Fauſtus Bellantes 96
Franciſcus Arnulphinus 520
Franciſcus Craſſus 73
Franciſcus Severinus 48
Felicitas quid 172. unde nata 168
Federicus Carteromachus 48
Ferdinand Imperator 185.192
Fortis viri proprium 154
Fortitudo unde dicta 152
Fortitudinis laus *ibid.*
Fortunæ non fidendum 409
Fortunam veluti pediſſequam ſequi ſapientiam & ſplendorem virtutis 147
Furere qui dicantur 32

G.

GAlliæ deſcriptio 192
Galliæ Celticæ calamitates 195
Germania 441
Germanos ad certandum paratiſſimos eſſe 403
Germani Theologi 83
Græcia magna 194
Græciam omnem in Turcæ poteſtate eſſe 407

H.

HEnricus Gallorum Rex 185.192
Hermagoram philoſophiam in oratore requiſiviſſe 22
Hetruriæ encomium 419
Hetruſca lingua 516
Hetruſcorum ingenia 416
Hieronymus Arnulphinus 521
Hieronymus Bandinellus Ghini filius 96
Hiſpaniæ deſcriptio 193
Homo cur natus 175.176
Hominis mendacis incredibilem eſſe oblivionem 471

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Hominem dolo malo alium oppugnantem, longiſſimè abeſſe à Chriſti religione 80
Homine pecunioſo nihil injuſtius 37
Homine ſtulto & improbo in terris nullum monſtrum pernicioſius 88
Homines à brutis ſermone diſtingui 101
Homines hominibus præſtare 458
Homines in republica judicio non moveri 489
homines moveri naturali deſiderio percipiendi & cognoſcendi 128
Homines novos in altiorem locum provectos, nullis finibus ſe continere 18
Homines revocare ad ſilvas quid 25
Hominum invidorum natura 469
Hominum vitioſum & captioſum genus taxatur 441
Hoſtes & inſani qui habeantur 32
Hoſtibus Reipub & vexatoribus civium, nullum telum eſſe infenſius oratoria facultate 39
Humaniores omnes, dum egent, eſſe 471

I.

JAnus Lampridius 447
Janus Polenta 55
Iberus fluviorum rex 194
Joannelli quidam Aonio Paleario diem dixerunt 474
Joannes Palmerius 48
Joannes Ugurgerius 51
Jones Scotes 63
Imperitos omnes eſſe arrogantes 492
India 187
Innocentem oppugnare, nihil illiberalius 405
Innocentiam oppugnari, non convinci poſſe 90
Injuſtitiæ malum 144
Injuſtus *ibid.*
Intemperantiæ malum 160
Iræ inter Clementem pontificem & Carolum Cæſarem cauſa 403
Iſocratis ſepulchro cur Siren adjuncta 107
Iſocratis ſuavitas *ibid.*
Italia 441
Julius Camillus 428
Julius Bargalia 61
Julius Pannileus 60
Juriſconſultorum quorundam inanis loquacitas taxatur 58. 59.
Juriſconſultos eſſe quaſi div. mentis interpretes 23
Jurisperitum in primis eloquentem eſſe oportere 28
Jurisperitorum facultatem pulcherrimam eſſe 27
Jurisperitorum ſcientia extenuatur 9
Jurisprudentiæ commoda 28
Jurisprudentiæ contemtores non modò judiciorum vincula

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

cula revellere, ſed etiam utilitatis vitæque communis *ibid.*
Jurisprudentiæ encomium 28
Jurisprudentiam optimam eſſe philoſophiæ moralis partem 103
Jus 23
Jus æquabile quid 27
Jus firmum eſſe, quamdiu humanum genus eſt rationis particeps 24
Jura certis cancellis contineri oportere *ibid.*
Juſtitiæ laus 143. 144. 146. 150. 191
proprium 144. vis *ibid.*
Juſtus *ibid.*

L.

LAmpridius 407. 408
Lampridius Dorotheus 553. 554
Latii deploratio 420
Laudem & gloriam eſſe quaſi mercedem bene geſtæ reipublicæ 114
Lex de ambitu quid vetet 44
Legis ſalariæ conditiones 59
Legum encomium 58
Legumlatorum voluntas 124
Legum ratio 58
Lex Fabia 37. Licinia, Calpurnia *ibid.* & 43. Memmia 75 95. Porcia 60
Salaria 58
Licinia Lex 59
Literarum ſtudia, cur humanitatis nomine Romani vocarint 138
Locrenſium inſtitutum de novarum legum latorib. præclarum 148
Lucas Caſinovenſis municeps 63
Lucas Volaterranus 444
Lucenſis civitatis incrementa 119
Lucenſis reſpublica popularis 111
Lucenſis reipublicæ æqualitas 110
Lucenſis urbis encomium 115. 116
Lucenſium civium laus 119
Lucenſium erga literarum ſtudia amor 141
prudentia 133
temperantia 159
L. Brutus 17 33.
L. Æmilii fortitudo 154
L. Catilinæ inſania 32
L. Philippi innocentia 36
L. Sylla de rebus à ſe geſtis cur commentarios ſcripſerit 114
L. Syllæ furor 32
Lucilla 401
Luculli continentia 16
Ludimagiſtrorum mos 426
Luxuries 161

M.

MAchus Blatero 499
Mafæi laus 473
Mamercus Æmilius legem de cenſura commutavit 60
Marcellus Corvinus 447
M. Caſalis 446. 447

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

M. Cato 14. 28.
M. Gorgias 61
M. Manilius 32
M. Scaurus 18
M. Tullius Cicero eloquentium Deus 181
M. Tullii laus 183
M. Curii continentia 153
Marius Bandinus 48
Martinus Lilius 4. 507
Mediolani encomium item & Senatus 179. 180
Mediolanenſium ingeniorum præſtantia 179
Megaricus philoſophus 183
Memmia lex 75.95
Mens 170
Mentes ſolutæ, ἄνευ ὀργάνου ἄνευ φαντάσματος 550
Mercatores ubi neque fœnore, neque verſura ſolvere poſſunt, cucullatos fieri 89
Mercatura Lucenſium ampla 550
Metellus Rom. à Pomp. miſſus veluti fulmen ad feriendam rempublicam dicebatur 37
Mobile primum 452
Moderationis laus 123
Mulieres cur majores in tutorum eſſe poteſtate voluerint 25
Murænæ ambitio 37
Muſica 137
Mutius 405

N.

NÆvius Amerinus 61
Natura quædam ſuperior hominibus data 196
Naturam communionemque ſanguinis ſæpe homines fallere 465
Neapolis 194
Neſtor Homericus 132
Nicolaus Aliena 517
Nicolaus Vidacionius 526
νοῦς 455
Novus orbis 195
Numerandi ſcientia 137

O.

OCeanum 195
Opiniones duæ, à quibus bonæ literæ oppugnantur 135
Orationes Ciceronis quales 106
Orator optimus quis cenſendus 103
Oratoris finis perſuaſio. 23
Oratoris officium *ibid.*
Oreſtis furor 32
Oſmæ amplitudo 49
Ottho Melius Cotta 77

P.

PAnetius 33
Parthi 441
Patavii encomium 414
Paulus Jovius 113. 428
Pax honeſta, utilis & neceſſaria 189. 196
Pacis dulce nomen 189
ejus encomium 198
Peregrinatio quibus neque obſcura, neque ſordida ſit 407. 413
Peruſiæ philoſophi non ignobiles 406
Petrinus Bellantes 49

Petrus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Petrus Bembus 424. 457. 571
Petrus Paulus Vergerius *ibid.*
Phædrus Theophilus 553. 554
Philippus Hiſp. rex 180. 185. 188. 191
Philoſophia diſciplinarum omniumque artium mater 184
Philoſophiæ laus 138
Philoſophiæ moralis commendatio 28
Philoſophiæ partes 102
proprium 168
Philoſophiæ ſtudioſos in primis eloquentiam ſibi comparare debere 103
Philoſophiam aſſequi nequeunt, qui in humilioribus diſciplinis conſeneſcunt 179
Philoſophorum diſciplinæ à diis inventæ, & datæ hominibus 102
Poëtarum copia 426
Popularis reſpublica ſi conſilio optimorum civium adminiſtretur, diuturnior 112
Porcia lex 60
Præcepta quæ nobis ſint colenda & obſervanda 29
Phyſice 452
Phyſici 102
Prudentia 129. ejus encomia *ibid.* & 130. 131.
opera 232
ψυχὴ 452
P. Scipio 18
Puer quadrimus toſtus & voratus 196

R.

Reges Ægytii inventores artium & magiſtri ſcientiarum 135
Repantius 403
Res Romana quibus vincatur 45
Reſponſa prudentum, ſcilicet Alexandri, Cornei, Socini, &c. ſi leges adimas, nihil aliud eſſe, quàm declamationes 541
reſpublica talis plerunque, quales civitatis principes 34
reipublicæ commutationem nihil aliud eſſe, quàm diſſidii principium 119
reipub. gloria quæ 105
reipub. manus afferre quid ſit 36
reipub. præſidium nullum eſſe paratius & expeditius, quàm dicendi facultatem 99
reſpub. eſſe beatas, in quibus principes earum omne ſuum ſtudium in doctrina, & ſapientia collocent 139
de Religione diſſidia 196
rhetoricæ facultatem ex altera parte reſpondere dialecticæ 182
Rhodos 121
Riccius 465
robora Reip. Rom. 19

Roma 121
Romæ vivendi impudentia & libido 538
Romani legem de civium virgis ex Græcis acceptam, cur abrogarint 60
Romanorum, urbisque Romæ laus & fortuna 538. 539
Romulus 33
Rumor 484

S.

SAdoleti laus 91. 434. 458
Sanctiones violantem nullo modo conſecrari poſſe, ut ſit ſacroſanctus 13
Sapiens quis 30
ſapientis nomen quibus non conveniat 178
ſapientis hominis ad rempubl. accedentis officium primarium *ibid.*
ſapientes ſolos eſſe liberos 31
ſapientum encomium 30. 31
Sardinia 194
Scipio Amalphitanorum dux fortiſſ. maximeque illuſtris 48
Scipio Gabrielius 81
Scriptoris mens non verba, in theologia conſideranda 82
ſeditionem in civitate alentes, ac illuſtribus viris meritam adimentes laudem, illiberaliter facere 19
Senatusconſultum de ambitu 42
Senatum frequentem, & conciones ad populum, concilia quædam videri deorum immortalium 21
Senatorum & conſiliariorum officium 34
Senatorii Mediolanenſium ordinis præſtantia 180
Senæ 415
Senenſis urbis deſcriptio 122
Senenſes juvenes 415. mulieres *ibid.*
Senenſium ingenia 417
Ser. Sulpitius 14
Servius Tullus 26
Sicilia 194
Socrates 457
Sophiſtæ 102
Sophiſtæ & periti differentia 182
Sp. Caſſius 32
Sp Melius *ibid.*
Sp. Poſthumius Albus, M. Manil. & P. Sulpitius Camerinus, Athenas à Romanis miſſi, ut Solonis leges deſcriberent 111
Stoica diſciplina juris parens, regina æquitatis, expultrix vitiorum 34
Stoica diſciplina ad totius imperii conſervationem aptiſſima 32. ad integritatem vitæ, ad gravitatem morum maximè accommodata 32
Stoicæ diſciplinæ commoda *ibid.*
Stoicorum dogmata 10
Studiorum hoſtis acerrimus quis 177. 416

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Studiorum ſimilitudine ad jungendas amicitias nihil eſſe potentius 465
Sulpitii laus 28

T.

TAgus aurifer 194
Temperantiæ encomium 161
Temperantiæ partes *ibid.*
Temporis jacturæ recordatio cur maximum hominibus afferat dolorem 488
Theologia 508
Theologi mali 409
Thuſcum dicendi genus quale 105
Ticinenſis academiæ encomium 179
Τιμὴ 412
Toletanum regnum 194
Tuſca lingua, jocis refertiſſima 431
Turca 187

V.

VAleſiorum familia in Gallia princeps 192
Varietas ſemper, in epiſtolis verò maximè delectat 426
Vectigal Galliarum 193
Vectigalia reipublicæ Lucenſis 112
Venetorum libertas 111
Verbi Dei commoda 461
Verborum ſignificationes à nullis diligentiùs fuiſſe ſcriptas, quàm à Jureconſultis 26
Vergerius 198. 426
Verinus 465
Veritatis magna vis 47
Verrucoſus 404
Vexillum crucis hoſtibus ſemper exitioſum 302
Ugurgeria 49
Victor Corſinus 56
Victorius 465
Vincentius Martellus 4
Vincentius Menochius 525
Vincentius Porticus Juriſconſultus 534
Virgines nubentes cur apud veteres colus comta, & fuſus cum ſtamine comitarentur 26
Viros bonos in virtute omnia poſita eſſe cenſere 37
Virtus omnibus rebus præferenda 112
Virtus unde proficiſcatur 155
Virtutis vis 184. præmium, laus 491
Virtuti primus locus, ſecundus nobilitati, tertius divitiis in repub. tribuendus 112
virtutem fallere non poſſe 465
Virtute nihil eſſe formoſius, nihil turpius vitio 31
Virtutum ſemina hominibus ingenita 198
Vita quomodo colenda 100
Vitio cur nihil ſit turpius 31
Ulyſſes Coſpius 48
Voluptas ex conſcientia rerum bene geſtarum per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

cepta, omnium maxima 173
Voluptatis libido, liberis civitatibus maxima peſtis 152
Utile nil quod non honeſtum 192
Vultum pacatum & conſtantem in homine bene affectæ mentis, & probi animi eſſe judicium 435
Voluptatem homines facilè vertere in beluas 31
Uxoris Aonii Palearii ægrotatio 473

Z.

Zeno 10. 33.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
191 G 3